


De motu & libere

R. 39.362





CENTVM TOLEMAEI SENTENTIAE AD
SYRVM FRATREM A' PONTANO E'
GRAECO IN LATINVM TRALA
TOA ATQVE EXPOSITAE.

EIVSDEM PONTANI LIBRI XIII.
DE REB. COELESTIBVS.

LIBERTIAM DE LVNA IM-
PERFECTVS.

131	
14	A
15	5
16	
17	69




2 400 40
GALLIA
MADE IN S

Delo de Ptolemae de Syria de Pontano

R. 39.362

367

De Syria Pontano 18




CENTVM PTOLEMAEI SENTENTIAE AD
SYRVM FRATREM A' PONTANO E'
GRAECO IN LATINVM TRALA
TAE, ATQVE EXPOSITAE.

EIVSDEM PONTANI LIBRI XIII.
DE REB. COELESTIBVS.

LIBER ETIAM DE LVNA IM-
PERFECTVS.

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Clase	A
Exemplar	5
Fecha	
Numero	369



Petrus Summontius Berardino Sanseuerinio Principi Bisin.
Traiano Caraciolo Principi Melf. Loisio Iesualdo
Comiti Cons. Traiano Cabanilio Co=
miti Mont. & Iacobo Caietano
Comiti Morc. S.

Et nos quoque, nequid Pontano desit, piam illi operam alijs cum regulis nauasse gaudeo, quippe quorum ea est ex antiquo genere nobilitas, ea uirtus, auctoritasque, ac fama, ut non parum ad illius gloriam accedere putem, quod tantis uiris fuerit post obitum cura. Nec uero contemnenda haec mihi felicitatis pars uidetur, quod negligentibus haec Pontani haeredibus, tam faciles tamen inuenerimus doctissimos, atque optimos quosque, & in ijs quidem proceres, ac principes uiros, quorum liberalitate tandem licuerit meritum in lucem omnia illius scripta uindicare. Quod si adhuc plura superessent, non dubium est (ita multos uideo ad bene merendum paratos) quin & certatim alij concurrerent, summisque quasi uotis optarent, suam hac in re liberalitatem exercere. Iure igitur gratulari Pontano hac etiam in parte possum, plenamque, & cumulatam eius felicitatem dicere, ut qui post mortem, talem sit expertus amicitiam. Vos autem uiri liberales, ac uere magnanimi, qui Iouiano nostro hac in re non defuistis, sic habete beneficium uestrum ita bene a uobis fuisse collocatum, ut collocari melius alibi omnino non potuerit. Viuet enim per uos magnus Pontanus, dum lingua erit, doctrinaque in pretio. Nec patres, maioresque uestri in libris eius celebrati non & ipsi fame immortalitatem consequentur. Volabunt & per hominum ora regio haec, resque nostrae, quas ille scriptis suis, quo ad potuit illustrauit. Ut merito quidem stabiliendae illius fame tanta uos habuerit cura, et de statua, quae saepe a uobis audio, merito etiam cogitatis. Valete.

2
IOANNIS IOVIANI PONTANI COM-
MENTATIONVM

IN CENTVM SENTENTIIS PTOLE-
MAEI AD FEDERICVM VRBI-
NI DVCEM LIBER
PRIMVS.

Ameti publicarum rerum administratio, bel-
lique gerendi cura deterrere me iure possunt Fe-
derice dux fortissime, ne te maximis, difficilli-
misque occupatum rebus & bellicis, & urbanis
intempestiuus ad eam. Perspecta tamen mihi fa-
cilitas tua, & rerum plurimarum studiū, atque
cognitio in eam opinionem, fiduciamque adduxere, uti existimem ni-
hil te importunum, aut intempestuum ducere, quod ad naturae cogni-
tionem, & ad eam, quae scientia dicitur, facere intellegeres. Quam
opinionem mirum etiam in modum auxere Romae, Neapolique ser-
mones inter nos saepius habiti tum alijs de rebus, tum de caelo, &
illis sempiternis ignibus, quas erraticas, aut fixas stellas uocamus,
cui earum inuestigationem rem admirabilem esse dices, & hominem ma-
xime dignum, tum propter diuinitatis communicationem, tum ob rei difficul-
tatem nobilitatemque materiae. Quid enim caelo nobilius? aut eius
inquisitione praestantius? quid item admirabilius? quam hominem
in remotissimis a caelo constitutum locis, ad caeli ipsius & stellarum
quae caelo feruntur secreta penetrare? Illud uero supra quam dici
posset, molestum tibi esse intellexi, quod diuinam rem ab illis qui eam
tractarent, indignius haberi cerneres. Aut enim nimis facile quasi-
tis de rebus pronuntiare, aut quaedam in pronuntiando sequi, quae
ab obscuris tradita auctoribus, aut male intellectis ueterum sententijs,
in usum recepta essent. Quibus est rebus maximi errores inoleuissent
& in docendo & in pronuntiando, quos pro uirili extirpare cona-
tus, Claudij Ptolemaei libellum centum enuntiata id est sententias con-
tinentem, olim male in latinum conuersum demum tibi traestuli, cuius
sola translatione nequaquam contentus, singulis sententijs commentariolum, quo
sententiae ipsae clariores essent, subiecta, stellarum significationes de-
scripsit, quantum res ipsa passa est, naturalis ad causas rationesque

accommodans. Ipsa autem commentatio nostra est tota, in qua laborasse iure fortasse gloriabimur, quando quod Graecorum Latinorumque nullus adhuc praestitit, ipsi primi praestitimus, ut stellarum naturas, actionesque ad naturae causas, effectionesque accommodaremus. quod in alijs quoque libris quos non dum emisimus, uberius, atque expressius facimus. Sed de labore, studio, industriaque nostra haecenus. Claudius Ptolemæus libellum hunc ad Syrum fratrem scripsit, quem ait fructum esse librorum, quos ante de stellarum decretis scripserat, unde *ναρὰς* Graece inscribitur, in quo quaecumque traduntur, usu, experientiaque probata esse dicit, ueritatique maxime consentire. Monet autem ne quis prius ad eum legendum accedat, quam omnes scientiae coelestis partis attigerit. Atque ille quidem haec Syro cum fratre agit. Nos uero te et hortari, et rogare non desinemus, uti commentationes has nostras sic legas, ut qui existimes magis iudicium a nobis tuum, propter singularem, quae in te est, peritiam postulari, quam laborum studijque huius nostri laudem inde quaeri.

PTOLEMAEVS

I

*A' TE et a' scientia. Fieri enim nequit, ut qui sciens est, particulares reum formas pronuntiet, sicuti nec sensus particularē sed generalē quandā suscipit sensibilis rei formā, oportetque tractantē haec rerum coniectura uti. Soli autem numine afflati praedicunt particularia.

PONTANVS

Ecce medici, nec moralis philosophi sola est cognitio, sed quaedam etiam operatio, et medici quidem curatio, moralis autem philosophi actio, eaque et honesta, et secundum uirtutem, rectamque uidetur rationem esse. Idem etiam de Astrologo dicimus, siquidem non modo coelestium corporum cognitio, sed eorum quoque quae ab illis portendantur, praedictio ad eum pertinet. Sed ipsam futurorum cognitionem, quam antiquis placuit appellare diuinationem, alij naturali quodam instinctu affecti uidentur, studio et disciplina alij. Quocirca duplex uidetur esse futurorum praedictio, altera ad uim quandam homini insitam, atque ad naturalem quosdam eius motus solutos ac liberos, omni carentes arte, referenda, altera ad disciplinam, quae ratione constet, atque observatione. Et prior illa uidetur a stellis excitari, nulla eorum quae di-

centur, quaeque coelestibus motibus indicentur, habita ratione aut consilio. Hos motus uel inconsultos, ac nulla humana arte, rationeque temperatos appellare solemus fanaticos, et eos ipsos qui sic moueantur, tum fanaticos, tum lymphatos dicimus, quidam etiam daemonicos, uulgus spiritatos appellat. Quorum omnis, ut dixi, praedictio statim referatur ad stellas. Quamquam prophetas diuino quodam afflatu uaticinatos credimus, quorum praedictiones, atque uaticinia Dei ipsius habeantur oracula. Posterior arte, id est ratione, atque observatione constat. Ac sub priori genere atque in uaticinantium ordine collocari solent Sibyllae, quas maiores nostri uel pote numine quodam afflatis tantopere uenerati sunt. Quam hodie quoque Mahometani, furentes homines, tanquam diuinum aliquod familiare numen habeant et beatos, et Deo caros dictitant, maximaque ueneratione prosequuntur. In hoc uero posteriori et haruspices, et augures, et coniectores collocabantur a ueteribus. Sed uetera sint ista. nos autem omnem diuinationem bifariam partimur, et alteram furentium esse, alteram mathematicorum dicimus. Et furentes quidem quid ipsi dicant aut non intellegunt, aut quamnam ex causa praedicant, prorsus ignorant. At mathematicus quidem tum ratione, tum observatione nititur, quae dicit intellegit, et quomodo praedicit nequaquam ignorat, cuius praedicta ab astrorum cognitione proficiantur, hoc est ab actionibus passionibusque, quae ab illis excitari solent, ut longa observatione compertum est. quarum omnium causa est motus, ad quem generatio referatur, atque corruptio, itemque ea quae generatis ipsis accidere soleant. Ad hanc autem cognitionem, cuius magistra fuit experientia, quando ab antiquis observatoribus mandata est literarum monumentis, plurimum quoque lectio conferet, praesertim doctissimi cuiusque. Sed ut bonos Poetas ars sola non efficit, plurimumque in ipsis natura ualeat, sic neque sola disciplina mathematicum perficit, in quo cum coelestium significationum interpres sit, multo etiam magis quam in Poeta necesse est uti natura ipsa uires suas exerceat, quando medicum quoque et imperatorem asseuerent fortunatum esse oportere. quod natalium stellarum beneficio illis tribuitur. Hoc est igitur quod ait Ptolemæus, a te et a scientia, hoc est ab insitatu, et a siderum cognitione praedictio est, ut intellegamus eorum quae futura sunt, quaeque ab astris significantur, praedictionem profici, tum ab instinctu naturali, atque a facultate a stellis tradita, tum ab arte, atque cognitione stellarum ipsarum et a diuturna observatione illorum quae a stellis significari sunt solita. quod etiam Manilius in carmine suo confirmat, cum ait.

Hoc quoque fati est, leges edicere fati. Etenim ut Cicero ait, nihil est faciendum invita Minerva, hoc est natura repugnante. Quamobrem excellentem mathematicum duplici oportet presidio uti naturæ, atque eruditionis. Cum autem omnis futurorum prædictio sit aut de singularibus, aut de generalibus, uidentum est in uniuersumne, an singulatim prædicere mathematicus debeat. Atqui scientia, ut naturales asseuerant, de singularibus non est, nec de ijs quæ indiuidua dicuntur, sed de uniuersalibus potius. Ergo cum Astrologia scientia quædam sit, oportet mathematicum ab enuntiandis singularibus abstinere. Quocirca recte Ptolemæus subiunxit, impossibile esse scientem, id est sola disciplina prædictum particulares rerum formas prædicere, ut qui procul rem aliquam uideat, neque enim cum hominem a remotissimo uiderimus loco, aut Lucium, aut Marcum, sed quia moueatur, quia rectus incedat, hominem esse sentimus. Et uocis quidem remotissimæ sonum tantum percipimus, cuius autem ea uox sit, aures minime distinguunt. Age consideremus hac etiam in parte medicos, quàm multa ab ijs præcipiuntur in curandis febribus ac morbis alijs recte quidem, atque apposite, sed in indiuiduis quibusdam ut etiam ipsi dicunt, eorum præcepta macta sepiissime reperiuntur. quod euenire necesse est propter multa quæ aut natura ipsa obstrusa sunt, aut quod raro, ac repente accidant incerta. Morales item philosophi licet omnia mediocritate metiantur, interrogati tamen medium illud quod sit, ad quod mediocritas ipsa referatur, respondere solent, illud a sapiente desiniri, ac tale esse, quale recta dicet ratio, adeo de quibusdam particulariter loqui recusant. Quoniam autem medici propter diuturnum usum, multamque observationem signa quædam sequantur, ex quibus euenturum quid sit in ægritudinibus iudicent, ideo Ptolemæus ait mathematicum conijcere res oportere, hoc est sequentem signa atque ea quæ diuturno sunt studio obseruata, de futuris dicere. Quod si medicorum sæpe numero ingenia hæsitant, propter corpora ipsa nostra quæ cælestes motus sequantur, atque ob occultas morborum causas, quanto magis æquum est in prædicendis futuris tubare mathematicum? tum propter rerum ipsarum quæ contingunt uarietatem, inconstantiamque, tum propter stellas ipsas, quarum naturas incognitas habeat, ex illo enim infinito stellarum numero, paucarum admodum uires, naturæque, eæque non usque quaque humana solertia comprehensæ sunt. Adhuc satis compertum est pro subiecta eas materia, proque locis, ac regionibus agere, quædamque homini aut libera permissa esse, aut ea moderari ra-

tionem, ac modo posse. Postquam autem Ptolemæus dixit impossibile esse rerum cœli peritum particularis res prædicere, duplicemque diuinationem fecit, cum omnis aut de uniuersalibus aut de singularibus rebus prædictio esset, subiecit numine afflatus, id est diuino quodam spiritu concitatos particulares rerum formas solos prædicere, ut uideatur disciplinam id est stellarum scientiam a prædictione particularium omnino seiungere, eamque solis illis relinquere, qui a stellis ipsis id est diuino afflatu concitati uaticinantur. Sed quæramus ista etiam diligentius, nam si de nullis particularibus mathematicus pronuntiabit, uix pauca quædam ei pronuntianda relinquuntur, quando etiam rustica ex Lunæ Solisque prognosticis diutius obseruatis prædicunt pluuias crastinas, futuros item uentos, atque a qua sint cœli regione flaturi. Qui si de particularibus his certa pronuntiant, cur non Astrologus et ipse dicere de futuris quibusdam particularibus audeat? quorum iudicium non tam sit a secundarijs, quàm a stellis ijs, a quibus secundaria ipsa moueantur. Et medici quanquam multa in uniuersum de febribus ac morbis differunt, tamen de singulis etiam febribus subtilissime, minutissimeque præcipiunt. Idem prædicunt quo die, qua etiam hora periculosiores futuræ sint accessiones, quibus ante quàm ueniant, remedia quoque adhibent. Iubent etiam aliter iuuenem curari, aliter senem, aliter æstate, aliter hyeme, aliter eum qui calescat multo sanguine, quàm qui atrabili sit arefactus. Quæ nisi particularia sint, nescio quid sit, quod dici iure possit particulare. sed tamen, ut dictum est, in indiuiduis quibusdam hæsitant. Mathematicus quoque ubi intellexit ex stellis id significantibus bellum excitatum iri in Italia, si urbem teneat genituras, hoc est signa ascendentia, et significantes planetas, item quæ faueant, quæ ue minitentur stellæ, compertum habeat, nimirum prædicere poterit, his quàm illis urbibus magis bellum imminere. Idem de pestilentia, de caritate annonæ. sed nec attentabit ut etiam quærat quanti uenire habeat aut uini cadus, aut frumenti sextarium, aut quot sint homines peste interituri, quis pronuntiare poterit, aut uinum quod triticum futurum carius, aut ex biliosis plues quod ex pituitosis, id est phlegmaticis interituros, propter naturas stellarum, quas plane cognitas habeat. Idem cum nati alicuius genituram cõperit habuerit, ferre poterit sententiã an futurus sit adulter, inque rebus Veneris intemperatus, quot autem sit cogniturus mulieres, et Clodiã ne, an Albinam, Gaditanamne, an Syracusanam, ut nominatim est patriã, ac parètes explicet, prædicere mathematicus nec potest, nec debet. è enim aut omnino impossibile, aut maxime omnium difficile. Tomæ

futius qui patrum nostrorum memoria i Umbria clarus habitus est uates, Fulgineæ cum esset, & uatum more multa prædiceret, ciuibus quibusdam consulentibus quando Trincij qui in ea ciuitate principatum obtinebant, diē essent obituri, respondit, qua hora cāpana prætoria effringeretur, quod non multo post contigit. nam cum Fulginate aduersus Trincios coniurassent, conuenissetq; inter coniuratos de die, & item loco, signū autem adoriundi, prætorie illius cāpanæ sonus constitutus esset, demandatumq; id ex coniuratoribus uni, is cum signū daret, et illi facinus signo accepto aggressi iā essent, inter primos pulsatus cāpana fracta est, ut eodem penē momento ipsi etiā domini cæsi fuerint. Paucis ante annis i Aegypto in urbe quā Cairū hodie uocāt, cum equites duo quos Mamalucos dicunt, simul equos ad fontē appulissent, uatem ferunt quendā exclamare cœpisse, ad eius autē clamores frequentem populū conuenisse, quosdam etiam percontatos esse clamoris causam, tum uatē respōdisse, uidere sese duos simul Soltanos, sic enim Reges appellant, equis insidere, quod uaticinium non multo post cōprobatum re ipsa fuit, nā qui tunc regnabat diem cum obiisset, duo illi de regno inter se di gladiati dicuntur. Quæ Martius uates Romanis olim uaticinatus fuerit, tū alijs de rebus, tum Cannēs de clade, apud Lium est uidere. Hi sunt igitur quos Ptolemæus ait particulares rerum formas prædicere diuino quasi numine concitatos. quorū omnis siue furor, siue concitatio ab astris est, quorum ipsi nec significationes teneant, nec illorū naturas aut motus intellegunt, estq; ut Ouidius inquit, Deus in illis, quo agitante calescant. quoniam sedibus ætherijs spiritus ille uenit. Ex his quæ dicta sunt, planē ostensum uidetur, quot sint prædicendi genera, & quibus de rebus sit tum mathematicorum, tum furentiū prædictio. Quare ad reliqua transeamus.

PTOLEMÆVS

II

CVM is qui consultat, ipsum melius scrutabitur, inter id et eius formam nulla rerum differentia erit.

PONTANVS

Hæc sententia ad auspicationes, consultationes et rerum incepta, atq; ad animorū motus, ubi quid primum decernimus, aut aliquid aggredimur maxime pertinet. Inquit enim quo tempore quis facere aliquid decernit, hac equa hora aut agere, aut facere gypia proponit, capitq;

consilium aut cogitationem rei cuiuspiam aggrediunda, si cœli figuratio & cœlestium corporum status inspiciatur plane intellegatur, eius propositum, consiliumq; ac deliberationem cœli ipsius informationem sequi, talemq; formam esse rei quæ agenda suscipitur, eamq; in animo decernentis factam impressionem, qualem & cœlum, & cœlestis figuratio informauit. Sed euagemur aliquanto liberius. si cœlestis motus causa est eorum quæ hic fiunt, atq; inferiora hæc corpora superiorum corporum agitationes sequuntur, necesse est ut inquirenti rerum inferiorum causas appareat ipsum melius, hoc est id quod præstat, quod primum est, & ut ita dicam, principale, & a quo tanquā a meliori id est ab agente causa, hæc ipsa inferiora moueantur, id autem est cœlum, & quæ cœlo feruntur corpora, a quibus inferiora formantur, siquidem causæ sunt cur hæc ipsa fiant. Græce est ἡ ἀρχὴ τῶν, quod nos nō in conueniēter fortasse cœli nomen diceremus. Quoniam autem generatio non est a casu, & quæ genita sunt materia constant, ac forma, oportet materiam adesse idoneam, appositam, formæ ipsius aduentantis susceptibilem. Parare autem materiam, ac postea informare, quod uirumq; fit suo tempore, & cœli est, & cœlestium corporum. Quō circa cum nec actio, nec passio quæ est a stellis, sit a casu, sed pro natura tum suscipientis tum informantis, qui rimatus hæc fuerit, planē compertum habebit, talia hic fieri, qualium cœlestes causæ fuerint institutrices. Quamobrem serenitates, pluuie, tempestates, frugum proventus, inopia, salubritas, pestilentia, quæq; alia in terra, aqua, aere fiunt, cœli naturam, ac cœlestium corporum agitatus sequuntur. Quin etiam ipsæ quoq; hominum mentes ab imaginaria uī pro natura planetæ imaginariam ipsam mouentis afficiuntur, talisq; est hominis corporatura, qualem cœlum ipsum in generatione concinat, habita etiam ratione parentum, ac patriæ. Ex quo fit, ut ingenituris, in consultationibus, in rebus incipiendis cœli figura, cœlestiūq; corporum constitutio nihil prorsus differre habeat a formis ijs quæ ab ipso statuuntur, immo illis simul euentum indicat, effectumq; promittit. Nec uero audiēdi sunt q opinatur sentire hic Ptolemæū de orbibus cœlestibus ut pote animatis aduersus eos qui aliter crederent. hæc enī uerba nihil omnino eiusmodi præ se ferunt. Quin Ptolemæus, ut prudens & cautus author, cum de stellarum significationibus deq; prædicendis earum effectibus præcepturus esset, in ipso statim initio docuit, qualia a cœlo decernerentur in terris fieri. quod nisi esset, uana omnis uideri poterat mathematicorum prædictio. At uide quā apposite, quod cum superiori uerbo de mathematici dixisset officio,

Et quod esset, ostendisset, docuissetq; eum in generalibus prædictionibus uersari, statim subdidit, talia in composito hoc mundo fieri, qualia decernantur a stellis, ut ostenderet materiam in qua mathematicus uersaretur, nec uanam esse, nec fallacem. Non solum autem in genituris et inchoandis rebus, ut dixi, coelum diligenter inspectum, ac stellarum figuraciones, locorumq; naturæ probe examinatae quid et quale futurum sit indicabunt, sed in consultando quoq; et in ijs, quæ in interrogationibus a recentioribus dicuntur, quamuis Interrogationibus ipsis fides non tam certa sit adhibenda, quod nonnunquam ea quæ naturalis commotio putatur, uoluntas est, mentisq; cogitatio a consilio, rationeq; proficiens. Quamobrem sententia hæc non ad animi solû commotiones, rerumq; incepta accommodanda est, sed ad alia quoq; quæ in ipsis elementis fiunt, et tanto quidem magis, quod elementa cœlestes commotiones propensius sequuntur, quibus humana mens nec statim accedere, et aliqua ex parte obsistere queat. Qui tamen Græce hæc Ptolemæi dicta explanat, de genituris et quæstionibus solum intellegit, Cuius uerba sunt hæc, In Interrogationibus geniturisq; iustæ figuraciones stellarum, ipsum melius id est cœli informans corpus nullam prorsus in aliquibus sui, rerumq; informatarum differentiã habet, uerum sui similem eis efficaciam indicat.

PTOLEMÆVS

III

QUI ad rem quampiam aptus est, habebit profecto et huiusmodi significationis stellam admodum potentem in sua genitura.

PONTANVS

Superiori uerbo cum esset dictum species rerum earum quæ hic fierent agerentur uel cœli, ac stellarum decreta sequi, conuenienter subiicitur, naturalem ad rem aliquam hominis aptitudinem, eiusq; propensionem applicationem cum facultate et excellentia ab eisdem stellis id ipsum significantibus tribui, cum optime fuerint in natiuitatibus collocatæ. Neq; enim sine maximo sit cœli fauore, aut hostilitate, ut ille in disciplinis aut in re bellica, alius in facultatibus alijs admirabiliter excelleat. hic uero abiecta quadam torpescat in ignauia, ut pote naturali beneficio destitutus. Etenim cum sit a Marte uirilitas, si uiriliter homo in inspecta sit genitura, plane apparebit Martem in primarijs cœli

locis atq; insignis conuenientibus, siue in altitudine sua cum aliqua etiam fauorabili coniuñctione, aut aspectu esse collocatum. Item si intellegentes sunt a Mercurio, inspecta intelligentis hominis natiuitate, ipsa nobis natalitiæ figuræ constitutio indicabit a signis, locisq; propitijs, Mercurij adesse præsidium, quibus ipse in locis cum maiestate quadam potestatis suæ præsit. Experti prodimus, qui Mercurium in Geminis in domo tertia collocatum habuit, atq; a Sole remotum, euasisse clarissimum in literis, ac ingenij sui uiribus, assiduaq; lectione, absq; multæ præceptorum opera consequutum, ut et philosophiam, et astrologiam optime teneret. Etenim Mercurius in tertia genituræ domo positus in suis præsertim signis si a nullo impugnetur, siq; a Sole remotior, admirandum præbet nato ingenium, ut quas ad artes eum naturaliter impellit, illas non modo facile discat, sed multæ quoq; per se natus ipse inueniat, cunctaq; quæ ad eas quas sequitur artes pertineant, ingenij sui felicitate et cito, et facile consequatur. Idem et de stellis reliquis dicendum. Sed quod de singulis dicimus hominibus, affirmari etiam de populis recte potest. siquidem Athenienses mirum in modum fuere literarum studiosi, Lacedæmonij uero contra. Syros auaros efficit frigida Saturni stella, at uiolentus Martis ardor Gallos stolidos, atque inconsultos reddit, ut hæc ipsa cœli, ac stellarum uis etiam nationibus imperare uideatur. quod cur ita sit uideamus. Mens hominis quicq; intellectus dicitur, sensibus perinde, ac ministris utitur, et quicquid agit per illorum ministerium, ac famulatum agit. Is ea quæ oculis cernuntur, auribus concipiuntur, naribus, lingua, tactioneq; sentiuntur, sibi oblata distinguit, quorum etiam causas querit, quibus inuentis de ijs recte iudicat. Quo circa uis ea quæ phantasia dicitur, quæ receptaculum est et tanquam penus eorum omnium quæ sensus concipiunt, ad intellectum quæ concepit transfert. ea tum uisa, tum simulacra dicuntur a nostris, Græci uocant φαντασία. Sed cum sensus ad phantasiã hoc est ad imaginariã uim, sic enim appellare placet, imaginariã ad intellectum, atq; ad animum conceptu transmittat, ipsa quidẽ imaginariã ab humoribus mouetur, celerius tamen aut tardius, acutus aut hebetus, pro humorum qualitate ac natura, qui licet quatuor sint, infinitas tamen, atq; incomprehensas mixturas habent. Porro humores ipsi elementorum naturas e quibus constant, sequuntur, quæ cœlesti a motu, corporibusq; quæ cœlo feruntur, affici manifestum est. Tales itaq; cuiusq; instinctus atque commotiones sunt, quales ab humoribus e quibus compactus est, excitantur. Igitur cum frigus metum, calor fiduciam gignat. Mars calorem

impellens, animos facit. Saturnus frigus cohibens, & animum cohibebit, Et illum quidem imaginaria excitabit ad uirilitem, ad libertatem, ad elationem, ad libertatem, quæ caloribus sunt. hunc uero ad ignauiam, ad auaritiam, ad humilitatem, ad simulationem, quæ frigiditas sunt. Atque hoc quidem pacto & uia hac planeta uires in nobis suas exercent. Has naturæ commotiones, & planetarum, ut ita dixerim, influentias, motus quoque uoluntarij plerumque sequuntur, & qui instinctus erat, applicatioque naturalis, actio aut electio efficitur uoluntaria. Atque uti stellarum temperamenta multiplicia sunt, sic ipsorum quoque humorum multiplices mixturæ. Quibus est rebus hæc tanta existit ingeniorum diuersitas, totque uarias ad res animorum applicationes, ut quod in singulis uidemus hominibus, uideamus et in nationibus. Namque ut uis hæc Marium bellicæ, Ciceronem oratorie studiosum fecit, sic Athenienses ad literas, Romanos magis ad armorum exercitationem excitauit. Quas ad res patrij mores, leges, institutaque multum etiam conferunt. In omni autem hoc libro planetas nunquam, sed asteres semper Ptolemæus nominauit, quanquam asteres solum planetas intellegi uult. quem nos in his conuertendis secuti sumus, quod præmonuisse forsitan alienum non est, ut cum stellam legeris, nisi fixam addiderimus, planetam intellegas.

PTOLEMAEVS

IIII

ANIMA ad cognitionem apta ueri plus assequitur, quam qui supremum in modum se in scientia exercuit.

PONTANVS

Et a stellarum munere, & a rerum cœli peritia prædictionem esse superius est ostensum. Quando autem imitatrix naturæ est ars, dubitandum non est quin naturæ ipsius primæ sint partes ad prædicendi ueritatem, et quod a natura insit, uerum plerumque esse maiorum, quam quod ab arte. Itaque si in questione sit, naturalis ne uis, an studium cognitionis, atque doctrinæ plus ad prædicendum conferat, primæ partes concedendæ sunt naturæ. Siquidem anima a stellis concitata ea sentit ex se quæ ab ipsis stellis significata, ars quodammodo mendicare uideatur. Et quod superius de poetis est dictum, prima in mathematico ut in poeta ingenij uis est, naturalisque aptitudo, qua deficiente ars ipsa manca uideatur. Cum enim quæ a natura insunt perficere ars soleat, frustra studio

nitimur,

nitimur, ubi nullum nobis adiumentum a natura tributum est. Quarta hac Ptolemæi sententia licet ipsa est superiore sententia enascatur, confirmantur tamen etiam illa quæ in primo uerbo dicta sunt a nobis, de instinctu & concitatione naturali. Illud etiam inspiciendum, quod uehemens uis ingenij, & insita a stellis aptitudo, etiam leuibus aduinculis adiuta magnos ex sese conatus habet, celeresque commotiones & ad cernendum & ad iudicandum. uerbi gratia, Quæ dicuntur secundaria dubium non est quin significationes suas habeant, nam cum sint a stellis excitata propter proprias actiones in primis corporibus futuras indicant tum pestes tum siccitates, tum alia permulta, quorum quidem effectus est posterior, ipsa uero quasi quædam sunt eorum signa. Hæc igitur secuta ingenij uis, ac naturalis illa de qua dictum est aptitudo, et tanquam uestigijs quibusdam inherens ea sentit, præuidetque suo illo instinctu, insitque a natura sagacitate impulsæ, quæ ars ipsa aut minime, aut certe quam difficillime assequatur. siquidem natura paucioribus, ars pluribus indiget. Quamobrem fateamur oportet ingeniosum hominem & a natura bene institutum ueri plus hoc est maiorem rerum cognitionem ingenio dum illud exerceat, assequi, quam qui multo studio ad summam peruenerit disciplinam. Quæ sententia quoniam artes quoque, ac disciplinas planè omnes complecti uidetur, sic quidem sentiendum est, qui philosophiæ, qui iuri ciuili, qui poetiæ dant operam, qui denique facultatibus alijs studet, eos & facilius & citius omnia consecuturos, quæ artis suæ fuerint, si naturali beneficio adiungetur, quam qui repugnante quodammodo natura licet multo studio ad illa peruenire conantur. In illis enim exiguis etiam usus, exercitatioque mediocris maiores profectus adducit, quam in ijs maior eruditio, summis etiam uigilijs comparata. Neque tamen hoc ita intellegendum est, ut natura non sit usu, atque exercitatione etiam multa confirmanda. Sed ut sterilis ager licet sæpius subactus nunquam uberis agri, si is quoque solertem colonum habuerit, felicitatem assequatur, sic hebetis hominis quamuis diligens studium, ac cura nunquam ingeniosi hominis, si is sibi non defuerit, laudes, atque excellentiam adæquabit. Illi enim euadere solent quam clarissimi, quibus a natura cum excellens ingenium datum sit, illud hebescere non patiuntur. confitenturque est naturam in plerisque arte potentiolem esse. quod facile apparet res humanas consideranti. Namque, ut de Poëtis exempla tradamus, adolescentulos quosdam uidemus tenui doctrina præditos, maximus tamen ingenij uiribus adiutos, uersus egregios facere, cum ij qui in ea facultate conseruere, uix assecuti sint, ut uersificentur. Et cum in

Italia etiam sponte sua nascantur uites, eas quamuis magno cultu operâq; adhibita alere Cimbricus ager nequit. Hoc est igitur quod Horatius præcipit.

» Tu nihil inuicta dices faciesq; Minerva.

Atq; ut Virgilius inquit,

» Nec uero terræ ferre omnes omnia possunt.

Quamquam autem in omnibus tum artibus, tum disciplinis insita a natura uis sanè multum potest, plurimum tamen in futuris prædicendis uis hæc pollet, quod in artibus consilium, ratioq; et ipsa exercitatio maximum adiumentum afferunt. At in futuris diuinandis, quod ea uis a cælo magis quam ab arte proficitur, natalis cæli constitutio plurimum ualet. Quando consilium, diuturniorq; cogitatio, ac rerû pensitatio, quod in furētibus ac fanaticis secus est, naturales impedire commotiones solet. Quod autem ad translationem ipsam attinet, ne a Græco uerbo discederem, animam dixi, quod accipis sic uolo, ut animæ uis intellegatur ea per quam sentimus, intellegimus, cogitamus, atq; ad rerû cognitionem scientiâq; pedetentim progrediendo puenimus. Animû maiores nostri dixerunt. et cum animam habere etiâ pecudes dicerēt, solis hominibus animû Dei munere, atq; concessu datum arbitrabatur. Illa inq; uis potestasq; per quâ sentimus, intellegimusq; atq; cogitamus & mens, & intellectus dicitur, quo qui acutiore, acrioreq; præditus est, ingeniosus dicitur. ut liceat hic dicere animam ad cognitionem aptam, id est ingeniosum hominem, atq; a natura ad cognitionem, atque ad νόον (ut Græce dicitur) aptum, natumq; longe uerius per se futura sentire, atque uaticinari, quam qui arte, longaq; exercitatione, ac doctrina etiam summa fretus futura prædicat. Inde enim ingenium dictum est quod a natura ingenitum insit, quam tum agri, tum loci ingenium id est naturam licentia quadam loquendi dicimus.

PTOLEMÆVS

V

POTEST qui sciens est, multos stellarum effectus auertere, quando naturam earum nouerit, ac se ipsum ante illorû euentum præparare.

PONTANVS

Cum elementa ipsa inuicem conuertantur, necesse est ut corpora quoque nostra quæ ex illis constant, alternas immutationes suscipiant. Quod

si terra in ærem transit, quanto erit facilius adhibita diligenti opera, corporum nostrorum qualitates, hoc est calidum frigidum, frigidum calido temperare, quod medicorum opus & studium est. Cum itaq; conuersiones corporum, quæq; hodie dicuntur complexiones, incrementum, ac detrimentum suscipere aptæ sint, & quod calidum est transire ad frigidum queat, nimirum poterit calida natura adhibitis frigidis temperari, ac sicut humidis, humida item siccis, quod ars cura diligenti adhibita procul dubio præstabit, ipsa rerum non repugnante natura. Quocirca si ob minacem Martis aspectum cognitum sit astrologo, ex sua ipsius genitura, atq; ex anni conuersione fore, ut in ardentiores febres incidat, poterit solerti medicorum opera ante prouisa febris uel omnino auerti, uel magna saltem è parte leniri. nam cum febrē illam excitatum iri è nimio calore intellexerit, solers medicus cibis, potionibusq; frigidioribus diutius adhibitis calorem illum moderabitur. quo modificato urens illa Martis uis, cum in humecto incendi nequeat, uel omnino extinguatur, uel magna ex parte sedetur oportet. Item si hosticus Saturni aspectus perniciosos humores excitaturus intellegatur, idq; per atram bilem, hoc est melancholiam euenturum appareat, poterit prudens medicus aridum, frigidumq; humorem humectis calidisq; modo, mensurâq; adhibita temperare. Atque hæc quidem auersio non in ijs solum quæ ad morbos pertinent, uerum in euitandis quoq; aut leniendis humanis casibus momenti multum habet. Nam si prouisum sit naufragium, poterit a mari, fluminibusq; si uulnus, a contentionibus, ac pugna continere. si Mars uulnus pectori inuitetur, thorace, loricaq; tectus incedere. qua ratione in conferendis cum hoste manibus uulnera euitari sæpissime soleant. Etenim in casibus quibusdam, licet periculū euitari omnino nequeat, damnum certe prohiberi aut omnino, aut magna è parte solet. siquidem mucro thorace prohibitus pectus raro penetrat. Quoniam autem non omnia uinci prudentia possunt. itaque Ptolemæus dixit multos stellarum effectus auerti posse. Non posse uero omnia superari quæ a stellis significantur, tum aliàs sæpissime, tum nuper docuit tanta in ora Tarentina & Crotoniensi cæli siccitas, ut non armenta solum sati enecta dicantur, sed coloni iam coeperint alio immigrare, cum putei, fontesq; exaruerint, & pabula, segetesq; defecerint, aëre decimum iā mensem nullos hymbres mittente. Quamobrem quando auerti prudentia cuncta nequeunt, recte Ptolemæus subiunxit, posse inuenire sese ad ea toleranda, quæ euentura sunt acerbâ, & grauiâ. quæ enim prouisa sunt, minus lædunt, repentina uero afficere grauius solent.

COMMENT.

Ergo cœli minæ, ut fames, id est annonæ caritas, ac uictus egestas, ut bellum, ut alia permulta diligenter prouisa, & cauta, necesse est multo minus offendant. Atq; hic quidem est fructus qui ex cœlestium significationum cognitione cum maxima etiam utilitate percipitur. Illud hoc loco monuisse lectorem uolumus, quæ Græcè est *ἰνέρεια*, nos & effectum, & uim, & operationem, actionemq; solere dicere, expressius tamen efficacia dicitur, quo uerbo usum sepiissime uidemus Iulium Maternum rerum cœlestium scriptorem plane accuratum, ac diligentem.

PTOLEMAEVS

VI

TUNC dierum prodest & horarum electio, cum tempus à genitura bene constitutum est. Si enim contrarium est nequaquam profecerit, quamuis bonum fortasse exitum respexerit.

PONTANVS

Ea cœli pars quæ hora natiuitatis supra terras ascendit, unde à nostris appellatur ascendens, Græci *ὑπόκροτον* uocant, ea inquam cœli pars, id est primus cœlestis constitutionis ac figuræ locus principium & tanquam radix est omnium quæ nato uoluentis annis sint euentura, ut si quis complicatum finem explicet, omnis enim illa ad finem usq; explicatio ab ipso explicandi principio ortum & consequendi seriem ducit. quæcunq; autem ad finem contendunt, ea suis profecta principijs per media, quibus est ad finem uia, contendunt. nihil uero huiusmodi fit à casu, sed ordine constat suo. Cum itaq; nihil sit cœlo magis ordinatum, generatio autem, atq; corruptio, ut physici consentiunt, sit à cœli motu, satis constat quæ generata sunt sua per media ad corruptionem id est ad exitum, finemq; contendere, Cum autem corruptio non uno fiat modo, nec ex causa una, necesse est, media ipsa talia quidem esse, quæ fini, id est corruptioni conueniant. quæ si cum fine conueniunt, cum eadem ipsa media sint, per quæ ad finem eatur, non erunt ab ipso principio dissidentia, quando ab eo seriem, ac progressionem trahunt, quod esse necesse est, siquidem ordine constant, ac tempore. Quamobrem futurorum series in hominis uita, quod cum hora natiuitatis connexionem, ac complicationem habeat, atq; ab illa explicari incipiat, recte dicitur, electiones dierum, horarumq; utiles esse, ubi cum genitura conuenerint. recte reprehenduntur qui nulla genituræ ratione habitæ

LIB. I.

ratione habitæ solam sequantur electionem. Etenim in arboribus inserendis quanq; arborem ex quaq; arbore insitionis periti minime inserunt, sed quæ naturalem inter se conuenientiam habeant, nec omnibus corporibus omnia alimenta conueniunt, aut idem morbis omnibus remedium est. Quocirca qui gerendis rebus initium à die rum, atq; horarum electione auspicantur, inspicere ante omnia debent quæ fuerit in hora natiuitatis stellarum figuratio, qui situs, atq; significatio, quæ series decernendi per loca singula, qui significatores & quales, quomodo etiam collocati, quid portendant triangula id est triplicitates, atq; earum domini, quis morum dator, quis artis, dignitatis, honoris, magisterijq;, quis ite genituræ dominus, et quàm sit commode collocatus in figura. Fortunæ etiam pars cum primis consideranda, & dominus loci eius, aspectusq; planetarum. Quibus postea in unum collatis, & tanquam temperatis, ferendum est de natiuita, fortunisq; iudicium, uidentumq; non solum à quibus stellis, atq; à quo cœli loco quid aut quantum sit sperandum, sed quo etiam tempore, annuarum quoq; conuersionum diligens ratio habenda. Quæ omnia ubi constiterint, eritq; stellarum, ac cœli fauor perspectus, tum electiones ipsæ nimirum profuturæ uidentur. Sin natiuitas ipsa nil eiusmodi sperandum suaserit, inanis erit electio, ut si quis homini in ultima senectute constituto, ac uiribus defecto arma ad pugnantium affabrefacta parat, quæ iuueni conueniant. Quid autem inanius quàm cui nulla in religione dignitas à genitura promissa sit, eum diem, horamq; eligere suscipiendi ad pontificem itineris pro sacerdotio impetrando? Quin etiam cum à cœlo tempora ipsa decernantur, quibus quid sit euenturum, & hæc quoq; expectanda sunt. Roma nanq; tum iuuant cum sunt matura. atq; ut tempora ipsa constant, anni planetarum obseruandi sunt, & ad quem planetam annus ille, in quo fit electio, iam peruenerit. Nuper familiaris quidam meus annuæ suæ reuolutionis figuram ad mathematicum detulit, quæ Solem ascendentis dominum habebat in cœli medio, partemq; fortunæ bene collocatam. is mathematicus fore asseuerauit, uti natus ille eo anno maximo aliquo bono à principe afficeretur, eam enim reuolutionem magnificam & regalem esse, ac nato illi excellentem aliquam dignitatem portendere. hoc ego cognito uix risum tenui, quippe qui scirem nihil ei huiusmodi à genitura decerni, sed pauca quædam eaq; exilia à Sole promitti. Vide quo res redijt. Vendiderat Rex castellum quoddam homini pecunioso, ad cuius possessionem tradendam familiaris ille missus est meus. Is eò cum uenisset, sedit regio more pro tri

būnali, iussitq; castellanos iurare in Regis primo, deinde in domini illius uerba, cum interim ad eius pedes populus procumberet. qui honos Regibus habetur. atq; hoc factō domum redyt. Hæc itaq; fuit eorū omnium summa, quæ a mathematico illo tam constanter promissa fuerant. Quocirca i electione faciendā natalitiæ stellæ si bene se habuerint, omni oppressione, obstaculoq; liberæ nimirum bona accumulabunt, oportet tamen prudentem mathematicum natiuitatis significationes cum electionis significationibus comparare, et tempus quærere a natiuitate decretum, ut omnia simul conueniant. Quod si hæc ipsa ita quidem se habuerint, ut nec conueniant, quinimmo ut natalitiæ stellæ oppressæ, atq; impeditæ langueant, nihil electio ipsa profuerit, licet felices stellarum applicationes, earumq; progressiones ad dominantia cœli loca, suasq; in domos ingressus secuti fuerimus, ut si quis nuptijs diem, horamq; auspicietur, quæ Venus idoneum cœli locum teneat, quæ Luna ad Iouem feratur, idq; etiam obseruet, ut Venus aut domum suam, aut signum in quo exaltatur ingressa sit. quod & si commendari potest, tamen uidendum prius est quales nuptias natalis cœli constitutio promiserit. Fieri enim potest ut locus qui hac in electione septimus est, fuerit i natiuitate duodecimus aut sextus aut male etiam fortunatus. quod ubi contigerit, auspiciatio quantumuis prospera infelicitate uertet. Quin potius auspiciandis nuptijs natale signum bene feliciterq; collocandum est, ut benignis radijs a Ioue, Veneræq; illustretur, ut nuptiarum significator sit bene constitutus, ut Luna presidium suum conferat. Sin hæc omnia conuenire simul nequeunt, illud certe uidendum ne aduersus infelicitum planetarum radijs feriatur. Illud tibi ex Ptolemæi sententia affirmare nõ dubitem, si turpes, atq; infelices nuptias natalis cœli constitutio portenderit, frustra horæ & diem eligi, frustra felices stellarum aspectus quæreri, frustra planetarum amicitias coniunctiones expectari. Neq; enim arbor retorrida quamuis uiridem, ac ualentem gemmam inseras, aut recipit, aut receptam diutius alit. At ubi honestas, felicesq; nuptias genitura promiserit, boniq; electio auspicij fuerit, credibile est non paruum inde adiumentum natali bono accessurum. Sin secus, ut dixi, licet eiusmodi auspiciatio subblandiri uideatur, parui tamen futura est momenti. ut languenti corpori, & in mortem iam inclinanti adhibita fomenta quamuis aliquantulum iument, quamuis non nihil spei afferant, nihil tandem proficiunt. Quod si genitura ipsa infelix, infausaq; nequaquam fuerit, imbecillior tamen conferendis bonis uideatur, sperandum est firmitatis, ac presidij aliquid felici ex auspiciatione collatum iri. Nã

& corpora imbecilliora sumptis melioribus cibis confirmantur, non tamen ut uires maiores supraq; corporis ipsius naturā accipiant. Sed ad ipsorum uerborum Ptolemæi interpretationē redeamus, quæ quidem est huiusmodi. Electio dierum, & horarum tunc utilis futura est, cum aduenit tempus, ipsaq; temporis opportunitas, quam genitura configuratio, stellarumq; genitalium efficacia promittebat, ut figura quidem genitura, cum electionis figura conueniat. Fecit autem mentionem primo de dierum electione, post etiam horarum, quoniam in quibusdam electionibus satis est diem eligere, quo Luna coniungitur planetæ accommodato negotijs, pro quibus electio fit, aut planeta ipse domicilium suum, aut altitudinis suæ signum ingreditur, aut ad felicem aliquem aspectum peruenit. Alibi uero satis non est diem solū eligere, nisi horam quoq; eligas, ac cœli totius figuram constituas, primarijsq; in locis planetas & cardines statuas, adhæc cardinum, ac rerum significatores bene feliciterq; colles. In qua tamen electionis figura statuenda, stellisq; atq; cardinibus feliciter collocandis, illud in primis uidendum est, ut perspecta natali configuratione inspicias non solum si a genitura nato illi promissum est illud pro quo electio suscipitur, uerum etiã si tempus ipsum præstandi promissi iã aduenit. si quidem alijs statim in ipsa iumenta bona promittuntur a cœlo, alijs ad ultimam senectutem. Quocirca temporis a cœlo constituti ratio in primis habenda est. Mendicauerunt multi in adolescentia, quos postea senectus locupletissimos reddidit, quin etiam obscurissimis quibusdã hominibus contigit in Pontifices Maximos euadere. Itaq; si tempus a cœlo præstitutum nõ dũ aduenit, nihil profuerit felicem electionem fecisse. Quamobrem duo hæc attendenda uidentur, alterum si a cœlo eiusmodi res promittitur, alterum si præstandi promissi tempus aduenerit, etsi tempus promissi ipsius aduenire nequit, si a cœlo bonum ipsum initio promissum non fuerit. Quod si contrarium fuerit, hoc est ut tempus illud, temporisq; opportunitas a cœlo decreta nõ dum aduenerit, electio ipsa quamuis benigna, nihil omnino profecerit. Etenim stirpem quantumuis ualentem si tempore non suo pangs, haud multo post arefcet, et semen non sua tempestate sulcis ac terræ etiam diligentissime cultæ commissum nullũ collono profectũ afferet, adeo in rebus ipsis tempus expectandum atq; obseruandum est. quod ubi obseruatum non fuerit in electione suscipienda iuxta genitura constitutionem, frustra quis eliget, quamuis bonum exitum respexerit, cœlumq; ac planetas ipsos ita in electione statuerit, ut stellæ totaq; ipsa configuratio benignum ac felicem exi-

tum rei suscipiendae polliceantur. Quod autem dicit fortasse, uult innuere, non putare se aliquem facturum figuram electionis praeter generaturae constitutionem, tamen si fortasse fecerit, affirmat eum frustra omnino fecisse.

NON potest quispiam stellarum mixturas percipere, nisi naturales prius differentias mixturasque cognouerit.

Primo nobis uerbo declarauit Ptolemaeus uersari mathematicum in futuris praedicendis, et quidem generaliter, duplicemque esse diuinationem docuit. Secundo inferiora corpora caeli et stellarum motus, ac naturas sequi, ne quis uanam opinaretur mathematicorum praedictionem, quae a caelo stellisque deduceretur. Tertio tradidit, uehementes animorum applicationes, et insitam a natura ad res aliquas propensionem proficisci a stellis atque a magna alicuius earum in natiuitatibus auctoritate ac uiribus, ut non solum in rebus alijs compositis mixtisque, sed in homine etiam ipso ostenderet et caelum et stellas uires suas exercere. Adhaec cum quaeri posset, ars ne atque eruditio, an uis naturalis atque a stellis insita plus ad diuinationem, ad scientias, atque ad facultates alias polleret, in quarto haec explicauit. Et quia quaeri item poterat, quae foret utilitas hominum generi ex praedictione, futurorumque cognitione, docuit in quinto, multa mala quae a stellis portendantur, ubi cognita prius sint, auerti posse. Quoniam uero rerum futurarum series quaedam esset atque connexio, auspicationesque quas nunc uocant electiones a natiuitate defluerent, uerbo superiori aperuit, quando utilis futura esset electio. In hoc autem de quo nunc agitur uerbo, quia difficile uideretur, cum stellae tam sint a nobis remotae, qua uia actiones moresque hominum qui ratione praediti essent temperaret, docet astrologum ea quae de stellis iradat, ad physicas debere rationes accommodare, nec posse aliter recte iudicare. Ex quo palam fit, quae stellae in nobis agant, ea naturaliter agere. quoniam earum est augere, imminuere, incedere, sedare, acnere, obtundere humores qualitatesque, ex quibus constamus, ex quarum motu atque effectione excitentur in nobis irae, cupiditates, uisa quae dicuntur phantasmatum. quos motus, mentis nostrae cogitationes, ipseque et intellectus postea sequatur. Ad re

itaque ueniamus. Satis constat triplicem animae uim esse, ei que tres inesse, ut hodie uocant, potentias irascendi, appetendi, ratione utendi, id est uim irascibilem, appetibilem, rationalem. Iras, appetitionemque, uirtutes quae dicuntur morales et contraria eis uitia sequuntur. Ratio uero quanquam est omnium magistra et moderatrix, tamen eae quae intellectiuae dicuntur uirtutes, ad rationalem solam referuntur. Singulis his potentis singuli praesunt planetae, non quod aliorum radijs non multum etiam conferant. Mars praest irascibili, siquidem ira existit a sanguine ad cor effervescente. Martis enim est rubra bilis, quae Graece dicitur χολη. hodie tamen in ore omnium est cholera, quae apud Celsum est morbi genus, et sanguis quidem ubi est effervescentior, in choleram acuitur. Quocirca prudens mathematicus nati generaturae inspecta potest tum de illius moribus affectionibusque quae ad iram referantur, ex Martis collocatione iudicare. tum de morbis qui excitantur a cholera. uerbi gratia. Si natus quispiam ascendentem Leonem habuerit, et in eo Martem aut suos aut Mercurij fines tenentem, nimirum iracundus erit, et ad rixas contentionesque procliuior, tum propter signum quod pectori nostro praest, ubi sedes est irae, cuius etiam signi natura feruentior est, tum propter naturalem Martis ardo-rem, quam ad rem finium quoque natura plurimum conferet, siue sint Martis ipsius, siue Mercurij, qui et ipse retorridus est, motusque concitatoris. Quod si quadrata Martem radiatione Sol ipse respexerit, magna hinc fiet ad iracundiam accessio, ut si arida igni fomenta adijcias. unde natus ipse futurus est iracundus et seditiosus et turbulens et uiolens, qualis est natura cholerae. At si Martem, ut dictum est, in Leone constitutum de tertio Iupiter signo amicus radijs temperauerit, nimirum et ira nati temperabitur, ineratque nato illi animi quaedam magnitudo, uisque naturalis ad res gerendas, magnas illas quidem et claras. Sed uideamus quae haec physicas rationibus consentiant. Sanguinem affirmant cholerae temperamentum et tanquam frenum esse, cuius naturae cum sit Iupiter, temperabit Martis uehementiores impetus et tanquam coerebit. adhuc calidi et siccum sursum cum sit ferri, qualis est cholera, animum Mars ad alta excitabit. ne autem cholera ipsa effe-feratur, et longius a modo recedat, sanguis id est Iupiter efficiet. Idem modus eademque erit querendi uia de Venere ac Mercurio et planetis alijs uel nocentibus uel inuicibus, de quibus post suo loco dicemus. Ut igitur de nati moribus uera possit mathematicus proferre sententiam, oportet rerum naturae causas tenere, animaeque ipsius uires ac potestates cognititas habeat, proprietatesque, differentias, coniugationes, contrarietas

tesq; qualitatum, ipsarumq; temperamenta & mixturas, ad quas tū stellarum aspectus, tum cuiusq; signi singularumq; stellarū qualitates proprietatesq; & comparabit, et referet. Mixturas uocamus eas, quas Graeci *μείξεις* dicunt, indifferenter etiam temperamenta, temperationesq; uocamus. Iulius Maternus ubiq; mixturas appellat. Recentiores philosophi Complexiones uocant, quod uerbum quomodo in hunc sensum receptum sit ignoro. Et quoniam qualitates ex quibus constamus, ut physici tradunt, & plus & minus suscipiunt, atq; alteram altera moderatur, hoc quoq; ad stellas transferens Saturni tristitia cum Venere hilaritate temperabit, ex qua temperatione moderatio existet in nato, eiusdem frigiditatem ariditatemq; cum humecta & calida Iouis natura mulcebit, feruorem Martis & rabiem contraria Venere potestate sedabit, imminutum Lunae lumen Marti familiariter copulabit. tunc enim Luna plurimum & humecto abundat, & frigidum qua è re Martis cholera, Lunae pituita id est phlegmate temperatur. contra pubescentis aut plenae Lunae radijs torporem Saturni recreabit, siquidem tunc de Sole calefacta & toto corpore ab eo illustrata humectans ac calefactos à Sole radios suos Saturno refundens semlem illius hebetudinem ita refocillat & tanquam fouet, ut exercitatum à Saturno sicutum frigidumq; humorem humenti et calido temperet, ac melancholiam sanguine moderetur. Quae omnia rerum harum peritus commiscens & temperans, corporis etiam nati fabrica qualis futura sit, probe intellet, ad hilaritatem ne an ad tristitiam, ad temperantiam an intemperantiam, ad mansuetudinem, an asperitatem, ad liberalitatem, an ad auaritiā, ad taciturnitatem, an loquacitatem, ad celeritatem, an cunctationē nati anima pro corporis qualitatibus propensior sit futura.

PTOLEMAEVS

VIII.

SAPIENS anima confert caelesti operationi, quemadmodum optimus agricola arando, expurgandoq; confert naturae.

PONTANVS

Quantū generi animalium est omni naturaliter insita tū mali declinatio, tū boni appetitio, homo in propter rationem cuius est particeps multo q̄ cetera animalia et mala ipsa cautius declinare, et bona quae uidentur sibi adiungere comodius potest, duplici auxilio fretus & communis naturae, & propriae rationis. In exquirendis autem utilibus, incommodisq; repellendis uersatur ea uirtus, quae à prouidendis illis pri-

dentia nominata est. eius est enim utilis & inutilis, recti ac prauī, ueri item falsiq; cognitio atq; distinctio. Sed exquisita prudentia nisi multo diuturnoq; comparari usu nequit, cuius ea laus est ut ceterarum uirtutum dux habeatur ac magistra. Quod sit tanta est prudentiae auctoritas ac uis, quanto maior debet esse sapientiae: quae nihil est in homine diuinius, siquidem humanarum diuinarumq; rerum cognitio nem habet. Quocirca si, ut ante dictum est, multa quae à stellis portenduntur mala auerti atq; euitari possunt, ubi ante prouisa & cognita fuerint, cur non & bona quae ab illis decernantur, ante etiam cognita, industria consilioq; poterunt tanquam allecari prius quam eueniant, & postquam euenere, sapienti arte consilioq; magis ac magis confirmari? Etenim ut prouenturus è terra satisq; seminibus fructus plenior, atq; uberior esse solet, si agricolae diligentia cultusq; pro natura cuiusq; accesserit, sic conferenda quoq; à stellis bona, si sapiens consilium prudensq; adiuncta sit opera, ea tanquam procliuiore defluent riuo. Ac ne à medicis recedamus, hi nō modo morbos curant, sed bonum quoq; habitum corporis adiuant, sanitatem confirmant, plurimumq; opera sua naturali adiungunt robori. adhuc & horū praecipua sunt de sanitate tuenda, & agriculturalū de annonā in horreis seruanda. Quamobrem sapiens uir, qui rerum naturalium cognitio nem habeat, qui coeli stellarumq; proprias uires teneat, qui norit quae stellae ipsae decernant & quomodo, cum intellegat quibus à stellis, & à quo coeli loco, quae etiam ratione bona ipsa sint aduentura, si deesse sibi noluerit, uiam aduentantibus illis aperiet, & postquam peruenierint, firmitatem quoq; afferet, ut si quis aquam è superiore sit cliuio in hortos deriuaturus, potest sulcū dirigere, obstantes lapides remouere, purgamenta emūdare, quo fluētore alueo decurrat in plantas, quin ad illarū radices fossā altiore facere, quo aqua tū abundatius insuat, tū diutius ibidē immoretur. Itidē sapiens mathematicus felicibus stellarū promissis multū conferre poterit, prudenter agendo, recte consulendo, & largā fecundāq; animi spē arte consilioq; intendendo. Quocirca ad insitā à natura tū mali fugā, tum boni appetitionē multū in uiranaq; parte adiuuenti habet rerū caelestium prospectio et cognitio futurorū, ut quae admodū medicina sanitatē procurat, alimentū agricultura sic astrologia utilitatē hanc hominibus sui studiosis procuret, et afferat. Quia uero auertēdi mali studiū prius esset, boni adipiscēdi posterius, siquidē medici pnciosos ante humores eijciunt, quibus postea eiectis sanitatē cōciliāt, itarco Ptolemaeus cū ante de auertendis malis monitos nos fecisset, nunc docet posse bonis artibus,

prudentiꝫ consilio adiuuenti plurimum promissis a' caelo bonis afferrī, siquidem solertes agricolae expurgatis prius noxijs herbis, ac terrae ipsius vitijs edomitis ad frugum ubertatem plurimum conferunt, ut non solum uberiores, uerū etiam pleniores (ut dictum est) foetus proueniant, nam & ars naturalibus etiam bonis magno praesidio esse solet, quae cum defuerit, poma degenerant, armenta in annos hebetiora fiunt, bonisq; homini a' natura datis nisi diligens adiūcta sit institutio, non est cur perfectū aliqd suo in genere possis dicere.

PTOLEMAEVS

IX

In generatione atq; corruptione, formae afficiuntur a' caelestibus formis. Icirco qui imagines faciunt, ijs utuntur, cum eo stellae ingressae fuerint obseruantes.

PONTANVS

Vt supra est dictum, utq; inter physicos constat, generationis corruptio nisq; causa est motus, & hic primum quidem ipse sibi materiam conciliat, quā conciliatam postea informet. Deinde (quia motus ipse nūquam consistit, ac nunc ad sexangula quadrangulaq; nunc ad triangula atq; opposita pergit, ac demum in se ipsum, id est unde coepit, redit) necesse ē qualitates quae insunt materiae, nūc excrecere atq; impleri, nunc imminui, donec in excessum atq; exuperantiam abeant aliquā, ex qua interitus ipse sequatur. Quare si caelum est, qd materiam informationi apparat, erit profecto materia ipsa rudis atq; informis, secus enim nequaquam apta esset, aliam atq; aliam formam suscipere, sicuti quod graue est, uti superna petat, institui nunquam potest, neq; enim lingua si certum a' natura inditum haberet saporem, alium q̄ quem haberet, suscipere ipsa posset. cū tamen ob insitam sibi uim nullum sit saporis genus, quod non etiam distincte sentiat. Eodem modo & materia cum sit informis, ad motas formas induere apta est. Est igitur caeli caelestiumq; corporum informare, nam si elementaris materiae primaria informatio non est, & est alicunde, ut quidem est, erit profecto a' caelo, a' quo elementa ipsa cientur & ad agendum & ad patiendum. Atq; ut i' ipsa materia uis inest aptitudoq; uarias a' caelo formas accipiēdi, sic uicissim caelo stellisq; uis inest illas imprimēdi. Utq; haec quam illa materia magis apta est, hanc quam illam formā admittere, sic haec q̄ illa caeli pars stellisq; hanc q̄ illam formā aptior est effigiare, quod ni esset, species ipsae rerum confusae essent. At in

caelo statuta sunt omnia, secus enim homocervi nascerentur & equi-passeres. Eadem rursus est corrumpendi uia ratioq; Quo circa naturalissime dictum est a' Ptolemaeo & in generando & in corrumpendo rerum inferiorum formas caelestibus a' formis affici. Nec uero quae fabulose tradita sunt a' poetis, naturali ratione carent, Arietem, Taurum, Geminos, Aquilam, Canem, Leonem, Cygnum in caelum irāslatos, quando ea quae sunt generis eius apud nos, ad sua caeli signa referatur. Paucas ante annis Saturni Martisq; coniunctio in Tauro, horridissima hyeme frigora cum excitasset, magnam bubus calamitatem attulit, & quanquam ouis tolerando frigori est imbecillior, in boues tamen uehementius pestis illa desecuit propter signum caeleste ad quod terrestris bos referretur. quae coniunctio si fuisset in Ariete, nimirum in oues saeuus grassata esset. In hominum natiuitatibus cum pericula exgruntur, si nocens stella minuetur ē Geminis, nimirum malum id pro signi natura inferetur ab homine, cum signum illud humanum sit. Cui uulnus in capite minaci a' planeta insligitur, is Aerie habuit male fortunatum in genitura, praest enim Aries capiti, Membrorum quoq; caeterorū mala a' signis, quibus haec ipsa membra famulantur, si parū fortunata fuerint in natiuitate, demanare solēt. Quos currus obterunt, quos quadrupedes dilaniant, & hos infelicia geniturae sydera insectantur, quorum formae animales haec formae naturaliter subiectae sint. Rerum a' gri scriptores tradunt, non edi a' muribus uitis eius uinas, quae noctu putata fuerit, Luna plena Leonē peragrante. Refert Alexandrinus quidam scriptor uidisse se hominem grauius a' Scorpio percussum statim fuisse liberatum ebibito thure contrito, in quo Scorpij caelatum signum fuerat, ac sciscitanti sibi in thure ne an alio commisto aromate tam praesentanea uis inesset, responsum fuisse ab eo qui remedium id attulerat, in Scorpij signo, quod in anulo secum ferret tam praesentis uim inesse remedij. Impressam uero eā Scorpij figuram fuisse in lapide illo anulari, ascendente Scorpio, cum Luna ibidē esset cardinaliter collocata. Ad sanandos itaq; Scorpij nocentes morsus imprimēda esse eo signo aromatica, qua hora Luna in Scorpio cardinalis inueniretur, quae postea contrita in aqua potanda praebentur. Auihor est Hermes prohiberi calcalos, si quis in auro Leonis figurā renibus illigatam detulerit, quae caelata sit Sole Leonē tenente, dum tamen nec Luna sextam domum aspiciat, nec ascendentis signi dominus intueatur Saturnū, aut a' Saturni coniunctione recedat, sanari etiā morbū hunc sumpto thure, quod eo sigillo esset impressum. Laurentius Miniatus familiaris meus amico suo doloribus capitis pe-

nè quotidie laboranti impressa Arietis imagine remedium attulit, quam cælari in auro fecit, primo Arietis gradu ascendente, Ioue ibi constituto, nullisq; infeliciū stellarū radijs percusso, immo Luna Venereq; amice intuentibus. Quo circa qui signa facere aut imagines uolunt, dies horasq; idoneas eligere debent, cælumq; inspicere ac cæli signa, quibus subiecta sunt animalia quorum figuras expriment, habendaq; cum primis diligens ratio membri eius, de quo solliciti sumus, cui sit cæli signo dedicatum expectandusq; auxiliatoris planetæ in id signum ingressus, nec non salutare noxiæ uel configurationes aut ipsæ quoq; expectandæ, dū fiant, aut donec præterierint. Dicere autem de imaginibus ac sigillis non est loci huius, de quibus non ignoramus multa etiam inaniter ac superficose tradita esse. Quod uero ad traductionem ipsam attinet, ubi nos conuertimus qui imagines faciunt, Græce unum uerbum est σοιζω ματινοῖ, quod est ac si diceremus elementarij, sed hoc uerbum Latine quidē neq; id quod Græce, neq; aliud quippiam, quod ad rē hanc faciat, significat. Sin conuerterimus imaginarij, uerē dū est, ne nō ad imagines ac simulacra, sed ad mentis imagines ac sensa perperā q̄s referat. Sunt autem hoc in loco σοιζω ματινοῖ qui sigilla atq; imagines ex mixturis ad stellarum cursus faciunt, tum ad sanandos morbos, tum ad affectus alios uel corporis uel animi procurandos, & σοιζωῖορ quidem quāq; Græce sit elementum, astrologi tamen pro imagine, forma ac signo utuntur, ut cum dicunt οὐρανία σοιζωῖα, hoc est cælestes imagines, siue cælestia signa, in qua significatione hac in parte accipiendū est σοιζωῖορ, & quod ab eo deducatur σοιζω ματινοῖς.

P T O L E M A E V S

X

IN dierum horarumq; electionibus utere maleficis, perinde ut optimus medicus ad curationem uenenis utitur moderate.

P O N T A N V S

Nec omnes morbi eisdē curantur remedijs, nec eadē medicamentorū omnium est natura. Etenim scamonea uehementer aluum citat, q̄ sistunt mala cydonia, & quibus leuiore sunt morbi, leuiora adhiberi remedia solent, acriora qui grauius affecti iacent. his leuia si admoueris, nihil aut parū omnino profeceris. illis si attuleris ualētiora, morbum magis exacuas. Quamobrem solertes medici in curanda ægritudine

ne, tum ægroti ipsius, tum morbi natura prius inspecta, medicamentis utuntur accommodatis, quin, ubi opus fuerit, etiam uenena miscent, quod illa salutare aliquando uim habere intellegant, quandoquidem pestilentes humores nisi potionibus quam acerrimis, quæ aut calidissimas aut è frigidissimis temperate sunt, è corpore non educuntur. At qui quæ frigida calida uel uel exuperant, quæ humanis corporibus noxia sint, pro morbi tamen natura ubi solertis medici accessit opera, salutaria efficiuntur. Quod in morali quoq; philosophia præcipi solet, siquidem ipse aliquando excessus mediū est, quod non nunq̄ inde queritur ubi aliàs extremum constitutum uidebitur. Itaq; non herbis modo radicibusq; salutaribus, sed ijs non nunq̄ medici utuntur, quæ per se sunt perniciose, letalemq; uim habent. quam etiam rationem sequentur et mathematici in electionibus capiendis. Namq; ut illi morborū naturam scrutantur qua comperta, remedia quæ conducant adhibent, sic hi rei naturam qua de agitur ante perspicent, ea deinde perspecta stellas eligent, & signa et domos et aspectus ipsam ad rē conducentes. Ut si quis serendis arboribus tempus auspicatur, Saturnum, Lunamq; cum primis debet inspicere, quāuis maleficā Saturnus uim habeat. Itaq; inspecta prius agri atq; arboris natura, tempus auspicabitur, quo Saturnus in bona cæli parte collocatus sit, aspiciatq; horoscopus, quæ Aquariū aut Taurum eliget, in quorum altero sit etiam Luna constituta, quando Taurus est exaltatio Lunæ, Aquarius uero Saturni domiciliū. Itarco autem Saturnū Lunamq; eligi serendas ad arbores iubemus, quod Luna maxime corporibus ijs quæ uegetabilia dicuntur, dominatur, Saturnus uero sationi ac seminibus præest. Qui hostem aggredi parat, in primis debet Martem aspiciere, eumq; in ascendente collocare, uidebit etiam ut aut Mars ipse sit ascendens dominus, aut a salutaris stella, quæ sit ascendens domina, familiariter aspiciatur. Videndum etiam, ut dominus secundæ domus aut sit in domo ipsa positus, aut Marti feliciter copulatus, sintq; potentes ambo, & oppressio nibus planè liberi, quo alter atrocibus radijs septimam impugnet domum, alter octauam, quæ loca sunt aduersarij. Eunti in uenationem statuendus est Mars in septima, uideendumq; ut benefica stella tueatur ascendens. Qui cauere uult testamento ne sit irritum, eligat Saturnum, cum crescentis Lunæ radijs irroratur. Igitur ut ea quæ per se letalia sunt, pro morbi natura efficiuntur medicorum ope salutaria, sic et stellæ quæ maleficæ dicuntur atq; infortunantes, fiūt sæpenumero felices pro rei natura, mathematicaq; prudentia. Atq; ut medicus ueneno sa salutaribus temperat, sic nocens stellæ salutariū stellarū aspectibus

coniunctionibusq; sunt a mathematico temperanda. In primis autē
nati genitura, coelestiumq; decretorum series consideranda est, quod su-
perius in capiendis electionibus est præceptum, multos enim natalitæ
stellæ, quæ alioquin maleficæ indicantur, adiuvant. Eorum etiam
quæ agenda proponuntur, natura diligenter inspicenda est. Videnda
item stellæ quæ illis dominantur. siquidem bellis Mars præest, ædifica-
tionibus Saturnus, rebus alijs alij. Sin incerta genitura fuerit, poterit
patris nativitas inspicere, atq; inde quantum ars disciplinaq; tulerit su-
mi. Ad hæc nati ipsius mores, actiones, artesq; consideranda, eaq; suos
ad planetas referenda. Stellæ etiam ipsas commiscere oportet, Etenim
qui bellicis in rebus clari sunt, eorum actiones Mars bene collocatus,
bonisq; adiutus aspectibus decernit. qui si male constitutus in genitura
fuerit, atq; i deiectis cœli locis positus, artes dare solet quæ ferro igniq;
exerceantur. Quo circa si fabri ferrarij, si centurionis cuiuspiã sit igno-
ta nativitas, pro quo auspicio queritur, Mars erit considerandus, si-
quidem ars ipsa indicio est in illius nativitate Martem plurimū valuis-
se. Merito igitur accusandi sunt qui nullo rerum delectu habito, nul-
la geniturarum observatione adhibita, ubiq; stellæ beneficas sequun-
tur, maleficas negligunt, atq; illas quidem in bonis ac primarijs locis
statuunt, has vero in abiectis, in quibus languescant, ac tanquam
torpentes iaceant. Ptolemæus quos hodie nostri fortunantes aut infor-
tunantes planetas dicunt, καλοποις atq; κακοποις ἀστέρας vo-
cat, nos eum in interpretatiōe secuti, ut verbū verbo reddamus, bene-
ficas atq; maleficas, id est salutaris ac nocentes stellæ dicimus. Et be-
nifica quidem planeta sunt Iupiter ac Venus, malefici vero Mars
atque Saturnus.

PTOLEMÆVS

XI

DIEM HORAMQVE non ante eligas quàm propositæ rei no-
ueris qualitatem.

PONTANVS

In ijs quæ ad electiones ptinent, primum hoc præceptum traditum est, ut
electio ipsa nativitati conveniat. Secundum, ut maleficis etiam stellis
adhibita salutarium temperatione utamur. Tertium est, ut anteq̃ diē
aut horam auspiceris, rei ipsius q̃ tibi agendam proponis, naturā opti-
me noscās, quæ ignorata, eligere nequaquam recte valeas. Siquidē pro
rei natura,

rei natura, tum planeta ipsi, tum cœli loca signaq; aut fugitanda, aut
capienda sunt. E quibus efficitur, ut in diebus horisq; auspiciandis
duo in primis consideranda sint, agenda rei qualitas, & eius qui age-
re vult nativitas, quorum alterum si male fuerit observatum, utilis
esse suscepta electio vix poterit. Quandoquidem & agricola prius
quàm ferit, tum a gri ipsius naturam, tum etiam seminis qualitatem
considerat. Neq; enim, ut Virgilius ait, terræ ferre omnes omnia pos-
sunt. Itaq; quando non omnibus sunt omnia a cœlo stellisq; promi-
sa, nec omnes planetae in rebus omnibus æque influunt, non solum
genesis ipsa inspicenda est, sed rei quam quis agendam sibi proposuit,
qualitas naturaq; pensitanda. quæ pensitata & cognita, poterit in
electionibus comodas stellæ admittere, illisq; pro rei ipsius, suaq; ipsa
rum natura uti, quo simul omnia conveniant. siquidem citharœdē
ubi quam modulari cantionem uolunt, ante cantionis ipsius nume-
ros expendunt, chordas inde pretractant, & ijs quidem in lo-
cis, quæ cantici numeris consentire habeant. Medici quoque non ante
remedium ægroto adhibent, quàm morbi naturam probe teneant.
Idem itaque eueniet astrologo, quod & medico, ut uterque pluri-
mum peccet, ille si morbi curandi, hic si rei pro qua fit electio, natu-
ram ignorauerit. Neq; enim artifex ignorata materiæ qualitate com-
mode apparare illam operi suscepto potest. Conuenienter itaq; Ptole-
mæus sententiam hanc superiori statim subiecit, docens signis ac pla-
netis pro subiectæ rei qualitate utendum esse. Etenim qui diem eque-
stribus concursionibus statuit, uidere debet uti Luna Martem minaci-
ter aspiciat, sitq; si fieri poterit, in Martis domicilio collocata, atq; in
Ariete præferim, nam Scorpium insidijs aptior est. Qui ad concurrē-
dum egreditur, horam eliget qua Mars ipse uel ab orientis cardine
exurgat, uel ad cœli medium progrediatur, qui si Venerem ijs in lo-
cis elegerit, nihil dignum ea concursione geret. Qui iter suscepturus est,
domum nonam & item septimam atq; octauam fortunabit, siquidē
nona eorum quæ in itinere euentura sint, significationem habet. se-
ptima locum indicat, ad quem iter suscipitur. octaua uero index est eo-
rum quæ illo sint in loco euentura. Contra qui peregre domum reuer-
tatur, primam & secundam et tertiam fortunabit domum, quando al-
tera locum ad quem regressio fit indicat, altera quid illic post redi-
tum, tertia quid in ipsa reuersione sit euenturum.

A MOR odiumq; ne uera eueniant iudicia prohibent, siquidem
munt maxima, augent minima.

PONTANVS

A mor odiumq; siue animæ sint affectus, siue hominis ipsius, qui ex ani-
ma constat & corpore, mentem a uero deflectere, rationemq; ipsam la-
befactare, ubi maiores uires habuerint, solent. Nam & in eos quos
amamus, indulgentiores sumus, siquidem pro magno peccato paululū
supplij satis est patri, & quos odio habemus, eorum suplitij ac ma-
lis exatari uix possumus. Has passiones et in consulendo et in iudican-
do plurimum obesse, non est qui dubitet. Nam & qui res publicas ad-
ministrant, si amicitia simultate ue uincantur, fieri non potest uti in
commune consulant. Et qui de hominum capitibus sententias dicit, si
affectus hos sequatur, illum quamuis grauiore poena dignum, pro-
pter amorem aut absolutum dimittet, aut longe minori quam quod
a lege statutum est supplio afficiet, ab hoc uero, quod odio præcep-
tatur, pro leui peccato etiam grauissimas poenas exiget. Nam in ijs
quos amamus & grauiora errata præterimus, & uirtutes quanquam
leuiore, magnificis tamen laudibus prosequimur. contra in aduersa-
rijs leuissima peccata conuiciosissime incessimus, moresq; licet specta-
tissimos despicenter abijcimus, atq; obscuramus. Iure igitur Ptolemæ-
us cauendos affectus hos præcipit & in natiuitatibus, & in electio-
nibus iudicandis, ne si ex felici stellarum constitutione ocium, pecunia,
supellexq; multa promittatur, rursus si ex infelici radiatione labores,
paupertas, grauiaq; pericula portendantur, odio aut amore uicti im-
pediamur, quo minus ueras sententias proferamus. Quemadmodum
itaq; prætor ac iudex æquus legum ipsarum personam in iudicando
induit, sic uerus mathematicus stellas ipsas ac cœli statum decretaq;
sequetur, a cuius significationibus, atque ab artis disciplinæq; insti-
tutis ob beneuolentiam maleuolentiam ue nullo modo recedet aut de-
mendo aliquid, aut addendo. Quamobrem in ferendis sententijs, su-
turisq; prædicendis non solum regulas quæ supra positæ sunt, serua-
re mathematicus debet, sed in primis cauebit, ne affectibus his uictus
bona mala ue a stellis decreta aut significata, maiora minora ue futu-
ra pronūtiat, siue de amico seu de inimico iudiciū sit laturus. Iudiciū
ac sententiam indifferenter dicimus, quod Græce est ἀποτέλεσθαι.

nam & hodie astrologi iudicare dicuntur, & eorum prædictiones iu-
dicia uocantur. alibi cum de stellis loquimur, & effectus & decreta
& significationes, nec non euentu pro arbitrio dicimus.

PTOLEMAEVS

XIII

C VM COELESTIS constituto quippiam significauerit, adis-
tricibus etiam corruptiuis stellis, hoc est secundarijs utere.

PONTANVS

D ictum est in primo uerbo oportere mathematicum signa sequi atque
coniecturas, quod etiam apud Ciceronem in primo libro de diuina-
tione Quintus frater confirmat, cum ait augurum, astrologorū, quin-
etiam medicorum artem opinabilem esse, coniecturæq; contineri, &
iure quidem, quando & medici & agricolæ & nauæ signa sequū-
tur, ex quibus futura conijciunt, in urina enim quæ cernuntur si-
gna, magna ex parte morbum indicant. his accedunt uigiliæ, horo-
res, pallor, suspiria. permulta in oculis, in naribus, in lingua, in uoce,
in alijs etiam corporis partibus signa sentiuntur. Et uespertina matu-
tinaq; cœli siue serenitas, siue obscuritas, aut rutila innubilatio futu-
ras tempestates decernūt. A dhæc pluuia solstitialis, hyems serena, uer
pluuium & alia multa (est enim prognosticorum magna uis) futu-
rum segetis prouentum indicant. nec uero diuturna observatio ratio-
ne caret. Atq; ut ad mathematicos ueniamus, signa quæ ipsi persequun-
tur sunt ea quæ secundaria dicuntur, quæ in elementis ipsis cernun-
tur, ut coniectæ, ut motus terræ, ut uehementiores tum pluuie tum
siccitates, ut uenti & eius generis alia. Motus igitur progressionēq; cœ-
lestium corporum qualitates elementorum quæ illis subiecta sunt cœt,
quorum postea mutationes corpora & ipsa nostra sequantur. Neque
enim pestes, frigora, annonæ inopia, diluiones, exustiones fiunt ni-
si a causis ante gressis. Etenim quæcunque fiunt, ut ab aliqua fiant
causa necesse est. Quo circa mathematicus qui ab aliqua eclipsi,
aut stellarum conjunctione quæ in aliquo cœli cardine facta est, aut
pestilentiam, aut aliud morbi genus indicari sentit, si hyeme plu-
rimos austris, si uere continuas pluias, easq; ab eisdem austris fun-
di uiderit, natus hæc signa, cum intellegat futurum, ut aduen-
tantibus caloribus humida illa uis corrumpatur, nimirum affirmare

poterit, multas aestate futuras aegritudines. quod & sagax quoque medicus sentiet. Itaque secutus signa haec, ex ijsque coniecturam capiens, cum a secundarijs sese adiunari intellexerit, ueras nimirum sententias proferet, intellectis enim causis, habitisque causarum ipsarum signis, a futuris rerum euentis non decipietur. Ex quibus efficitur, ut quemadmodum prudentes medici non statim inspecto aegroti de illius morbo iudicant, sed signa prius uidere uolunt, prognosticaque expectant, sic diligens cautusque mathematicus in ijs maxime quae in uniuersum spectant, ubi minaces eclipses aut coniunctiones uiderit, ut praedicere certiora ualeat, secundaria considerabit, quae ubi una consenserint, uix illi relinquatur, an quod praesenserat de illo habeat dubitare. quod iccirco dicimus, quod non semper actiuis passiuam consentiunt. Vbi uero secundaria uisa fuerint, certum est patientium naturam suscipiendis agentium stellarum qualitatibus aptam esse. Stellae autem corruptiuae, quaeque coelestium stellarum decreta adiunant, sunt ea quae in elementis cum exuperantia & ui quadam maiore fiunt, ut siccitates aut pluuiae nimiae, ut uenti diutius ab eadem mundi parte flantes, ut cometae, ut frequentes traiectiones ignium, qui per aere feruntur, ut serenitates assidue, diurnae uel innubilatioes, quaeque alia confirmadis stellarum decretis plurimum momenti habent. Nam in reuoluendis mundi annis, hoc est Sole Arietem ingrediente, si coeli constitutio morbos, pestilentiamque indicauerit propter iniquam Martis, Saturnique collocationem, et hyems humida, calidaque praecesserit, hac tanquam secunda causa mathematicus ad praedicendum utetur. Siquidem ubi calidum humidumque hyeme exuperauerit, propter eam quam habet corruptiua naturam coelesti constitutioni plurimum conferent, quae iccirco secundaria Ptolemaeus appellauit, quod secundas uires habeant, quando prima uis in caelo stellisque coelestibus inest, secunda in elementis quae ab illis ciuntur. uocauit & corruptiua, quod omnis elementorum exuperantia corruptionem adducat. conferre autem atque opitulari propterea dixit, quod ubi elementorum qualitates accidentiaque cum stellis ipsis consenserint, longe ualentius atque acrius coelestia influant corpora. quod circa secundas stellas nominauit propter secundam uim illis insitam. Secunda uero haec causae primis non semper conueniunt causis ob praeteritas stellarum constitutiones. Nam ubi planetarum configuratio praegressa est, huic de qua dixi Saturni Martisque constitutioni contraria, quod illa prius elementa pro natura sua affecerit, nequaquam poterit subsequuta Martis Saturnique constitutio, materiaque sibi aduersantem nacta, tantam ad nocendum potestatem uendicare. Sunt tamen qui

men qui stellas has, id est secundaria, intellegi uelint stellas, quae extra Zodiacum a septentrione, meridiemque ferantur, quod uires impares uiribus stellarum, quae signifero feruntur, habeant, ac si quae in ipso signifero collocatae sunt pares uires, paresque omnium irradiationes sint. Quocirca falso uidentur opinari. quoniam Ptolemaeus cum ad praedictiones faciendas, a signis coniecturisque uehementer adiunari mathematicum iudicet, de ijs potius stellis praecipit, in quibus signa & tanquam nota futurorum cernantur, quas a uirium potestatisque similitudine stellas uocauit, quod coelestes stellae primae causae cum sint, elementa ipsa secundae stellae, id est secundae causae essent. Atque haec quidem regula superiori regulas recte subiatur a Mathematicis obseruanda.

QUANTIS in erroribus uersatur astrologus, cum locus septimus atque eius dominus afflicti erunt.

Cum multa praecipisset, quae Mathematicas seruanda censeret, illud et addit, quod inspicere ante omnia in quaestionibus, hoc est interrogationibus debeat. Etenim si est aliqua coeli pars quae detur interroganti, et mathematico sua dabitur. Datur autem interroganti ascendens, & in re quidem, quando ea coeli pars cum moueri supra terras incipiat, uideatur esse causa, cur aliquis ad consulendum id est interrogandum moueatur. eius autem qui quaerit interrogatio, & quaerendi finis eo spectat, ut id de quo incertus est, sciat. Accedit ista quoque, ut ignorans ad scientem. ignorantia uero & scientia e regione sibi aduersantur. Dabitur itaque mathematico ut pote scienti locus qui sit ignorantis loco oppositus. opponitur autem ascendenti occidens, itaque occidens id est septima coeli domus in figura constituenda, danda est mathematico, ut consultoris sit prima domus, consulti septima. Scio quantos hinc mihi concitae aduersarios, sed ueritas praefenda est. quis est enim nostrorum astrologorum, uiuentium dico, qui nullo mathematicis loco attributo, occidentem coeli cardinem, id est septimam domum non attribuat rei quaesitae? Omnes hoc sentiunt secuti Arabes seu Syros quosdam scriptores, a quorum libris in linguam nostram male translatis utinam hic solus ductus error esset. Sed ne solus ipse hoc sentire uidear, quamquam hoc ipsum sentire Ptolemaeum ex suis ipsius uerbis manifestum

est, ne solus inquam sentire hoc uidear, audiatur & Græcus quidam
 interpret. Ascendens eiusq; dominus ubi quis de re aliqua mathema-
 ticum consulit, pro consultore accipiendus est, pro ipso autem consulto
 septima domus, atq; eius dominus, q; si male affecti fuerint, astrologo
 damnum portendunt. damnum autem erit, ipsum ad quod quæsitum
 est, uera nullo modo responsurum. Quamobrem Indi mathematici,
 cum septimum locum eiusq; dominum male se habentes inueniebant,
 ad ea de quibus consulebantur, nihil respondebant, ueriti ne falsa pro-
 nuntiarent. Hæc Græcus author. Accidet autem mathematico, cum
 domus septima, & eius signi dominus male se habuerint, quod acci-
 dere solet cum offusæ oculis nebula prospectum eripiunt, quodq; &
 philosophis, & usu etiã probatis uiris sæpenumero accidit, ut ad pro-
 positas de rebus etiam leuioribus quæstiones aliquando caligent, quod
 aciem eorum quodam quasi situ obducto intorpuerit, propter crassos
 hebetesq; humores, qui spiritus ipsos obtundunt. Græce ubi a nobis
 astrologus dicitur, est ἰσχυμωρ, hoc est sciens, uti in primo & quin-
 to enuntiato. Placuit autem hoc in loco magis astrologum dicere, quo-
 niam particulare nomen cum sit astrologus, sciens uero generale, rem
 expressiore reddimus astrologum, quàm scientiẽ conuertendo. Ad hæc
 ubi Græce est κακωμένος, a nobis traductum est, afflicti. quãquã
 etiam posset nõ minus proprie dici, male affecti. Alibi quoq; κακωσις
 afflictionem conuertimus. Quid autem sit afflictio, malaq; affectio
 seu malus loci aut planetæ habitus, declaratur a nobis trigesimo no-
 no & quadragesimo primo enuntiato. Sunt qui hadie dicant loci im-
 pedimentum, & planetam impeditum, & quod a nobis dictum è
 male affecti aut afflicti, ab ipsis dicitur impediti.

PTOLEMAEVS

XV

ASCENDENTIA inimicorum regni, sunt signa ab ipsius regni
 ascendente declinantia. Amicorum uero ascendentia, sunt cardines,
 locaq; succedentia. Idem & in dogmatibus.

PONTANVS

In natiuitatibus, in electionibus, in regnis auspiciandis, in magistrati-
 bus meundis, in icceptis deniq; omnibus primæ ac potissimæ significa-
 tiones, quatuor sunt cardinum, secundæ succedentium illis locorum.
 Cardines uoco ortum, occasum, medium cœli, id est culmen et inum-
 sosdem etiam angulos, cuspidesq; cœli uocari a recentioribus uideo.

Græci appellat νεῖτρα, loca uero eis succedentia ἐπαραγορὰς. Præ-
 mo cardini id est ascendenti succedit secunda domus cardini huic op-
 posito id est septimæ domui succedit octaua. culmini id est domui deca-
 mæ succedit undecima. imo cœlo quæ est quarta domus, quinta succē-
 dit. Si gna itaq; cardinalia in regno auspiciando illisq; succedentia in-
 dicant regni proceres, amicos, consiliarios, fautores, defensoresq; illos
 fore, in quorum natiuitatibus ascendentia ipsa fuerint. Verbi gratia,
 cui regno Aries ascenderit, signa ascendētia amicorum, fautorumq;
 eius erunt Libra, Capricornus, Cancer, & idem ipse Aries, quæ sunt
 signa cardinalia in ea figura. item Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius,
 qui succedunt illis. Contra uero signa ab ipsis angulis id est cardini-
 bus declinantia aduersantium inimicorumq; ascendentia sunt, Pisces
 qui cadunt ab Ariete, Sagittarius qui declinat a Capricorno, &
 Virgo quæ Libra cardinem tenente descendit. In tertio autem signo
 licet illud a cardine imo cadat, alia ratio sequenda est, quod ascendēs
 ipsum amicus radus intueatur, atq; ad illud festinet, ex infimo ad su-
 perna progrediens. quæ ratio diuersa est in domo nona, quãuis enim
 è triangulo domum primum aspiciat, præceptis tamen deicitur, & ab
 alto deorsum ad occasum rapitur. Nec uero hæc sine ratione dicuntur,
 quando nec Virgo Libram, nec Sagittarius Capricornum, nec Pisces
 Arietem intuentur, quibus in signis regni de quo loquimur, cardines
 positi sunt. Quamquam autem Taurus non intuetur Arietem, succē-
 dit tamen illi tanquam auxilium allaturus, locumq; eius subiturus,
 eodem modo Aquarius succēdit Capricorno, Leo item Cancro, et Scor-
 pius Libræ. Cum signa præcedentia & deiecta non solum non aspi-
 ciant subsequētia, sed illa deserant, ab eisq; tanquam præcipitentur,
 appareatq; alio ea tendere atq; inclinare. contra signa succētia ad
 angulos quæq; suos proficiantur, eoque contendant. Quocirca priscos
 Aegypti reges tradunt instituisse, ut eorum qui nascerentur genituris
 inspectis, si quorū genitura inuentæ fuisset horoscopates in signis a re-
 gni horoscopo decedentibus, quæ potentes, beneq; collocatos in figura
 dōinatos habuisset, ut ij statim occiderentur, neq; aduersum se moue-
 re arma possent. In cuius uero natiuitate ascēderit signū ex regni car-
 dinibus, aut ex succētibus, is erit ex regni primoribus, atq; è regis
 ipsius familiaribus pro stellarū benignitate atq; presidio. Quod autē
 ait Ptolemæus idē et in dogmatibus, non nulli èt ad initia religionū
 ac sectarū transferūt, sed cum Cicero dogma decretū interpretetur,
 ut de ciuilibus factionibus, decretis, edictisq; sentiamus, factionis cu-
 iusq; sectatores, amiciq; rursus contēptores aduersarij; eadē ratione

cognoscuntur. Civilibus item constitutionibus, decretisq; publicis feren-
dis dissuadendisq; qui aut suffragatores aut dissuasores futuri sint, ea-
dem uia intellegitur. Urbis etiam cuiusq; horoscopus, signum est illud
quod ab oriente cardine in primis eius fundamentis iaciendis ascen-
derit a quo significantur quaecunq; seu bona seu mala ciuibus euen-
tura sint pro figuræ ipsius constitutione. Vbi quispiam ciuitatis alicuius
dominatum adeptus est, ab ascendente adeptionis eius intellegitur,
imbecillane an ualida futura sit in populo domini potentia. horosco-
pus dogmatis, siue edictum, siue decretum, seu factionem, sectam uel
interpretari uelis, est signum quod ascendit, ubi uel decretum fit, uel
edictum publice edicitur, uel factio præualere in ciuitate incipit.

PTOLEMAEVS

XVI

CVM in octauo loco beneficæ dominabuntur, damnū a uiris bonis
afferunt. quæ si bene affectæ fuerint, illud dimouebunt.

PONTANVS

Maleficæ stellæ, quas et maleuolas et nocentes & infortunatrices uoca-
mus, Ptolemæus *κακοποιῶν* appellat. si mutare naturam pro locis in
quibus reperiuntur, proq; natura rerum quæ ab ipsis significantur so-
lent, ut ante auctor ipse docuit, profecto consequens erit, uti beneficæ
fortunatricesq; pro rerum locorumq; natura et ipsæ potestatis suæ na-
turam mutant, quod nunc docet, inquit beneficam, si octauo loco
præfuerit, damnū inferre. Sunt in figura loca quædam pigra, de-
iecta, minacia, quippe quæ nulla cum horoscopo radiatione iungan-
tur, qualis est octauus & duodecimus locus eorum quæ sunt in parte
coeli superiore, & huic oppositus sextus locus, in coeli parte inferiore.
Quo arca Græci ueteres sextum locum malam fortunam, duodecimum
uero malum dæmonem a nocendi potestate uocauerunt. Nostri autem
alterum ægritudinis, alterum mœroris & carceris dicunt locum, at
octauum, quod eius natura sit perniciosior, mortis locum nominant.
Octauo itaq; loco quam *ἐπιμαρτυροποιῶν* Græci uocant, unde damna
malaq; proficisci Ptolemæus innuit, benigna stella si præfuerit pp
loci ipsius malitiā, detrimentū afferet, q; probi & honesti uiri causa
operaq; afferetur, quæ quidem opera honesta & recta per se sit, cæ-
terum quæ nato illi uertat male, ut si quis accessit in iudicium ab-
negatæ pecuniæ gratia, integri alicuius uiri ad iusurandum adacti
testimonio conuincatur. An non uides damnū hoc dari, pecuniā

abneganti, ob uiri boni testificationem perperam iurare nolentis? Ex
quo fit, ut beneficæ stellæ pro loci rei q; natura uim potestatemq; ali-
quando mutant. Quando autem insita stellæ benignitas nō facile uin-
catur a loci malitiā, si felicibus stellæ alterius radijs beneficia in octa-
uo posita illustrabitur, damnū illud felici hac illustratione prohibe-
bitur. Atq; hæc quidem ad Ptolemæi sententiam explanandam satis
sunt. Si uero conuertamus, si placet, hanc tam appositam naturalemq; iu-
dicandi regulam, quod & quidam ante nos fecere, dicamusq; si bono
rursum loco maleficæ stella dominetur, euenturum nato bonum im-
probi cuiuspiam uiri opera & beneficio, ut si uili emanus a raptore
prædam, quam postea carissimo uedamus alijs, quod quidem lucrū
oblatum nobis est, raptoris ac nefarij hominis beneficio. Sed cum coeli
loca suapte natura sint aut minacia aut fauorabilia, & planetarum
alijs benefici, alijs malefici esse cernantur, efficitur ut alijs bonis locis
planeta salutare præsent, alijs noxi. rursus ut locis malis nūc bene-
ficæ stellæ, nūc maleficæ dominentur. quæ est re quatuor mixturæ, quæ
damq; quasi temperationes stellarum ac locorum sunt. De quibus
singulis hæc præcepta iraduntur, ut bonis locis si bonæ stellæ præfue-
rint, bonum, lucrū, fauorem, per bonos & claros uiros, ac bonorū
uirorum opera, aut ex bonis artibus promittant. quæ si felicibus stel-
larum aliarum testimonijs adiuta fuerint, promissa bona duplicabi-
tur, contra minuentur, si noxi planeta infelicibus radijs easdē per-
cusserit. Sin maleficæ stellæ fauorabilibus locis præfuerint, improbi et
nefarij uiri opera, aut per flagitium futurū bonum decernitur, quod
accumulabitur si beneuolæ fuerint stellæ radijs illustratæ, sin hostiliter
a nocente planeta feriantur, decreti boni magna fiet immutatio. Rur-
sus ubi minacibus locis planeta infelix dominabitur, damnū ac mā-
lum a uiris malis sceleratisq; aut per impuritatem ac turpe facinus,
futurum obnuntiatur. quod augetur, si maleficæ alterius uolentia
accesserit. Sin bonus planeta malo loco præfuerit, boni & incorru-
pti uiri opera, aut benefaciendo recteq; agendo malum damnūq;
obueniet, quod erit maius ac nocentius, si nocens illum radius percuf-
serit, contra prohibebitur, si, ut Ptolemæus ait, beneficia ipsa stella be-
ne affecta, bonisq; irradiationibus illustrata fuerit. Hæ sunt igitur stel-
larū ac locorum mixturæ, ex quibus potissimū tam multæ variæq;
bonorū malorumq; uicissitudines, tantaq; rerū uarietas contingit, ut
alios maleficia iuuent, alios benefacta condemnent, hos malæ artes ef-
ferant, illi ob uirtutē deprimantur, huic profint scelera, illi noceat re-
cte facta, huius bonæ actiones ob inuidiam in gratitudinemq; nullū

COMMENT.

præmiū consequantur, illius loci pletetur ignavia, hic ditescat per rapinas, ille dum continenter uiuit, omnia aduersa patitur, quorum exemplorum uita mortalium plena est.

PTOLEMAEVS

XVII

CVM de senis cuiuspiam uita iudicis, non ante iudicium ferēs. quā dimensus fueris, quot ille possit annos uiuere.

PONTANVS

Hoc Ptolemæi dictum pleriq; sic interpretantur, ut putent non debere de nati uita, deq; eius euentis ante iudicari, quā compertum fuerit, an ea genitura sit hominis, ne quando belluæ cuiuspiam genitura proposita, fortassis affirmaretur, diutius illam quā a natu ra tributum est uicturam. quā nos opinionem minime condemnandam duamus, potius tamen cum ipso Ptolemæo sentimus, qui in libris apotelesmatum ait, ridiculos esse mathematicos eos, qui de nati moribus, felicitate, euentisq; alijs ante iudicant, quā uideant, an ille tam diu sit uicturus, dū ad felicitatem infelicitatem uē a coelo decretam uiuendo perueniat, quod ipsum Ptolemæi uerba satis aperte dicant, quando ait, cum de senis alicuius uita iudicis, id est de ijs quæ illi obuentura sunt in uita, dum senescat, nolis prius iudicare quā uideris quot eum annos a coelo permissum sit uiuere, hoc est quā probe noueris an decretum boni mali uē tempus possit attingere, quod idē ait in tertio apotelesmatum libro, ut paulo ante testatus sum. Et profecto prima mathematica perscrutatio de constituto uitæ termino esse debet, quando ad uiuentes euenta rerū non ad mortuos pertinent. Ac ne forte in hoc pertinaces uideamur, licet Græca uerba hoc non inuuant, uirumq; tamen præceptum mathematico seruandū statuimus in genituris inspiciendis, ut & uideat, ne fallatur belluæ forte genitura proposita, & diligēter annos nati dimetiatur, quos exacte colliget, ut ante quā de ijs quæ inter uiuendum euentura sunt, sententiam suam ferat, probe nouerit, quod illi uiuendi spatium sit ab astris tributum. Etenim sicut in auspiciationibus faciendis seruandū supra præcepit, uti propositæ rei qualitas ante diem horamq; capiendam inspiceretur, sic in genituris explicandis, ante quā mala bona uē obuentura pronuntientur, inspiciendum hic præcipit, an ad bona mala uē a coelo promissa natus ille perueniturus sit. Nam si ad promissā a stellis felicitatē infelicitatem uē perueniturus non est, frustra opera insuntur ad ea prædicenda, quæ in cassum cessura sunt.

LIB. I.

IO

PTOLEMAEVS

XVIII

CVM ambo luminaria in eodem minuto fuerint, si ascendit benefica, natus æquæ sanè in omnibus quæ iciderint, bene fortunatus erit. Simili modo, si & inuicem opponentur ab ortu atq; occasu. Sin malefica est in ascendente, contrarium sentias.

PONTANVS

Post generales has regulas, paulatim ad explicandas planetarū uires Ptolemæus progreditur. & quia Solis ac Lunæ maxima potestas est non in ijs solum quæ corporis sunt, sed quæ ad animum quoq; atq; externa etiam bona pertinent, de Lunæ Solisq; apotelesmatibus primo præcipit. Ac prima quidē de bonis malisq; externis sententia traditur, ut cum tanta utriusq; uis in externis sit, manifestior fiat eorū in corporibus dominatus. Pars fortunæ in natiuitatibus explicandis, summa diligentia est uidenda. ea enim male cognita, quæ potest esse de fato hominis uera certaq; prædictio? hæc ab interapedine, hoc est distantia Solis Lunæq; inter se capitur, deducturq; ab ascendente gradu, per signa locaq; subsequentiā. Quocirca qui Solem Lunamq; in eodem minuto nascenti habuit, salutari stella horoscopum tenente, is cum locum fortunæ in ipso ascendente, id est in primo cardine ac præcipua cœli parte cum stella fortunatrice sortitus sit, in omnibus mirifice fortunabitur, rerumq; illi copia plurimarum affuet. ut propter ascendens partemq; fortunæ, & beneficā illic præsentem, in bonum corporis tū fortunæ quā fortunatissimus futurus sit, & (ut Græcus textus habet) in omnibus quæ ad ipsius peruentura manus sunt, quæq; ab ipso tractabuntur. Quod si contingat duo hæc cœli lumina Solem Lunamq; ab ortu atq; occasu in eodem opponi minuto, salutarēq; stellā in orienti cardine collocari, qui geniturā hanc habuerit, erit etiā abunde felix fortunatusq; quippe qui sortitus fortunæ partem in cardine occidenti habeat fortunatricem stellam cum altero luminari in ascendente. Contra uero multis ille malis undiq; uexabitur, in cuius natiuitate Solis hæc Lunæq; coniunctio oppositio uē contigerit, noxia stella ex horoscopo minitante. siquidem fortunæ pars in ortu aut in occasu posita hostilibus maleficæ stellæ radijs quæ in primo ac potissimo cœli loco principatum habet, infeliciter impugnatur.

PTOLEMAEVS

XIX

VIS purgationis hebetatur, cum luna fuerit Ioui coniuncta.

ccc iiij

Corpora nostra Lunæ motum sequuntur, unde et dominari Lunam corporibus dicunt, idque tum aliàs, tum maxime ægrotantibus nobis cernitur, quod physicorum nemo est qui neget. Etenim si corpora inferiora superiorum corporum motus sequuntur, cum sit Luna stellarum citima, terrisque finitima, necesse est ab eius progressionibus corpora nostra tum uehementius affici propter uiciniam, tum sepius propter celeritatem. nam cum uelocissimo cursu diebus septem et uiginti cælum omne circueat, interim à planetis quibus cum diuersis modis rationibusque coniungitur, diuersas potestates mutuatur, mixturasque multiplicis suscipit, quas corporibus nostris refundit. Itaque, ut inferius dicemus, cum incrementa nostri corporis ad Iouem referentur, ac uita ipsa nostra calido, humidoque potissimum constet, cuius qualitatis Iupiter est dominus, quoties Luna Ioui copulatur, mirificum corpora ipsa nostra uigorem inde suscipiunt. Quæ ubi uegetiora facta sunt, uiresque maiores sumpserunt, uim pharmacorum superant, et medicamenta ipsa concoquunt. ex quo fit, ut ea noxios eicere humores nequeat. Hæc igitur ratio est, cur medici providere debeant atque cauere, ne potiones ægrotis dentur, cum Luna Ioui coniungitur, ex qua coniunctione tantum corpori roboris adijcitur, ut uis potionis hebetata corpore fortiter reluctante succumbat. Quotopere autem Lunæ cursus sit à medicis in curationibus obseruandus, docent tum septimi quique dies, tum alia etiam multa, in primisque quod nasceri ægrotis potiones, cum Luna Soli coheret, prohibitum est.

MEMBRVM ferro ne percuto, cum Luna signum tenuerit, quod membro illi dominatur.

Cum duplex sit medicina, et altera potionibus curet, altera manu, unde et *χειρουργία* dicta est à Græcis, de utraque Ptolemæus præcepta tradit. Cumque uerbo superiore Lunæ cursus in purgandis corporibus obseruandum præcepisset, cauendamque Lunæ, ac Iouis coniunctionem dixisset, hoc quod statim sequitur enuntiato docet, in feriendis uenis, tuberculisque cædendis cauendum etiam esse, ne Luna id cæli signum per-

meet, cui membrum feriendum sit attributum. Etenim cum Luna totum corpus humectet, id tamen membrum humoribus affluentiùs implet, quod signo illi subiectum est, per quod tunc ipsa discurrit, ex cuius nimia humectatione magnum membro nocumentum afferatur, si ferro tunc ictum fuerit, ex quo non modo difficilis, uerum etiam periculosa curatio sequatur, siquidem ulcera, neruorum distentiones, aliisque item mala consequi soleant, Atque ut quod signum cui membro præsit exponamus. Caput attributum est Arieti, collum ac ceruix Tauro, humeri et brachia Geminis, Cancro pectus, latera et stomachus Leoni, uenter Virgini, Libra uendicat sibi renes ac uertebras, Scorpius pudenda, coxas Sagittarius, genua Capricornus, Aquarius crura, Piscibus cum sit ultimum cæli signum, pedes hoc est postrema corporis pars cessit in sortem. Est itaque prudentis et cauti medici, Lunæ cursum optime tenere, ne forte aliquam corporis partem scalpello feriat, quo tempore præter cæteras humectatur à Luna. Periculosiora sunt etiam uulnera illata Luna peragrante signum, quod parti uulneratæ dominatur. difficulter enim, ac uix absque magno membri eius sanantur incommodo.

CVM Luna fuerit in Scorpio aut Piscibus, dominusque ascendens stellæ sub terrâ positæ copulabitur, bonum est purgationibus uti. Si uero copulatur stellæ supra terram constitutæ, potionem qui sumpserit euomet.

Rerum cæli peritia, et eorum quæ Luna in corporibus nostris agit cognitio ad medicos uel in primis pertinet, ut salutaris remedij mixtura cum stellarum signorumque mixturis ac temperationibus conueniat, cælestisque actio rerum terrestrium actionibus consentiat. In signifero tria signa humentia esse perhibentur, unde et humida triplicitas hoc est triangularitas à nostris dicitur, Cancer, Scorpius, Pisces. Cum itaque similia similibus uires addat, contraria demant, humida signa uidentur plurimum adiuuenti purgatio corpori conferre, ubi Luna corporum ipsorum domina uis in signis collocabitur, quod solertem medicum, nisi maiora cogant pericula, expectare oportet, ut Lunæ signique auxilio addito, maiores uires educendis humoribus potio ipsa capiat. Quoniam autem medicus eò respectat, ut pestilentes sordes aluo subducantur, eligendum est tempus quo Luna uis signis feratur, quæ tum humida sint, tum inferioribus nostri

corporis membris præsent, quales sunt Scorpius ac Pisces, ut non modo propter conuenientem signi qualitatem Luna magis ac magis sordet atq; aluum citet, sed quod citatum fuerit, ut ad loca inferiora præsentis signi beneficio eiecerit. Quod uero ad Cancrum attinet, licet Lunæ domus, licet humidum signum sit, citandis tamen deorsum humoribus non est aptus, siquidem ei præest corporis parti, quæ uomitum potius moueat. Quando autem, ut dictum est, maxima est ascendentis uis, inspicere medicum oportet, ut qua hora purgatio datur ægro to, ascendentis signi dominus si planetæ subterraneo aut aspectu aut coniunctione copulatus, quo duplicatis uiribus noxiæ sordes trudan- tur inferius. Nam si stella ascendentis domina coniungatur stellæ, quæ cælo superiori feratur, excitata nausea mouebitur, stomachus, quæ motum subsequens uomitus purgationem ipsam impediatur. Quæ obrem non modo potiones ipsæ temperandæ sunt, ut salutaris actio consequatur, sed cæli quoq; ac stellarum uires miscendæ, quando, ut in secundo uerbo dicitur, tales effectus, talesq; actiones aut passionis hic proueniunt quales cælum stellæq; moliuntur.

PTOLEMAEVS XXII

VESTEM nec primum induas, nec incidas, ubi Luna fuerit in Leone collocata. Est autem peius, si eadem male affecta fuerit.

PONTANVS

Nec in cælo quicquam est superuacuum, cum ex omni parte tantopere constet sibi, tantoq; feratur ordine, nec eorum quæ ad generationem interitumq; conueniunt, est aliquid quod causa careat sua. cum nec generatio, nec interitus fiat à casu. Sed cum sit aliud alio diuturnius, longiusq; perennet, diuturnitas autem constat è spatio quod medium inter principium exitumq; interlabitur, quemadmodum nec generatio nec corruptio, sic nec medium illud erit absq; ratione. nam cuius et principij et finis causa existit, existet etiam et mediij interfluentis. Constat autem fieri hæc à motu, motusq; principium à cælo esse, erit ergo et cælestis motus diuturnitatis ac breuitatis causa. Ex quo factum est, ut observatione usq; monstrante dixerint in cælo, id est in regione signa feri, unde generandi et moriendi causæ præcipue, deducuntur, esse signa quædam fixa à stabilitate uidelicet eorum quæ ipsis aut ascendētibus inchoarentur, aut à planetis significarentur ibidem collocatis. Omnium autem planetarum manifestissima in rebus mortalibus est Lu-

næ Solisq; significatio ac potestas, et Sol quidem uitalis potentiae fons, Luna naturalis esse perhibetur. Quod si est, ut quidem est, corporum dominatus ad Lunam maxime referendus uidetur, quæ cum, ut dictum est, pro signi quod peragrat qualitate temperamentum suscipiat, aliasq; atq; alias uires ac potestates adipiscatur, nimirum ea quæ in signis fixis collocata decreuerit, firmiora erunt. Res autem quæ corporis usus gratia fiunt, eiusmodi esse debent, ut corpori famulentur. Quod enim alterius gratia fit, imperfectius est eo ad cuius usum fit, quocirca cum præstantius sit, imperare debet. Igitur pallia, uestes, aliq; indumenta, quæ uestiendi atq; ornandi corporis gratia fiunt, corpori ad cuius parantur usum, subiecta esse debent, uidendumq; ne aut cum inciduntur, aut confutis illis cum primum induimur Luna sit in signis stabilibus collocata, ac præsertim in Leone, quod signum cæteris fixis signis efficacius est, quando terris nostris q; cætera fixa magis imminet, easq; directioribus radijs ferit. Quod ubi contigerit, uestes ipsæ cum diutius perennaturæ appareant, fit significatio, aut morbos aut alia mala, causam futuram, ne illis uti possimus, aut saltem ut sepositæ atq; in arca conseruatae ad nullos corporis domini usus comparatae sint, ac tanto magis, si ab infelicibus radijs Luna percutitur, ex qua percussione, seu ex alio Lunæ ipsius malo habitu obnūtentur carcer, morbi, aut mala alia pro natura planetæ percutientis, ac pro loca signiq; et habitus ipsius malitia. Quocirca in faciendis uestimentis inspicendum illud est, ut ea tanq; fluxa fragiliaq; ueterascant, corpus permaneat incolume, atq; ut ijs consumptis noui comparentur ornatus.

PTOLEMAEVS XXIII

LUNAE ad stellas figuratio, natum bene agilem facit, quæ si potentes fuerint, effectiuâ, sin imbecillæ inertiæ ad agendum comotionem indicat.

PONTANVS

Quanta in corporibus nostris etiam in ijs quæ contingunt extrinsecus, Lunæ potestas sit, licet ex ijs quæ dicta sunt patere satis posset, tamen ut et in ijs quæ ad animum quoq; pertinerent, uis eius manifestior fieret, docet nos Ptolemæus, et securam, ingenijq; hebetudinem, et dexteritatem, agilitatemq; à Luna nobis tribui, pro aspectibus coniunctionibusq; planetarum. nam cum sit corporum domina, corpora ipsa nostra afficit, perinde ut ab alijs ipsa stellis afficitur quoti-

dianis discursibus, applicationibus, coniunctionibus, deflexionibusq; proprias illarum qualitates viresq; pro signorum ac locorum natura sibi mutuata. Et quoniam satis etiam constat Solem generationis parentem esse, vitalemq; ab eo spiritum, ueluti a fonte quodam fluere, ideo in inspicendis natiuitatibus luminaria ipsa in primis consideranda sunt, cum alterum corporibus praesit, alterum vitali substantiae, Videndumq; quibus ipsa caeli partibus feratur, et qua etiam radiatione, et a stellis quibus, et a quo caeli loco aspiciantur, ut corporis ac spiritus nati qualitates mixturasq; temperare possimus. Atq; ut de Luna loquamur, quemadmodum ipsa lumine proprio caret, accipitq; a Sole ipso lumen, sic corpus cui Luna dominatur, vitalem a Sole spiritum haurit. Cumq; Luna ipsa ut pote infima, caeterorumq; planetarum radijs subiecta propter celeritatem suae orbiculationis varias ab illis qualitates temperationesq; suscipiat, eius naturam affectionesq; nati corpus secatum, ueluti materia quaedam suscipiendis impressionibus apta refusas a Luna qualitates suscipit, proq; illarum susceptioe afficitur a qua est affectioe et anima corpori iuncta mouetur secuta motiones concursatodesq; quae in corde sunt, atq; in diuersis cerebri locis siquidem sentimus appetimusq; prius quam aut itelligimus aut agimus. Atq; ut de singulis planetis singillatim aliquid naturae cuiusq; proprium iradannus, Saturnus dat cunctationem, grauitatem, patientiam, taciturnitatem, parsimoniam, cautelam. Iupiter benignitatem, modestiam, maturitatem, probitatem, rectitudinem. Mars uirilitatem, fiduciam, perfidiam, iracundiam, crudelitatem propter uitatem. Sol nobilitatem, elationem, religionem, superbiam. Venus splendorem, uenustatem, hilaritatem, simplicitatem, luxum. Mercurius astutiam, computationem, calliditatem, mobilitatem, concitationem, turbulentiam. Luna ipsa dat acumen, elegantiam, nec non splendorem, gratiamq; popularem. In cuius itaq; natiuitate Luna felici fuerit radiatione a Ioue inspecta, bonitatem, moderationem ac rectitudinem, quam a Iouis stella sibi mutuatur, nato refundet. quod eueniet propter sanguinis temperamentum. siquidem, ut dictum est, Iouis stella sanguini dominatur, sanguinis autem moderatio plurimum ad animum ipsius moderationem confert propter motus ipsius temperantiam. Eadem Luna, si Veneris radijs in alicuius genitura amico e loco senserit, nimirum ad proprium splendorem multum de Veneris splendore, gratiaq; adiunget. Contra si a Saturno respiciatur, diminuet de suo splendore proprijsq; elegantijs, ac propter ariditatem, frigiditatemq; ad parsimoniam declinabit. Etenim liberalitas est a calore, a quo et fiducia, at auaritia est a frigore, a quo et metus.

mutuabitur

mutuabitur tamen a Saturno grauitatem, tarditatem, patientiam propter frigus, siccitatemq; frigida enim aridaq; qualis est terra, grauiasunt et firma atq; ad tolerandum magis apta. Adhaec cum motus sit caloris causa, quin etiam ubi uehementior est, cum ignem excitet, male aptus est ad calefaciendum Saturnus propter tarditatem. Si Lunam Mars de propitio aspexerit loco, ex hoc aspectu ad proprium Lunae splendorem, acumenq; multum addetur. siquidem ignis penetrabilis et splendens est, quin etiam de Martis uirilitate sibi non nihil assumet, quod tribuat nato. Quod si a fauentibus Solis radijs in nati alicuius genitura Luna inspecta fuerit, addet ad splendorem suum, addet ad fauorem popularem, calefactaq; de amico solis igne, nati animum, quando ignis sursum contendit, ad nobilitatem, ad magnitudinem, ad honores excitabit. Cum uero Mercurij radijs amico excepit aspectu, ad proprium acumen adiunget calliditatem, mutuabiturq; ab illo concitationem et turbulentiam. Nam cum sit Mercurius retorridae ac pene exustae naturae, qualis est cholera, quae ubi exusta est, in melancholiam declinat, procul dubio natus et cito mouebitur, et rixas turbasq; excitabit. quod est feculentiae melancholicae. Has itaq; stellarum proprias impressiones, naturasq; miscere oportet, usq; Lunam ipsam temperare, pro stellarum ipsarum aspectu, potentia, aut debilitate. Si enim potentes fuerint, Lunam potenter afficient, sin imbecillae, parum quid omnino ei conferent. Erunt autem potentes, si directae, si in suis dignitatibus constitutae fuerint, si in cardinibus aut in succedentibus inuenientur locis, si alicuius stellae fixae, quae eiusdem naturae sit, coniunctionem exceperint. Fit enim pro potentia imbecillitate ue, ut nunc commotiones illae, et animi ad agendum impulsiones principio maiores uideantur, quam re ipsa sint in exitu, nunc uero minores, utq; natus ille sit concitator celeriorq; hic tranquilior ac tardior, et alius quidem in ipsis actionibus obscurus et tacitus, alius apertus et loquax, alius cautus, simulatorq; alius temerarius. Has itaq; stellarum qualitates, affectionesq; corpora nostra referunt, a Luna dominatrice in genituris acceptas. Sed stellarum aspectus, qui plerumq; nocent, sunt aut ex oppositis caeli locis, aut ab intercapedine signorum trium, qui aspectus tum quadratus, tum quadrangulus dicitur, quod tria signa quater ducta duodecim Zodiaci signa compleant. Itaq; planeta in Ariete constitutus planeta in Libra positum opposito intuetur aspectu, quadrato autem eum qui perambulet uel Cancrum uel Capricornum. Qui uero felices dicuntur aspectus sunt aut sextiles hexagoniq; duorum signorum intervallo interiecto. siquidem duo signa sexies

multiplicata totum conficiunt Zodiacum, aut trigoni triangularesq; q sunt ab interapedine quatuor signorū, quatuor enim ter ducta duo decim constituunt. Stella igitur in Ariete collocata uidet sextili aspectu stellam in Aquario aut Geminis positam, trigono quæ sit in Leone aut Sagittario constituta. Nec tamen ignorare nos oportet triangularem aspectum quadranguli uim aliquando suscipere, propter signa quæ paucorum sunt temporum, contra quadrangulum aspectum æquari triangulo, quando sunt multorum temporum signa. Habenda itaq; cū primis horum aspectuum, itemq; coniunctionum ratio, et à quo planeta ad quem planetam Luna ipsa deferatur, ut possimus de uitijs & uirtutibus hominum ueras sententias dicere, qualitates, affectiones, impressionesq; stellarum miscendo & temperando pro Lunæ ipsius in nati corpus refusione. Videnda sunt etiam cœli loca, signaq; consideranda, in quibus stellæ ipsæ reperiuntur in themate genituræ, id est in figura constitutioneq; natiuitatis. Ad hæc diligentissime uidendum, sint ne regredientes an progredientes planetae, ut paulo ante dictum est, in sua ne exaltatione, an in depressione, in finibus proprijs, an planeta alterius positi, & cuius etiam planetae, in domo propria an aliena, dominus etiam domus eius quomodo sit in figura constitutus, an propria aspiciat domum. Hæc igitur aliaq; diligentissime sunt examinanda, ut (quod pictores faciunt in exprimendis lineamentis) possimus & nos in explicandis corporis nati qualitatibus tanquam aduibratis coloribus uti, planetarum qualitates miscendo, et Lunæ affectiones temperando, habita etiam signorum ac locorum ratione diligenti. Quod autem ad explicandam Ptolemæi sententiam attinet, Luna nati commotiones ad agendum pro stellarum aspectu configurationeq; indicat. quæ si uerbi gratia cum Ioue coniuncta fuerit, aut felici ab eo irradiatione illustrata, Iupiterq; ipse feliciter collocatus, ac bene affectus fuerit, nati actiones effectiuas significat, ut ad quod intendit natus ipse ex sententia consequatur, præsertim si ab alijs quoq; planetis præsidium afferetur. contra natus frustra agendo nitetur, inanesq; conatus eius erunt, si Iupiter imbecillus, maleq; affectus atq; infelicitate collocatus inuenietur. Qualitates autem actionum pro naturis stellarum ipsarum erunt, aliæ enim alias in animis natorum commotiones excitant. Quis autem dubitet inertem ignauumq; atq; inanem & ut Græci dicunt, ἀπραγῶν illum fore? in cuius natiuitate Luna sine aspectu configurationeq; ut destituta ac deserta & ut ita dixerim, uidua per cœlum feretur.

DEFECTVS Luminarum in cardinibus genituræ, annuarum uel conuersionum noxius est, accipiunt autem locum ab intervallo ascendentis ac loci defectus. Vt autem ab hora Solaris eclipsis annos, sic ab eclipsis Lunaribus horis menses capis.

PONTANVS

Si Sol ac Luna spiritus & corporis imperium habent, necesse est nos ipsos qui è corpore spiritusq; constamus, affici perinde ut Luminaria afficiuntur. Vnde quod ab Homero dicitur, ab ipso et Aristotele comprobatur, tales nobis mentes inesse, quales singulis diebus Sol afferat planetarum princeps, ac moderator. Itaq; cum Sol Lunaq; patiuntur, et nos ipsos pati ac laborare necesse est. eorum uero manifestissimæ passionis sunt, quos nos defectus & item deliquia atq; obscuraciones, Græci ἐκλείψεις uocant. Nec uero sic aliquis accipiat, ut laborare ac pati eos in cœlo credamus, quod corruptibile est corporum, cum ipsi perpetui sint, nullisq; incommodis obnoxij. Sed nos ita loquimur, ut passionis eas ad nos nostraq; potius referamus, ut cum dicimus Solem nubilum, aut Lunam rubicundam, quæ passionis sunt in aere, indicantq; futuros uentos aut pluuias, quæ à stellis ipsis excitentur. Sol autem cum deficere eum dicimus, nihil ipse prorsus patitur. prohibentur tamen eius radij terras attingere obsistente Luna. At Luna fortasse patitur, qm corpus eius quod opacū est Solis radios terræ umbra impediēte nō accipit. Sed hæc siue passio, siue accidens, siue quo alio nomine dici oporteat, nullum Lunari corpori detrimentum, nullum incommodum affert, sed elementis atq; corporibus quæ ex illis composita sunt. Solis igitur Lunæq; defectus nunquam non malum aliquod portendunt, tum uero maxime nocent, cum in cardinibus fiunt. Ipsa uero mala ualidiora erunt, ubi eclipses longiores fuerint, atq; à nocentibus stellarum radijs Luminaria ipsa percussa. Erunt autem mala ipsa ex natura locorum in quibus defectus ipse contigerit à cuius initio statim ascendens capiendum est, ab eoq; ad alia figuræ loca progrediendum. Eclipsiū autem cardinalium perniciosior est ea quæ fit in angulo genituræ, quam quæ in cardine reuolutionis, quippe quæ loca natiuitatis in se dit, usque arborē à radicibus succidat aut euellat. Cum itaq; contingeret defectus in signo quod

COMMENT.

ascendebat in alicuius genitura, portenditur nato illi malum in corpore, vitaliq; substantia, eritq; malum ipsum magis minus ue perniciosum pro eclipsis qualitate, constitutioneq; eorum, qui domini ac significatores fuerint in figura. Cum primis autem uidendum quomodo se habeat ascendens ipsius dominus. Si autem contigerit in angulo medij coeli iuxta figuram natiuitatis, obnuntiantur damna non modo in uita, uerum etiam in magisterio nati, ac detrimentum dignitatis eius, portendunturq; mala quae a potentibus & magnis uiris inferantur. Vbi autem in signo illo eclipsis facta fuerit, quod in natiuitate inuim id est cardinem subterraneum tenebat, damna patri-
monij denuntiantur, & rerum aliarum, quae a domo quarta significatur. & sic deinceps in alijs geniturae domibus. Quae ut acutius perspiciantur, repetendus est natalis coeli status, conferendusq; cum coeli statu qui erit eclipsis tempore. Inspiciendae fortunatrices stellae, cum quo fauore loca illa tueantur, rursus an maleficae impugnent e potentibus ac minacibus locis. nati etiam annu considerandi, uidendumq; cuius stellae imperio annus ille subiiciatur, ne parte in aliqua iudicium titubet. Futuri uero mali decretum tempus hac ratione colligitur. Quoties Luna deficiat, necesse est Sole ei e regione obistere, id est integro ab ea hemispherio remotum esse, quod coeli spatium centum & octoginta partium est, quos gradus hodie dicimus, qui signa sex constituunt, quod quidem coeli dimidium est. Constituamus itaq; Arietem in ortu, Libram in occasu, Capricornum in medio, & in eo Lunam deficientem, ubi geniturae tempore angulus fuerat, obseruemusq; a defectus principio ad finem, horae quot interlabantur, eaeq; sint tres, tunc dicemus trium Lunarium mensium tempus omne periculosum et noxiu nato fore, longe tamen medium tempus periculosius, quod est mensis unius integri & alterius dimidiati, quando coeli spatium quod erat a gradu Lunae ad ascendens gradum, est graduum octoginta, quae portio est totius hemispherij propè media. Sed ut malum ipsum fiat manifestius, uidendu est eo tempore quo nam aspectu benefici planetae locum aspiciant, et quae sit coeli totius constitutio. Si enim coelum male se habuerit, grauius malum erit, contra minus, si benefici stellae praesidium accesserit. Sin sol eodem in loco defecerit, erit post annum et menses sex grauius malum pro natalis anguli qualitate. quod quidem perniciosius erit si in ipso angulari gradu defectus fit. Sin pluribus ab eo gradibus aberit, mali uis aut euanesceat penitus, aut quicquid erit, periculum magis quam damnum, & metus potius quam discrimen erit. Singulae autem horae Lunaris eclipsis singu-
los menses

los menses indicant, quo tempore Luna cursum suum conficiat, Solaris uero eclipsis horae annos, quo spatio Sol cursum suum peragit. Sed nec praeteriendae sunt horarum fractiones et quae minuta dicuntur, ut dierum quoq; certus colligi numerus possit. Quod autem Ptolemaeus dixit, accipiunt, non accipis, iudicio nobis est, omnes quidem astrologos idem hoc & ante ipsum & eius etiam tempore de horis sensisse, ac tam Aegyptios quam etiam Persas.

PTOLEMAEVS

XXV

DOMINATORIS progressionem cum in medio coeli positus est per sphaerae ascensiones, cum uero in ascendente constitutus est, per climatis ascensiones facito.

PONTANVS

Quia de temporibus colligendis, computandoq; illorum numero mentionem fecit, statim subiungit docens in percensendis temporibus, nunc sphaerae ascensiones, nunc climatis ubi constituti fuerimus, attendendas esse. Cum enim singuli gradus singulos annos denuntiare dicantur, hoc sic accipiendum est, ut gradus alibi plus temporis ascendendo occupent, alibi minus, idemq; in descendendo. Nam cum Leo antequam totus ascendat, horas duas & tertiam horae partem occupet, Aquarius uero horam unam & horae alterius partes octo, ut in partes duodecim horam distribuamus, efficitur uti Leonis gradus Aquarii gradibus maiores sint. quocirca aequandi uidentur ad pares ascendendi portiones, atq; ad eos aequatos annu referendi, quando singuli Aquarii gradus singulos annos non implent, Leonis uero unusquisq; gradus anno id plus occupet quod supra duas aequas horas totus Leo occupat in ascensu, tertiam illam horae partem aequis sibi portionibus assumens, facta aequali in triginta gradus distributione. Sed iam ad rem ipsam ueniamus. In genituris inspicendis, ut possimus decretum a planeta tempus pronuntiare, primum uidere oportet in qua coeli parte planeta ipse constitutus sit, qui si medium coeli tenuerit, iuxta sphaerae ascensiones tempora metiemur, sin in oriente positus fuerit, iuxta climatis ascensiones tempora supputabimus. Quid autem sequendu sit, si inter duo haec loca constituatur, hic quidem Ptolemaeus non aperuit, sed id intellegendum reliquisse uidetur, quod ipse alias doctuerat, hoc est ut utraeq; ascensiones capiuntur, simulq; misceantur inuicem temperado. qua de re in tertio apotelesmatum libro a Ptolemaeo multa traduntur praeccepta, & nos alias longius atq; expressius differemus. Prae-

cipit igitur ut significator id est dominantis in figura stellæ progressionem, quam hodie & sanè inepte directionem uocant, hac ratione faciamus, Græci dicunt $\pi\epsilon\pi\tau\alpha\tau\omicron\nu$, nos & inambulationem et permeationem & progressionem & peragratiōem & projectionē reuete dicimus, quæ uox tempus id est & annos & menses & dies significat, quibus ad locum illum quem querimus cui planeta minabatur decurso spatio interiecto progressio peruenerit. ueluti cum Mars ex primo Capricorni gradu Arietis gradus quadrangulariter ferit, sumpto graduum intervallo, gradibusq; ipsis coæquatis, querimus post quot annos mensesq; malum illud portenditur, quod tum quidem portenditur, cum ad gradum illum id est ad annum a gradu significatum progressio ipsa peruenerit.

PTOLEMAEVS

XXVI

L A T E T planè res, cum stella eam significans aut sub terra aut in loco alieno Soli coniungitur, contra patet, cum è depressione in altitudinem tollitur, propriòq; in loco collocatur.

PONTANVS

Solem si lucis fontem esse constat, omnis ab eo claritas erit. Si tenebræ de lucis amotione fiunt, erit Solis absentia tenebrarum atq; obscuritatis causa. occulta autem omnia obscura sunt, manifesta uero clara, et hæc quidem ob præsentem lucem, illa ob lucis amotionem. Solis igitur præsentia claritatis, absentia obscuritatis prima causa est. Ad hæc si uoluntatem sensus excitant, a qua ipsi ad agendum impellimur, ipsi autem sensus corporei sunt, cum inferiora hæc corpora celestium corporum agitationes sequantur, necesse est uti actiones ipsæ hominum a caelo ipso mouendi principium habeant. Docuit autem diuturna sapientissimorum hominum obseruatio, cui planetae, cui etiam caeli loco, quod in duodecim loca domosq; distribuerunt, quam rem actionemq; attribuamus, siue laude, siue uituperatione digna sit. In quo quidem secuti sunt tum corporeorum humorum qualitates, uires, naturas, effectus, tum locorum caeli ipsius, motusq; caelestis, a quorum quidem humorum commotionibus, ubi moderate ipsæ fuerint, & actiones moderate proficiunt, ubi uero modo mensurâq; caruerint, immodicæ atq; inordinatæ erunt. Ex quo efficitur, ut actiones hominum aut moderate sint aut immoderate. nam aut medium retinebunt, aut in alterum extremum propendent, pro modo naturâq; com-

motionum. Eadem autem actiones siue turpes, ut furta, adulteria, siue honestæ, ut dicta, factaq; commendatione digna, aut manifestæ et clarae sunt, aut occultæ, obscuræq;. quod euenit è Solis collocatione in caelo ipso agendi tempore, atq; è coniunctione et statu planetæ, qui actionis est rei; significator. Verbi gratia, Nauauit egregiam quis operâ aduersus hostem, quo tempore Mars Soli coniunctus erat, aut sub terra in hemisperio inferiori, aut in loco improprio et alieno, ubi Mars eius actionis significator nullam prærogatiuam, nullum ius habebat, puta in signo non suo, in finibus alienis, locoq; depresso, erit facinus id obscurum, et fama id est hominum celebritate carebit. quo tempore si quis paricidium fecerit, latebit atq; ignorabitur, quod lucis author sub terra absit, significatrixq; facinoris stella Solis radijs uicta oppressâq; ita deliteat, ut nec loci, nec signi, nec finium autoritate uulla efferre illud in lucem possit. Etenim candentissima lux minimum lumen hebetat, quod dies ipse declarat. siquidem stellæ diurno tempore Solaris lucis maiestate occuluntur, & accensus cereus si meridianis Solis radijs admoueat, nullum lumen emittit. Ex hac igitur Ptolemæi sententia argumentari licet, hominum actiones facinorâq; manifestæ aut occultæ futura pro collocatione Solis stellæq; significatricis, tempore perpetrati facinoris. Erunt enim clara et nota si planeta significator fuerit a Solis radijs remotus, liberq; uagabitur, eoq; notiora, si in cardinibus hemisperij superioris, si in sua domo aut in altitudine inueniatur. contra obscura atq; ignota, si stella significatrix radijs Solis occultatur in hemisperio inferiori, atq; eo magis si in signo alieno, et ubi morret atq; deicitur. Sed hæc ita temperanda sunt, ut res ipsa planè latere dicatur, ubi omnia quæ dicta sunt simul conuenerint, sin non omnia, magis minus uel manifesta futura res est, perinde ut plura pauciora uel conuenerint. Fieri enim potest, ut stella sit Soli coniuncta in loco alieno atq; in depressione sua, tamen in medio caeli cardine, contra ut in imo coniungatur, in exaltatione tamen sua, atq; in finibus suis. Græci quam nunc exaltationem dicimus, $\upsilon\pi\epsilon\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$ uocant. eadem a nostris altitudo & subleuatio dici solet, & quæ a nobis depressio ab illis $\pi\alpha\tau\alpha\upsilon\mu\alpha$ dicitur, quæ & humilitas et deiectio uocatur, a quibusdam etiam casus. Exaltatur autem Saturnus in Libra, deprimatur in Ariete. tollitur Iupiter in Cancro, deicitur in Capricorno. subleuatur Mars in Capricorno, addit in Cancro. Sol in Ariete, Venus in Piscibus. Mercurius in Virgine. Luna in Tauro cū maiestate residet, at in signis quæ sunt his contraria, oppressi iacent. Quam autem Ptolemæus de re negotioq; hic loquitur, utrûq; enim sonat $\pi\alpha\tau\alpha\upsilon\mu\alpha$, sunt in qui

COMMENT.

dicat, siq; ob patratu scelus ira magistratus fugies delitecat qua hora stella scelus significans soli ut praedicitur coniuncta est, fore ut is aut pereat in latebris, aut saltem grauiissima patiatur.

PTOLEMAEVS

XXVII

VENVS nato uoluptatem affert in membro, cui signum in quo ipsa est, dominatur. Idem & in caeteris stellis.

PONTANVS

Cum triplex sit animae nostrae uis, una ad Martem, ut dictum est, potissimum refertur. nam cum ira e sanguinis accensione conatetur, ob quam commotionem rubrabilis succensa effervescat, iure uis haec Marti tribuitur, qui huic humori dominatur, unde rixarum ac bellorum Deus ab antiquis dictus est. Altera cuius proprium est oblectari & suauia quaerere, Veneri ab antiqs attributa est. quod eius stellae propriu sit, in ijs quae animalia dicuntur, uoluptatem infundere, atq; ingenerare. Etenim quaecunq; sensibus utuntur, ea necesse est oblectatione afficiantur, sequanturq; laeta ac iucunda, quandoquidem haec naturaliter appetuntur. si enim phisicis credimus, quae sensibus praedita sunt, oia et laetantur et dolent, laetantur iucundis, dolent tristibus, atq; ad ea quae uoluptatis speciem praese ferunt, ab appetitu mouentur, cuius quidem cupiditas dux est. neq; enim sine cupiditate quicquam appetitur. Iucundorum autem licet non sit una species, omne tamen iucundum oblectat, contra quod est triste, dolore afficit, & illud quidem ut bonum & appetitur & cupitur & delectat, hoc ut malum & angit & turbat & cauetur. atq; ut ad illud naturali instinctu ferimur, sic mala fugimus, & pro uirili declinamus. si igitur ita se res habet, sicq; a natura comparatum est, ut omne quod sentit appetat, quodq; appetit cupiat, cupianturq; iucunda, laeta, & commoda, iure huic animae parti quae concupiscibilis dicitur, Venus praeposita est, cum ex ea appetitione & cupiditate titillationes illae in animalibus ceantur ad uoluptatem, cuius Venus conciliatrix esse dicitur, ideoq; a Lucretio hominum diuumq; uoluptas dicta est. Aptissime igitur ut Marti uis animae irascibilis, sic Veneri concupiscibilis attribuitur, cu eius stellae propriu sit iucundi cupiditatem in animalibus excitare. De tertia uero post dicemus. Nec uero eorum omnium quae planetae in nobis agunt, ubiq; sua ratio reddi potest. quae ne in herbaru quide actionibus sem-

per redditur. qua in re satis est dicere, quod ea uis a natura insit, quodq; effectus ipse sic esse demonstrat. Venus igitur ab insita ui propriaq; autoritate uoluptates excitat, id quod etia uulgus non ambigit. Vnde & odoratus & iecur & caro Veneri attribuntur, ac praesidere illis dicitur. Volunt autem ex iecinore appetitionum & cupidinum fontem emanare, ex quo fit, ut iure id Veneri membru attribuantur. & in carne quidem, quod in ea tactus collocatus est, titillationes posita sunt. Odoratus uero quantum conferat ad delectationem, quae humanae naturae praecipua quaedam conseruatrix & custos est, illud docet, quod a dolore & putre hominis natura, medicoru sententia, sic offendatur, ut ab ijs prosterni & confici eam putent. Cu aut duodecim coeli signa alia alijs corporis membris praesint, plurimu ipsa ad animae concupiscentia conferunt. quin immo uoluptas ac iucundi studiū pro natura signi in quo geniturae tempore fertur, a Veneri suscitatur. quae causa est, cur alij alias ad uoluptates studiaq; propensiores sint, quam quidem ad rem perscrutandam, terminorum quoq; quos ueteres Latini fines, Graeci ὄρη uocant, qualitates attendendae sunt, uidendumq; qui sint ipsorum terminorum domini, & quomodo in genitura collocati, quos etiam aspectus ac temperamenta habeant. Sed nec facies id est signorum decani, quas decurias appellare Latino uerbo placet, negligendi sunt. qua in re imitandi potissimum sunt medici, qui non solum qualitates morbi, naturamq; humoris qui morbum excitauit, inspiciunt, sed aegroti quoq; aetatem & anni tempestates & regionem & uictum, quo dum sanus esset utebatur, & quas etia artes sit secutus, aliaq; huiusmodi diligentissime considerat. Nihil enim aut in medicina aut in astrologia artificiosius quam misce re ac temperare. siquidem medicis inuenta morbi natura, mathematicis coeli stellarumq; locis compertis, tunc magna opus est arte, qua illi ea temperent, quibus pernicioso humore depulso sanitatem concilient, hi quae ad indicandas corporis atq; animae nati qualitates, moresq; conueniunt in genitura. In quo uis ois medica quide ad sanitatem restituenda, astrologi ad futura praedicenda uersatur. Quocirca cum appetibile animae uim Venus moueat, comotionesq; eas ipsa moderetur, iure uoluptates ac iucundi studiū a Veneri in genitura exiguntur, pro signi natura, figuraeq; constitutione. Verbi gratia, Nascete aliquo Venus ascendit in Ariete constituta, quae capiti Aries dominatur, uoluptates potissimu excitabit ab oculis, cuius sensus obiecta cu sint colores, nati eius oblectamenta erunt ex ornatibus, picturis, atq; mudijs. Quod si Venus in suis posita finibus erit, natus ille ex picturis lasci-

COMMENT.

nis et floridis atq; ex gēnis uestibusq; elegātoribus uoluptatē capiet. Delectabitur itē unguentis, odoribus, sertis, & suauibus sonis, alijsq; quæ nares auresq; demulcēāt, et comæ studiosus erit. Sin i Tauro collocabitur, natus q; Venerē sic collocatā habuerit, amabit cantus et carmina poetica, delectabitur fabellis & cantilenis, capietq; uoluptatem ex gustu propter Taurū qui collū in homine possidet. eadē Venus libidinis appetitum magis prouocat in Libra residens, quod id signum in corpore nostro renes, uertebras & pectinē habeat. Sed aliorū planetarum boni maliue aspectus multum in utranq; partem conferūt & ad demendū de libidinis appetitu, uoluptatumq; aliarū, & ad illud augendum incendendumq;. Atq; hæc quidē ratio in reliquis signis sequenda est. In quibus iudicandis ne fallamur, summo studio uindendū est quis planetarū animæ qualitatibus magis imperet, et quæ sit Veneri planetisq; alijs familiaritate coniunctus. quibus cognitis animæ nati qualitates tanquam lineamenta quædam adumbrari poterunt. Quoniam autem non sola Venus, sed ceteri omnes planetæ, pro natura signi quo feruntur, uires suas exercent, ideo Ptolemæus subiecit idem in cæteris stellis, hoc est erraticis sentiendū. siquidē signi naturam non solum in ijs quæ sunt corporis, sed quæ animæ quoq; sunt, sequuntur. Quas ad res coniiciendas cœli etiam situs & natalis constitutionis series cōsideranda ē. In primis autē intellegere oportet qd quisq; planeta in quoq; signo, et i qbus etiam cœli locis significet. Locū aut Veneris iure Ptolemæus inspiciendū uel i primis monet, qd appetibile animæ uim prima omnium Venus moueat, p quā amamus, odimus, appetimus, abhorremus, lætamur, dolemus. Ne autem i aliquo falleremur, imo ut ois nati qualitas manifesta fieret, signū ēt in quo unusq; planeta genituræ tēpore iuenitur, diligēter cōsiderādū subiunxit. qd præceptū nō modo ad uoluptates, uerū ad oēs animæ qualitates ingrendas referendū est. Quas ad res si erraticarū oium locis inspiciendus ē, uidetur Martis, Mercurijq; loca præcipue cōsiderāda, qui quam uel artem uel disciplinā uel facultatem natus secuturus sit, discernere dicuntur.

PTOLEMÆVS

XXVIII

CVM præstare non poteris, ut duabus Lunam stellis coniungas, id præsta, ut stellæ fixæ eam coniungas illarum mixturam habenti.

PONTANVS

In rebus inchoandis, principijsq; auspiciandis cum primis inspiciendum

uidetur ascendens, ipsiusq; ascendens dominus, & item domus ea cū agēda res attribuitur, ac dominus domus eius. Etenim si dominus ascendens & signi in quo negotiū suscipiendum collocatur, bene se habuerint, exitus rei eius bonus atq; ex suscipientis sententia portenditur. Quoniā autem præceptum hoc ad electiones potissimū pertinet, meminisse debemus sententiæ illius, qua monemur, electiones tunc utiles esse, cum tempus fuerit a genitura accommodatum. Quocirca natalis cœli constitutio in ijs suscipiendis ante omnia cōsideranda est, ad eamq; electio referenda. Nā & agricola in semente faciendā naturā soli primum inspiciunt, qua inspecta & genus seminis solo aptū diligunt, & tempus sationi idoneū capiunt. Cum igitur Lunæ potestas ac uis tanta sit, monet in suscipiendis negotijs felicē eius configurationem obseruandā, cum domino tum ascendenti, tum signi, cui peragenda res attribuitur. Quod autem de domino ascendenti dicimus, et de domino medijs cœli, deq; aliorū cœli dominis dicimus, pro natura electionis. Quod ubi præstare non poterit, ut utriq; domino Luna iungatur, tunc ex ijs quæ fixæ dicuntur, stella peragenda est, quæ naturæ amborum sit particeps, ex cuius coniunctione, atq; ob susceptas a fixæ qualitates illis familiaris efficiatur. Verbi gratia, si cū dominus ascendens sit Iupiter, septimæ uero Mercurius, nec Lunā potes in opportuna utriusq; configuratione collocare, fixā inquiras stellam Iouis & Mercurij participē, cum qua Lunā amice cōstituas id seruabis si dominus medijs cœli Saturnus, duodecimæ uero domus Iupiter dominus fuerit, et sic deinceps pro rei qualitate ac natura. Quod medici quoq; seruāt, qd miscēdis potionibus si quo uel succo uel radice aut semine carerēt, p simili aliquo utuntur, qd uires easdē habeat. Etenim Luna stellæ fixæ radijs feliciter illustrata si nō per aspectū aut coniunctionē, per similes tñ naturas planetis illis familiaris amicitq; effecta eorū significationes adiunabit, et quædā tanq; mediatrix, ut sic loquar, eosdē simul cōponet, qbus cōpositis et in hac familiaritatē adductis de felici euentu optime promittendū erit. Similia enim similibus cōferūt. Hoc ēt ciuilibus in negotijs atq; causis obseruare ciues solent, qd dū ad prætorē aut regē habere aditū ipsi nequeunt, aliquē notū atq; amicū ad eunt, cuius opera se insinuet, negotiaq; cōmendēt. Ex hoc Ptolemæi præcepto facile iudicari potest quā solerter in rebus omnibus Lunæ cursus obseruādus sit. Quocirca in natiuitatibus quoq; animaduertendum diligenter censeo an Luna cui planetæ per radios cōiuncta nō est, sit fortasse p stellā fixā ac ratione coniuncta? Neq; enim contēnda est coniunctio hæc, quæ similibus ē qualitatibus potestatibusq; exi-

COMMENT.

stie. quod enim possunt fines propter naturas dominorum, & stelle fixæ poterunt propter similitudinem naturarum.

PTOLEMAEVS

XXIX

STELLAE fixæ irrationabiles atq; admirabiles felicitates afferunt, quas tamen plerumq; calamitatibus insigunt, nisi & planetae ad felicitatem conueniant.

PONTANVS

Maiores nostri cum res coeli non satis compertas haberent, ignes illos ætherios tum stellas quod stare illas putarent, tum sydera a sidendo uocauerunt, ut Martiano placere uideo. post uero cum coelestium motuum cognitio quæ Astronomia dicitur, in lucem uenisset, septem has inferiores ab errore, hoc est peregrinatione, motusq; diuersitate erraticas, cæteras uero q̄ earum motus post centum annos uix cerneretur, quod humanæ uitæ spatium longissimum uidetur, fixas cognominarunt. quæ nulla coeli pars est præter polos quæ firmamenta a posterioribus dicta sunt, quæ non continue moueantur. Erraticarum autem stellarum, quos πλανήτας Græci dixere, potestates naturæq; facilius comprehendere sunt propter propinquitatem, motusq; celeritatem, nam & cursus earum et tempora quibus illos peragunt, et quid in coniunctionibus, quid item in aspectibus, & in singulis tum signis, tum locis annuntient, humana solertia pedetentim assecuta est. At ex infinito illo fixarum numero pauca admodum nota sunt, quas tamen nec frustra moueri, nec in cassum munera sua obire credendum est. Diuturna itaq; observatio docuit, stellas quasdam maximas afferre felicitates solere, quoties nascente aliquo, in orientis aut medijs coeli cardine aut cum ipsa parte fortunæ aut cum sole Lunaq; partiliter reperirentur. Sed quis lucidæ stellæ permultæ sint, & inuarijs signis, diuersisq; coeli locis posita, quæ tamen regie atq; augustæ dicuntur, & per pauca sunt, & in quatuor tantum signis collocatæ, hoc est Tauro, Leone, & in ijs oppositis signis Scorpio, & Aquario. Quæ in primis quos dixi genituræ cardinibus partiliter inuentæ maximas facultates decernunt, quæ natum ita extollunt, ut & legionibus præficiant, & moderandis populis principem ac regem statuunt, licet ipse sit obscuris parentibus atq; humili loco natus. Hoc igitur illud est quod ait Ptolemæus irrationabiles et admirabiles. nam q̄ filius magni duce in re militari a patre institutus, ac primo sub illius auspicijs, deinde suis exercitum ducat, atq; ut regis filius a patre institutus in regno paterno succedat, nec magis

LIB. I.

29

uideretur, nec absq; ratione, quod Græce uerbum ἀλογον significat. quādo institutio disciplinaq; & ciuiles item leges in hominibus atque hominum rebus tantopere ualent. At repentinum, id est sine ratione est admirabile uisum est, Nicolaum Picinum Lanij filium, Mutium Sfortiam agricolæ etiam ignobilis eodem magnitudinis peruenisse. Sed cum repentina & quæ sine ratione sunt, parum sint diuturna (uidentur enim quodammodo uiolenta) itcirco insigni aliqua calamitate confici consueuere. Græci quidam textus habent, Saturni calamitates, quod Ptolemæi uerbis additum iudicamus, cum etiam Martis calamitatibus multos quibus stellæ fixæ ingentia bona contulerat, perisse sciamus. Idem textus non habent id quod de planetis dictum legitur, hoc est, nisi planetae ad felicitatem conueniant. quod licet additum uideri possit, summa tamen cum ratione dictum est, ut eorum præsidio fixæ stellæ muniantur. Maximum autem præsidium Iouis uidetur propter naturæ temperantiam. Bona quæ a Planetis conferuntur, parcius, pedetentimq; & per labores arte, industriaq; adhibita homines assequi solent, contra quæ a stellis fixis dantur. obijci potius uidentur, nullo quodammodo, aut perquam exiguo merito. quod circa ea magis repente obiecta, quàm ratione comparata uideri possunt. Sed cum stellæ quas dixi tam sint remotæ, Luna uero finitima, ut pote omnium citima, quas ab eis qualitates accepit, terris refundens, illarum actionibus plurimum cõfert, quæ partiliter cum illis inuenta in primo aut medio cardine immensas facultates promittit, præsertim si lumine plena sit, quas mirum in modum Iupiter stabiliet, si salubribus Lunam radijs illustrauerit. Constituamus itaq; nasci aliquem regia stella Tauri, horoscopum tenente, eius stellæ uis natum eum supra paternas facultates euehet, sed uis ea nec satis stabilis, nec admodum fidelis uideretur, cum propter radiorum tam longinquam remotionem, tum quæ connexionem ac uinculis caret. Quæ enim nullis uinculis connexa sunt, facile soluantur. Luna igitur ut corporum domina si radios eius exceperit, & tanquam media in natum transtulerit præsertim in sua altitudine atq; in primo cardine posita, mirum in modum et augebit, et confirmabit bona ab regia stella promissa. Quod si Venus Tauri domina de Piscibus in quibus exaltatur, & Lunam et domum suam aspexerit, plurimum addet & ad felicitatem et ad perpetuitatem. de cuius quidem felicitatis magnitudine constantiaq; nihil omnino uerendum est, si Iupiter in Cancro ubi exaltatur, & in domo Lunæ constitutus ascendentem cum regia stella Lunam intuebitur, præsertim si nec Saturnus, nec Mars in hac constitutione infelicitate collocati fuerint.

Quo circa quæ bona planetæ largiuntur, stabiliora sunt, quoniam & propinquiores ipsi sunt, & se ipsos inuicem aspiciunt, simulq; congregiuntur, & mutuis præsijs tuentur, ac uinculis propè quibusdam innectunt, atq; ultro citroq; dant, accipiuntq; cum stellæ fixæ nec unâ inter se coniungantur, nec ad mutuos aspectus accedant. Itaq; tamen si ex altissimis cœli culminibus in elementa influunt, ipsarum tamen influxus inconstantior est, si nullis planetarum præsijs munitus, nec tanquam medijs quibusdam nexibus uinctus fuerit. Quare fit, ut quod extimam & supremam sedem teneant, uires quidem potissimas & admirabiles pro loci maiestate habeant, quod uero tã sint remotæ, planetarum præsijs quasi nexibus quibusdam indigeant, quibus deficientibus, tanq; præsijs destitutæ quod largitæ sunt, parû tuetur. ex quo fit ut cõcessæ felicitatis finis calamitosus sit. Quod nec mirum uidebitur res humanas consideranti, quæ ita natura comparatæ sunt, ut quanto maiores sunt, atq; altiore in loco positæ, tanto & difficilius custodiantur, & periculosius concidant. Quoniam autem stellæ fixæ & ad septentrionem et ad meridiem sparsim collocatæ sunt, probe inspicendum est ne gradus nos fallat. Linea enim à primo Arietis gradu ad polos uirosq; deducta nobis qui in hoc climate habitamus pari modo non exoritur. siquidem ubi pars septentrionalis sese extulerit, australis depressa iacebit. ex quo fit, uti Sole in primo Arietis gradu exoriens non exoritur cum eo fixa in eadem linea ad austrum posita, sed aliquot post gradibus. contra ad septentriones posita, citius exortæ Solem antecedit, ut nec cum Sole simul orientur, nec occidant. In omni autem sermone qui de stellis fixis habetur, ante omnia uidendum est, beneficiarum ne, an maleficarum stellarum qualitates naturasq; sortitæ sint, ut certius de illis ferri iudicium possit. Atq; hæc quæ de stellis fixis à nobis dicta sunt, sic intellegi uolumus, ut existimemus potius eas ob insitam quandam uim efficaciamq; talia efficere atq; præstare, quemadmodum de magnete ferrum ad se rapiente, deq; quarundam herbarum admirandis uiribus dicitur, atq; eo magis, quod illæ nihil elementare habent nihil caducum. Earû cû aliæ qdæ beneficiis, aliæ maleficis planetis similes uires naturæ sint, quin etiã sint non nullæ quæ nec maleficis nec beneficiis simile aliquid habeat, sed planetis illis similiore sint, q; communem quandam naturam sequuntur, non omnibus eodem modo fidendum uidetur. nã quæ Martiæ Saturninæq; qualitatis esse perhibentur, eas parum fidelis fore par est. Quod enim conferunt, propter insitam malitiam parû tuentur. sed nec illis omnino fidendû uidetur, quæ benefici simul, male-

ficiq; planetæ uires tanq; repugnantibus qualitatibus compositas habet. De ipsarû uero stellarû fixarû naturis qualitatibusq; hæc à maioribus tradita inuenimus. Stellæ quæ in Arietis capite collocatæ sunt, Martis ac Saturni qualitatibus similes qualitates habent. quæ in ore, Mercurium imitantur, quadam etiam ex parte Saturnum. quæ in posteriore Arietis pede collocantur, Martis, quæ ad caudam, Veneris qualitatem sequuntur. Taurus ab antiquis sic in cœlo formatus est, ut pars eius posterior tanquam à reliquo corpore abscissa latere dicatur. Stellæ igitur quæ ad Tauri abscissionem positæ sunt, Veneriæ temperationis esse dicuntur, quamuis Saturninum etiam quiddã unâ mixtum habeant. Stellæ autem illæ quæ à Babylonijs dicuntur atorage, Græce *πράγες*, Latine uergiliæ, quod extremo uere, cum æstas incipit, orientur, Lunæ ac Iouis naturas imitantur. has stellas qui hora genituræ cum Luna horoscopantes habuerit, magnus & clarus erit. quas si Iupiter feliciter irradiauerit, exercitum ducet, ac terra mariq; multa geret, demum offenso principe mala morte peribit. Licet autem, ut dictum est, Iouiæ naturæ sint, tamen qui eas ortus sui tempore in occiduo cardine habuerit, à maleficis stellis percussas, naufragus morietur. Quod si beneficæ etiam stellæ illas feliciter intuebuntur, nihilominus repentina illi mors ex nimio coitu, aut inter uina epulasq; portenditur. Quin etiam si quis Lunam in pliadibus lumine uacua nascens habuerit, à Marte aut Saturno hostiliter percussam, oculis capietur. quæ hoc in loco ideo attigimus, ut iuxta Ptolemæi sententiam re ipsa intellegatur, finem plerunq; calamitosum ab stellis fixis inferri. Ex hyadibus quas Latini ueteres *ficulas* dixerunt, ut alij uolui in ore, alij in fronte, alij in Tauri capite constitutis, una illa fulgens ac ritila, quæ Græce *λαμπαρίς*, Chaldaice *aldebaran* dicitur, Martiam efficaciam habet, reliquæ Saturninam, quamuis etiam aliquantulum Mercurij habeant. Quæ in summis cornibus positæ sunt, solius Martis naturam sequuntur. Stellæ quæ ad pedes Geminarum constitutæ sunt, similes Mercurio uires habent, quadam etiã ex parte Venerem imitantur. Limpidæ stellæ quæ in femoribus collocantur, Saturno similes sunt. Ex ijs quæ in capite anteriori splendent, altera quam Caldæi uocant *anhelar*, Græce *ἀπλόνοσ ἀστρον* dicitur, ea Mercurio similis est, altera quæ in capite posteriori fulget, Marti, à Græcis *ἠρακλέος ἀστρον* stella cognominatur, à Chaldæis dicitur *abrachaleus*. Stellæ quæ ad Cancri pedes sitæ sunt, easdem quas stella Mercurij uires habent, Martis quoque naturam quadam ex parte sequuntur. Quæ sunt ad chelas, uocanturq; à

COMMENT.

Chaldæis a Rubene, Saturni ac Mercurij qualitates retinent. Nebula quæ est in eius pectore, quod præsepe complures è nostris uocant, Caldaice est meelleph, Græce $\nu\epsilon\phi\alpha\omega\epsilon\delta\upsilon\varsigma\ \sigma\upsilon\sigma\pi\omicron\upsilon\iota$, Martis, Lunæq; uires habet. Stellæ autem qui asini uocantur, ad ipsum præsepe constituti Marti ac Soli similes esse perhibentur. Duæ stellæ quæ ad caput Leonis describuntur, Saturno similes sunt, aliquantulum etiam Martis habent. Tres illæ quæ Leonis collū constituunt, Saturno et similes sunt. quadam etiam ex parte Mercurio, Lucida quæ est ad cor Leonis, uocaturq; à nostris regia, $\beta\alpha\sigma\acute{\iota}\lambda\iota\omicron\upsilon\omicron\varsigma$ à Græcis, Marti ac Ioui similis est. Hanc stellam qui hora genituræ cum Luna crescente habuerit i horoscopo, aut in ipso cæli medio, ad magnas facultates magnaq; iperia promouebitur, neq; enim temere regia uocata est. quoties tamen Mars aut Saturnus ad eam peruenerit, rixas contentiones, et grauiâ illi bella concitabit. Lucidæ stellæ quæ ad lumbum caudamq; Leonis formantur, Saturno Veneriq; quæ in femoribus item Saturno similes sunt. quadam etiam ex parte Mercurio. Virginis signum alatum in cælo formatum est, ad cuius caput, atq; ad apicem australis alæ, stellæ constitutæ Mercurij naturam referunt, habent etiam Martis aliquantulum. Reliquæ stellæ eiusdem alæ, quæ quidem lucidæ sunt, similiter quæ ad pudenda figurantur, Mercurij, et quadam è parte Veneris naturam sequuntur. Stella lucida quæ est ad alam septentrionalem, qui uindemitor dicitur à nostris, à Græcis $\pi\rho\tau\upsilon\rho\upsilon\tau\eta\rho$, à Caldaeis almuçedie alaraph, Saturni Mercurijq; qualitates habet. Quæ autem uocatur à nostris spica, à Græcis $\sigma\alpha\chi\upsilon\varsigma$, Caldaice est al Ximon ala Zel, Veneris qualitatem retinet, habet etiam Martis aliquantulum. Quæ est ad summos Virginis pedes, quæq; dicuntur in ipsa ueste constitutæ, Mercurio et quadam è parte Marti similes esse perhibentur. Veteres Scorpionem ita in cælo effigauerunt, ut duo illi cæli signa occupare uellent. et priorem quidem eius partem, quæ à nostris Libra dicitur, $\chi\acute{\iota}\lambda\alpha\sigma$ Græci uocauerunt. stellæ igitur quæ sunt ad summas chelas, quæ cornua dicuntur à nonnullis Latinorum, Iouiæ, Mercurialisq; qualitates sunt. quæ ad medias chelas Saturninæ. quadam etiam parte Martiæ. Hæc de Libræ stellis. Lucidæ stellæ quæ in Scorpj fronte perlucet, Martias uires habent, Saturni etiam aliquantulum. E tribus stellis in Scorpj dorso distinctis media illa rutila quæ lucidior est, Martia est, aliquantulum etiam Iouiæ. Græce dicitur $\alpha\upsilon\tau\alpha\pi\acute{\iota}\varsigma$ à recentioribus Latinis cor scorpj. Quæ in caudæ internodijs sita sunt, Saturninæ, quadamq; ex parte Mercuriales sunt. quæ in aculco, Mercuriales, Martiæq;. Quæ

sequitur

sequitur nebulosa cæterna Martis Lunæq; naturam sequitur. has stellæ in nebula hac constitutas Caldaei uocat alacha, Græci $\nu\epsilon\phi\alpha\omega\epsilon\delta\upsilon\varsigma\ \sigma\upsilon\sigma\pi\omicron\upsilon\iota$, id est nebulosum globum. Stellæ Sagitarij quæ sunt ad sagittæ cuspidem positæ Martiam Lunaremq; efficaciam habent. quæ sunt in archu ad capulum, hoc est ubi manus archu caput, Iouias, Martiasq; uires habent. Globus stellarum quæ in eius sunt corpore, Solis ac Martis naturam imitatur. quæ sunt in commissura atq; in dorso, Marti similes sunt, quadamq; è parte Mercurio. quæ in pedibus Ioui, Saturnoq;. Stellæ ad caudam positæ in figuram quadranguli, Veneris naturam sequuntur, habent et Saturninum quiddam. Stellæ in Capricorni cornibus positæ Venerem imitantur, licet Martis nõ nihil habeant. quæ in ore collocantur Saturno similes sunt, quadamq; ex parte Veneri. quæ sunt in pedibus atq; in uentre, Martem, Mercuriumq; imitantur. quæ ad caudam, Iouem atq; Saturnum, Stella ad Aquarij humeros positæ, quæq; sunt in eius sinistra, atq; in ueste, Mercurio, Saturnoq; similia faciunt. quæ in femoribus, magis Mercurio, minus Saturno similes sunt. quæ ad effusionem aquæ, Saturni naturam sequuntur, non nihil etiam Iouis habent. Pisces cum Gemini sint et alter quidem rotios, id est australis, alter uero $\beta\acute{o}\rho\epsilon\iota\omicron\varsigma$, id est septentrionalis, stellæ quæ sunt ad Piscis australis caput, eadem quæ Mercurius efficiunt, Saturni quoq; aliquantulum habent. Quæ in dorso, eadem quæ Iupiter et Mercurius agunt. Quoniam autem Pisces hi quodam filo colligati figurantur, quod alij linum, alij lineolâ, alij ligamentum uocant, stellæ quæ sunt ad Piscis australis caudam, atq; ad lineolam australem, Saturninam naturam retinent, quadam è parte Mercurium quoq; imitantur. Quæ sunt in dorso et spina Piscis septentrionalis, Ioui similes sunt, non nihil etiam Veneris habent. quæ sunt in lino septentrionali, Saturni ac Iouis naturas sequuntur. In hac cæli parte, id est inter Pisces atq; Arietem sunt stellæ quædam in orbem dispositæ, Græci $\sigma\upsilon\upsilon\delta\epsilon\omicron\mu\omicron\upsilon\varsigma$, Latini nodum cælestem uocant. nodi huius lucidæ stellæ Martiæ sunt, quadam etiam ex parte Mercuriales. Atq; hæc de stellis fixis Zodiaci orbis, ut ab antiquis authoribus tradita sunt, prodimus. Quæ ad minorem Vrsam lucidæ sunt stellæ, Saturni qualitati similem qualitatem habent, aliquantulum etiam Veneriæ similitudinis. Quæ uero ad Vrsam maiorem. Martis similitudinem referunt. Chorus stellarum qui est sub huius caudam, Lunæ Venerisq; qualitibus persimilis est. Lucidæ stellæ quæ sunt ad serpentem, quem alij draconem, alij anguem uocant, Saturninæ Martiæq; efficaciam sunt. Stellæ Cephei qui à Babylonis si-

COMMENT.

cares dicitur, sunt Iouiae, itemq; Saturninae. Quae ad Bootē sunt, Mercuriales, Saturninae q; Rutila & fulgens stella cui nomen est arcturo, Chaldaice dicitur a Ximec aramer, Martis ac Iouis qualitatem retinet. Quae in septentrionali corona dispositae sunt, quam Chaldaei uocant malfelcare, eadem quae Venus ac Mercurius agunt. Quae ad *ἄρβυροι* qui Latine geniculatus dicitur, Mercurio similes sunt. quae in Lyra, quae Chaldaice uocatur a sange, Veneri ac Mercurio. hoc signum a maioribus tum Graecis tum Latinis Lyra dicebatur, nunc uulturē cadentem nostri uocant. Eandem quoq; Veneris, Mercurijq; naturam sequuntur stellae quae gallinam constituunt. Quae sunt ad Casiopiam, Saturni ac Veneris. quae ad Perseum Iouis & Saturni qualitates retinent. Globus stellarum qui est ad capulum gladij Martius est. Lucidae stellae quae sunt in eniocho, quem nostri aurigam uocant, Marti Mercurioq; similes sunt. Quae in serpentario qui Graece *ἰφίριος* dicitur, Saturni qualitatem retinet, habet & Veneris quiddam. Quae ipso serpente collocantur, qualia Saturnus & Mars efficiunt, Quae ad sagittam positae sunt. Martis naturam imitantur, nō nihil etiam Veneris habent. Stellae aquilam constituentes Martiae ac Iouiae naturae sunt. hoc signum a recentioribus uultur uolans dicitur. Quae delphinum constituunt, Saturno Martiq; similia operatur. Lucidae stellae quae ad equum sunt, Marti ac Mercurio similes sunt. Quae in Andromeda Veneriae, quae in triangulo Mercurialis qualitatis esse perhibentur. Hæc de stellis quae in signis ab orbe signifero in septentrionem uergentibus constituntur, dicta sunt. Earum quae in austrum uergunt lucida stella quae in Piscis australis ore fulget, operationes Veneris Mercurialibus similes facit. Quae in pristinæ qui cetus etiam uocatur Saturninae sunt. Earum quae ad Orionem, quem recentiores fortissimum cognominant, stella quae in humeris collocatur, Marti Mercurioq; similis est. Quae aliae lucidae stellae ibidem sunt, Iouis ac Saturni naturas imitantur. Earum quae in flumine, quem Eridanum multi uocant, ultima quidem & fulgida Iouia est, ceterae Saturninae. Quae in lepore Saturninae ac Mercuriales. Quae in cratere Veneris sunt omnes, præter eam quae in ore lucet, quae Iouia est, aliquantum etiam Martis habens. ea dicitur a Chaldaeis asceher. In procyone, quem nunc antecanem uocant. Est lucida stella, quae Mercurij qualitatem habet, nec non & Martis aliquantulum. Stellae quae ad anquem fulgent, qui & hydrus uocatur, recentiores tamen nescio quatione ducti magnanimum dicunt, Saturninae sunt, atq; Veneriae. Quae in cratere similiter Veneriae sunt, quadam etiam e parte Mer

curiales. Quae ad coruum, Martiae ac Saturninae, Quae in nauis argo perlucet, Saturni ac Iouis qualitates sequuntur. Quae ad centaurum, hoc est stellae illae quae in parte humana corporis sunt, Veneris ac Martis efficaciam habent. Quae uero in parte splendent equa, tum Iouis tum Veneris uires affectu perhibentur. Quae ad belluam id est lupum sunt lucidae stellae, Saturnum imitantur. habent et Martis quiddam. Quae in thuribulo Veneriae sunt atq; ex parte aliqua Mercuriales. Stella quae splendet in australi corona, tum Mercurij tum Saturni qualitati similem qualitatem habet. Hæc de stellis fixis hac in parte dixisse sufficiat. alias fortasse uberius atq; expressius de ijs dicemus.

PTOLEMAEVS

XXX

INSPICE primorum generis regum creationes. Si enim ascendens creationis conuenit cum ascendente geniturae regis filij, is regis successor erit.

PONTANVS

Superiori uerbo Ptolemæus docuit, eas esse fixarum uires, ut infirmi loci homines aliquando in reges eueheret. Sed regno stabilito, regisq; rebus compositis, cum liberi succedere ex lege consueuerint, docet nunc ex filiorū genituris iudicari posse, quis e liberis patri sit in regno successurus, atq; ubi unicus fuerit, an ille successor sit futurus. Quo circa primo inspiciendum iubet caeli statum, qua hora primus regni eius rex gubernacula accepit. antiqui creationem & designationem uocabant, nunc sunt qui coronationem uocent, alij qui thronizationem, deinde nati genituram considerandam, cuius ascendens si cum ascendente paternae id est primae designationis conuenierit, is profecto regni successor erit. Si gnorū autem conuenientia potissimū uidetur ex triangulari et sexagulari aspectu constare. q̄q̄ quae maior conuenientia esse potest, quam si idem signū uiriusq; sit ascendens? Nec uero prætereundum est quod dicit, primorum ex genere regum creationes, non primi, sit enim uti aliquando nepotis genitura cum auita designatione magis conueniat. quando & physica consentiunt, nepotes saepenumero auitam corporis speciem & animae quoque qualitates magis quam paternas referre. Sunt qui alias rationes secuti dicant etiam a culmine, hoc est a loco medij caeli regiae creationis

inducari aliquando successorem, non nunquam etiam à statu coeli atq; à primis cardinibus coniunctionis Solis Lunæq; , aut oppositionis, quæ regiam creationem proxima antecessit. Memoriae proditum est à Græco quodam mathematico, Aronem in Aegypti regno successisse Achimeto patri, idq; Temmen mathematicum ab eo consultum prædixisse, ex aui eius creatione, in qua Scorpius ascenderat, fueratq; Sol in Virgine, cum idem ascendens eundemq; Solis locum in Aronis nepotis genitura fuisse conspicaretur. Idem Græcus mathematicus, Græcum dico quod Græce scripserit, accusat eos, qui dicunt non successuros filios in regno paterno, ubi filiorum natiuitates, stellarum orientaliitate, aut angularitate caruerint, cum magis inspicere debeant ascendentiū, et item culminum designationis paternæ aut auitæ aut primæ ex ea gēte regis cum filij natiuitate conuenientiam, primos reges dico q primū in urbe et regno aliquo regnare incipiūt, ut Alexandriae Ptolemæus. in regno Neapolitano Carolus, quāuis ipse alios ex eo pepulerit. ut non multis ante annis Franciscus Sfortia licet ipse mediolanensem dominatum uxori suæ Blancae asserere uideretur. ut nuper qui à Ferdinando rege aut duces aut barones instituti sunt. sed hac ipsa de re id est de filiorum successione qui iudicaturus est, ante gentium ac populorum leges institutaq; considerare ipsum oportet, cum uideamus apud Syros non Soltanorum id est regum liberos, sed aliquem è seruatorum numero, qui soli apud eos militant, succedere, tamen si tanta interdum coeli uis, tantus stellarum fauor est, ut nothus legitimo præferatur. quod comprobatum est in Leonello Estensi, qui præteritis duobus fratribus legitimis, ipse spurius Nicolao Ferrariensi Marchioni sine ullo bello successit. Quid de Pontificum Romanorum? quid de Venetorum Ducum successione dicā? qui suffragijs tantum creantur. Apud Britanos non tam leges in optinendo regno, quàm factiones bellicæq; uis possunt. Apud Gallos & Hispanos filius nati maximus, quæ primogenitum uocant, in regno succedit, quo ante patrem mortuo, ex eo nepos regni hæres auo substituitur. Sed de hoc satis. Nunc id agimus, cur oriens mediumq; coeli et regnum & regni successorem denuntient, cum alijs in natiuitatibus ab imo patrimonium queratur. Ac ne physicis semper rationibus agamus, quemadmodum in habendo senatu, atq; in capiendis de re publica consilijs, locus eminentior, sedesq; augusta summo magistratu statuitur, sedetq; in suo rex solio, sic in imperijs, dominatibusq; exquirendis in natorum genituris, à coeli culmine id est sublimiore mundi parte res exigitur, iure quidem, quando summus summa conueniunt. unde

niunt. unde nanq; in terras radius aut rector aut uehementior quàm à medio, ubi coeli culmen statutum est, mittitur? quo è loco apertissimus liberrimusq; in terras despectus est. Quod uero ad orientem attinet cardinem. Cum motus causa sit omnium quæ sub cælo fiunt, ab oriente rerum principia metienda sunt. Sicut enim principia in actionibus seriem ex se agendarum rerum explicant, sic orientis cæli motus reliquū coeli uolumen secum trahit, qui motus quando maxime ordinatus est, necesse est ut ordinatam à principio ad exitum seriem adducat. Recte itaq; Ptolemæus iubet ascendens creationis regæ, & regij filij natale ascendens obseruandum ad cognoscendā successione esse. hæc enim si conuenierint necesse est, ut & res quarum principia ipsa sunt, simili modo conueniant.

PTOLEMÆVS

XXXI

CVM regni dominator in locum climatericum incidit, tunc aut rex aut è regni principibus magnus quispiam morietur.

PONTANVS

Græci quidam codices etiam hoc habent, Si in reuoluendo anno regni, stella in signo depressionis inuenta fuerit, magnus aliquis uir ex stelle ipsius natura morietur. Sed ad sententiæ enarrationem ueniamus. Quod est ante dictum, ut generationis sic etiam corruptionis causa motus est, futurorumq; malorum, perinde ut bonorum iudicia & causæ in cælo constitutæ sunt, quando hæc est ad corruptionem uia. Etenim ut generatio interitui, sic felicitati miseria, bono malum aduersatur. atq; ut generationis est incipere, sic interitus est desinere. utrumq; autem à motu efficitur. Cœpit quispiam aliquando rex esse, desinet etiam aliquando, tunc uero desinet, cum minaces planeta ad locum nocentem, atq; letalem peruenerint. Atq; ut corporis nostri fabrica ex contrarijs constat, sic et ipsa contraria ex quibus constamus à cælo affecta corrumpuntur. Sunt itaq; & in cælo contrariorum affectuum atq; effectuum iudicia, significationes & causæ. Neq; enim tanta rerum diuersitas inconstantiaq; esset ex sola materia, cuius tamen proprium est pati magis q̄ agere & affici potius q̄ afficere. Incommodorum itaq; & morborum & corruptionis & mortis, cæterorumq; malorum significationes ex noxijs locis aspectibusq; qui illo rum causæ sunt, oriuntur. quæ quidem mala tunc euenient, cum perniciosus planeta ad locum progredietur, in quo res cœpit, aut ad loca hostilia ac minacia, hoc est quadrata uel opposita, quæ uel minacibus

tunc radijs feriebatur, aut ad loca quæ Græce dicuntur ἀπὸ τῶν ἀστέρων, à nostris hodie ilegalia barbaro nomine uocantur. Quæ loca quoniam Græci uocant climateria, anni quoque progressionis eius climaterici dicuntur. quod nomen inde ductum uidetur, quod ex ascensionibus planetarum, secundum climatis rectum aut obliquum circulum, cognoscatur tempus, quo planeta sit ad locum eum peruenturus. Nos ea loca interimentia & letalia & perniciosa et noxia à loci malignitate uocamus. In creatione igitur regis, ut certa & statuta cæli loca sunt, quæ tum regum regno felicitatem pollicentur, sic contra quæ infelicitatem inueniuntur, & quia creati regis aliquando futurus est exitus, necesse est locum esse aliquem certum statutumque, in quem cum dominator inciderit, rex ipse moriatur, si aut nullum omnino beneficæ stellæ præsidium contulerint, aut beneficarum ipsarum radij hebetes atque imbecilli erunt. Fieri tamen potest, ut periculum mortis quod à creatione portenditur, rex ipse beneficio genituræ securus euadat. Quo circa prius quam de morte certum aliquid affirmetur, genesis inspicienda est, considerandumque regis ne mortem, an regis dignitati finem potius uideatur afferre, ipso rege supersite, an alicui ex regni primoribus mortem minuetur, ut nuper in Roberto Principe Salernitano uidimus comprobari. De qualitate autem mortis consulendi sunt planetæ illam minitantes et loca et gradus et signa, in quibus atque quibus portenditur. Idem regni significator cum in reuoluendis regni annis in depressione sua languere inuentus fuerit, potentis alicuius et clari uiri ex natura sua mori denuntiat. Sed hoc (ut dixi) Græci quidam codices tantum habent, quibus nec absonum uideatur, nec ratione carere. Regni autem dominator significatorque is est, qui plures, potioresque prerogatiuas in medijs cæli cardine habet, quem tamen mutari contingit, siquidem aliud par est fuisse Romani imperij significatore, cum primi consules magistratum iniere, aliud cum decem tribuni, aliud cum Iulius Cæsar in sella curuli regio more sedit, aliud cum Imperator Constantinus imperium, atque imperij iura Bizantium transtulit, aliud cum uiginti quatuor ante annis Mahometus Turcarum rex Constantinopolim cepit, cæso Imperatore, ac Græcorum rebus attritis. quæ obseruari summa diligentia à mathematico debet.

PTOLEMAEVS

XXXII

CONCORDIAM inter duos facit conueniens stellarum figuratio speciem rei significantium, ex qua beneuolentia in utriusque genitura constituta est.

De ingenij aptitudine, deque naturali ad rem aliquam instinctu in uerbo tertio abunde dictum est. Quia uero in iisdem non solum artibus, uerum etiam facultatibus disciplinisque alij inter se inimicitias exercent, alij singulari quodam consensu simul uiuerent, redditur hic à Ptolemaeo & discordiæ & consensus ratio, quam ex natalitiarum stellarum collocatione artem et facultatem eam significantium proficisci docet. Etenim si naturalis ad rem aliquam propensio à stellis manat, à quibus corporis est formata fabrica, si felices infelicesque, amici inimicique in cælo stellarum ipsarum aspectus sunt, si earum radij nunc coniuncti, nunc obliqui, nunc etiam aduersi irradiant, fieri necesse est, ut inter eos qui artes facultatesque ab illis significatas exercent, concordia discordiæue pro radiorum collocationisque necessitudine aut hostilitate oriatur. Quo circa inspectis genituris eorum que ad mercaturam, que ad easdem artes facultatesque exercendas à cælo applicantur, facile prudens Mathematicus iudicabit, futurum an sit inter illos concordia, an discordia, odium an familiaritas, commodatio an incommodatio. quod stellarum collocatio ac cæli status demonstrabit. Si enim facultatis eiusdem stella significatrix in eodem cæli loco signoque in illorum natiuitatibus, aut in trigonis, hexagonisque signis reperta fuerit, dubitandum non est magnum inter eos uiuendi consensum fore, contra si in signis, locisque oppositis inuenientur, lites discordiasque ob artem facultatemque ipsam orituras. Quas ad res certius cognoscendas multum etiam conferent in utranque partem aliorum planetarum irradiationes, atque constitutiones. Quod si in figura natali nulla significatrix stellæ, nulla signorum locorumque conuenientia, nullus etiam planetarum aliorum bonus aspectus accesserit, quæ inter artifices illos conuenientia familiaritasque esse poterit? Itaque exercebunt illi quidem artem, facultatemue à cælo promissam, familiaritatem uero inter se nullam, quando parum à stellis conceditur, exercebunt.

PTOLEMAEVS

XXXIII

AMOR odiumque tum ex luminarium concordia discordiaque, tum ex utriusque genituræ ascendentibus deprehenditur. Adaugent autem beneuolentiam obedientia signa.

PONTANVS

Hominem natura sociabilem esse constat, unde et cætus amari, et ciuitates
eee ij

colit. Ad hanc naturalem societatem accedit ea quæ dicitur amicitia, quæ nomen ab amore duxit. Cur autem uni quam alteri magis afficiamur, & benevolentia iungamur maiore, Sol Lunaq; efficiunt, & signa quæ grato aspectu sese intuentur. Etenim Luna cum sit corpori domina, Sol spiritum corporibus infundat, ita corpus animumq; afficiunt, ut in quo maior similitudo sit, ad eum magis magisque amandum impellant. Quocirca quia de familiaritate & conuenientia illa, quæ a planetis ob artium ac facultatum similitudinem conciliatur, abunde præceptum est, statim subditur regula, per quam inspecta nati alicuius genitura amicitias eius iudicare possimus, & qui sine quos amore itimo natus is complexurus uideatur. quod ut apertius ostendamus, unius atq; alterius genituræ figuram subiiciamus. Natus est Marcus ascendente Ariete, Sole in Ariete ipso, Luna in Capricorno constituta. Lucius uero natus est Capricorno ascendente, Sole Capricornum, Arietem Luna peragrante. Iudicandum est futuram inter hos arctissimam familiaritatem propter commutata luminarium signa in utriusq; genitura. Similiter si Marcus habuisset Solem in Tauro, Lunam in Piscibus, Lucius uero Lunam in Virgine, Solem in Cancro, quibus è signis, triangularibus se inuicem radijs Sol Lunaq; intuentur, aut si in Marci genitura Sol fuisset in Aquario, Luna in Geminis, In Lucij uero natiuitate Luna in Sagittario, Sol in Leone, quibus è locis sexangulari è loco luminaria se aspiciunt. Signa quoq; grato lumine se aspicietia amorē conciliant, ea sunt signa sexangularia et triangularia. Amabunt enim mutua se beneuolentia, in quorum genituris ascenderint Aries, Leo aut Sagittarius, Taurus, Virgo aut Capricornus, quæ signa triangulari, gratoq; aspectu se intuentur, & ite quibus ascenderint Libra, Aquarius, ac Gemini, seu Gemini, Leo, et libra. Arctissimum uinculum erit inter illos quos triangularia signa coniunxerint pro maiore conuenientiam qualitatum ac radiorum. Illorum tamen arctissimum uinculum erit, quorum eadem signa, ydemq; gradus fuerint ascendentes hora natiuitatis. quæ signa si obedientia fuerint, mirificum inter utrosq; amorē ingenerabunt, cum singulari quadam conuenientia, et pacati animi æquabilitate, ut puta si in alterius genitura Scorpius, in alterius uero genesi Pisces ascenderint, utrunq; enim signum obedientis est, et signa quidem obedientia natorum animos ad inuicem obtemperandum impellunt. qua è re conuenientia stabilitasq; amoris comparatur. At Leo Sagittariusq; licet triangulares sint, in cui Leo ascenderit, tamen si afficiatur erga eum cui ascenderit Sagittarius, illius tamen amor erit cum quodam quasi imperio et authoritate, at huius cum subie-

ctione & famulatu, cum Leo signum sit imperiosum, Sagittarius uero signum obediens. Sed ne in aliquo falsi simus, inspicendum etiam qua se planeta signorum domini ratione conspiciant, num etiam signa ipsa maleficia a stellis occupata sint, aut inimicis radijs feriatur. quæ omnia miscenda sunt, ut de amoris magnitudine aut exiguitate, ac familiaritatis firmitate infirmitate uel certius tradi iudicium possit. De futuris uero odijs ac similitudinibus facile iudicari poterit quoties ascendente ipsa sibi inuicem aduersabuntur, nec luminarium similitudo aut signorum commutatio accesserit, quæ odia tanto acerbiora erunt, si luminaria ipsa quadratum oppositum uel alterum alterius in se derit locum.

PTOLEMÆVS

XXXIII

DOMINATOR seu hospitator interlunij si cardinalis fuerit, quæcunq; illo mense futura sint, significat.

PONTANVS

Hæc sententia tamen si ad aeris statum ex Lunæ Solisq; coniunctione cognoscendum planè pertinet, fuere tamen qui ad hominum genituras eam referrent, rati Ptolemæum de cardinibus geniturarum omnino sentire, ut locus dominatoris nouilunij aut plenilunij uni ex angulis genituræ congrueret, idq; in hominum tantum genituris probatum esse, in ortu uero cæterorum animalium nequaquam contingere. Quod cur ex hoc Ptolemæi enuntiato conijcere uoluerint, non satis intellego, cum eius uerba manifesta sint. Dominus inquit loci in quo Solis Lunæq; coniunctio fit, si quem coniunctionis tempore cæli cardinem tenuerit, index erit eorum omnium quæ mense illo ad alteram usq; conpulationem futura sunt, hoc est, sicut ne an pluuus, an mixtum nunc pluuus nunc serenus, item calidus ne an frigidus, an moderati temperamenti mensis futurus sit, qui etiam uenti flaturi sint, et in qua mensis ipsius parte. De aeris autem statu sentire Ptolemæum, declarat etiam subsequens de Sole enuntiatum, more enim suo Solis Lunæq; apotelesmata simul annectit. Cumq; sententia hac qualitatem mensis ex Lunæ Solisq; coitu cognoscendam tradidisset, pro collocatione planetæ dominatoris, aut domini signi eius in quo coniunctio ipsa contigisset, statim subdidit de Sole sententiam, quem ait cære aërem pro natura planetæ, ad cuius planetæ locum Sol ipse profectus fuerit. Ad hæc Luna cum sit mensis domina, futuri mensis iudicium ab hora & puncto coniunctionis sumendum docet. De Sole uero cum sit anni totius dominus, sic præcipit, ut dicat a Solis reditu ad principium Arietis de-

cerni posse, quas commotiones in aëre Sol ipse intra annum factururus videatur, quo tempore ad planetæ cuiusq; locum perueniet. Sed sententiam iam ipsam aperiamus. Dominus signi in quo Luna cum Sole coit, siue planeta ille q; plures ac maiores eo in loco prerogatiuas habuerit, qualis mēsis ille p singulas sui partes futurus sit, declarabit, si tempore interlunij (interlunij autem ac nouilunij uoco Lunæ ac Solis copulationem, quam *σύνοδος* Græci uocāt) in aliquo coeli cardine dominabitur. quo dicto monemur menstruum hoc iudiciū a dominatore sumendum semper non esse, sed tunc solum cum in aliquo coeli cardine præsidere inuentus fuerit, cardinalis enim prerogatiua ratione tantum iuris atq; authoritatis illum sibi uendicare, ut ab eo tanquam præfecto quodam iudicium exigatur. Hæc sententia, ipsa per se tamesi clara atq; absoluta uidetur, uolenti tamen iudicare aliquāto difficilior ac perplexior apparebit. siquidem natura planetæ ipsius inspicienda est, item signi non solum ubi coniunctio fit, sed in quo dominator aut hospitor ille reperitur, attendendæ coniunctiones & configurationes toto mense futuræ, quæ item coniunctionum atq; aspectuū tempore signa ascensura sint, ortus quoq; atq; occasus syderum consyderandi, & Lunæ ipsius defluxus atq; configurationes, & quæ mansiones dicuntur, quæq; alia multa exactissime, diligentissimeq; p̄sitanda sunt. est enim res plena difficultatis. Sed nec regionis qualitas, aut anni pars prætereūda est. In primis autem scire oportet quæ sit cuiusq; planetæ in elementis efficacia. alius enim densat, contra alius rarefacit, alius humectat, alius rursum exiicat, hic frigus excitat, ille calorem affert, est qui cogat, contra qui coacta soluat. Ipsorum quoq; signorū gradus quales sint, & cuius planetæ finibus attribuantur diligenter inspiciendum est. Cardinū quoq; ipsorū naturæ perquirendæ, ne in parte aliqua decepti labamur. His dictis aperiendū relinquitur quem dominatorem, quem etiā hospitatorē uocemus. Differūt enim inter se, quamuis idem ipse planeta simul & dominator & hospitor aliquando inueniatur. Dominatorē eum dicimus qui Græce est *ἡγεμὼν*, inde dictus, quod epicratesim id est dominatū inter alios planetas obtineat, sitq; in tota figura cæteris pollentior, qua e re placuit Latine dominatorē nominare, q; eius authoritas alijs præferatur, sitq; penes eum dominandi licentia. quidā etiā præposita præpositione qua rem magis exprimerent, prædominatorem uocauerunt. hūc eundē significatorē aliquādo dicimus, qā constitutionis, figuræq; totius primā maximamq; significationē habeat. Hospitorē intellegi eum uolumus, qui Græce uocatur *ἡμετεροῦς*. ac tamesi expressius dicitur

tur pater familias, siue domus dominus, hoc enim Græce sonat, malimus tamen uno quanquam nouo uerbo hospitatorē, quod domo sua suoq; hospicio alium accipiat, appellare. Græci hunc ipsum *ἡμετεροῦς* aliquando *κύριον περιόου* id est dominum genituræ uocant. quod etiam Iulius Maternus in matheos libris testatur. Sed de domino genituræ aliās. Dicitur autem planeta alterius planetæ hospitor & tanquam pater familias, cum in domo sua illum accipit, cuius etiam curam, patrociniūq; hospitij iure susceperit. nā si Venus in Virgine constituta sit, Mercurium Veneris hospitatorē, quod Virgo Mercurij domus est, dicimus. Si Sol in Ariete inueniatur, quod Aries domus Martis est, Solis patrociniū iure hospitij Mars accipit, quippe qui perinde ut pater familias propria Solem domo accipiat. Igitur qui mensis totius qualitatem prædicturus est, inspicere accuratissime debet, an quem coeli cardinem Lunaris coitus tempore teneat, aut dominator id est planeta plures ac maiores prerogatiuas in loco coniunctionis habens, aut hospitor hoc est signi eius dominus in quo Luna cum Sole coierit. Quid autem sequendum foret, ubi neuter cardinalis esset, Ptolemæus nō attigit, præceptum hoc ut minime fallax tradidisse contētus, ex quo conijci recte potest, in mēsis statu prædicendo non modo locū Lunaris cum Sole congressionis inspiciendū esse, uerum etiam cardines, cardinumq; ipsorū dominos, item planetas illic præsidentes, qui ue ipsos cardines intuentur, ac quo etiam e loco & quali e signo aspiciant, obseruari oportere.

PTOLEMAEVS

XXXV

SOL cum in alicuius stellæ locum deuenit, uim eius excitat quam in aëre habet.

PONTANVS

SOL ut est temporū author, ab eo enim e et dies et annus, sic frigoris atq; caloris, humidi atq; siccitatis, quæ temporum anni qualitates sunt, excita- tor & index est, mouet enim qualitates aëris pro natura erraticæ stellæ quam in signo quod ipse permeat reperierit. ut si Mars in reuolutione anni fuerit in Geminis, Sol Geminos in gressus, et Martis loco uicior factus calores excitabit, et quidem solito maiores, contra frigora & niues, si Capricornum in gressus illic Saturnum inuenit, rursum si Geminos in gressus illic Saturnum inuenit, remissior calor erit. item frigus remissius, si ad Capricornum profectus in Martis locum deuenit. Quam ad rem qualitates quoq; signorū multū

COMMENT.

conferent. signi enim calor ad Martis calorem plurimum addet, demetq; de Saturni frigore. contra frigida signi uis, Saturni frigus auget, Martis calorem imminuet. Quocirca partes anni eã sequetur qualitatem, quam Sol ipse mouebit pro natura planetæ, quem planetam siue locum eius in signo quoq; illud ingressus inuenerit. nam cum planeta pro natura sua, proq; signi etiam qualitate aërem infecerit, Sol ad locum planetæ ipsius profectus, quod ab illo infectum erat, præsentia sua commouet, occultasq; planetæ commotiones manifestas faciat. Aspectus quoq; & situs planetarum aliorum considerandi sunt, & Lunæ cursus in primis attendendus, ut tanquam in statera quadã examinari cuncta certius queat, siue in maius, siue in minus propendant. Nec uero me præterit, opinari quosdã, dici hoc à Ptolemæo de Solis peragratiõne in signis quibusq; ut Sole ipso in Ariete constituto, ea sit aëris qualitas, ni alia obstiterint, qualem Mars ibidem positus excitaret, sic in Piscibus, sic in Tauro, sic in Geminis, ac si Iupiter in Piscibus, Venus in Tauro, Mercurius in Geminis positus esset. Cui opinioni quo minus accedam tum alia multa, tum præcipue hoc me mouet, quod author ipse non signum dicit, sed locum. est enim Græce τόπος id est locum, non ἄστρον quod signum est. Nam signum est in Zodiaco cuiq; planetæ suum, & semper quidem suum. ubiq; enim Aries signum & domicilium Martis est, Pisces Iouis, Aquarius Saturni. sed loca mutantur, & qui nunc locus est Veneris, paucis post diebus poterit esse Mercurij, Martis, Saturni. Singulorum enim planetarum locum eum dicimus, quæ in cœli constitutione facienda unusquisq; planeta tenere tunc inuentus fuerit. sunt enim loca occupantium, signa uero ac domicilia dominorum. & illa quidem hoc est loca mutantur pro tempore, hæc id est domicilia perpetua sunt, & uniuscuiusq; planetæ propria. Quidam textus ubi nos dicimus in aëre, habent in stella, ut sit sensus, Solem excitare uim, quam locus habet in stella, ad cuius stellæ locum Sol profectus est. Quocirca sunt qui putent sic intellegendum esse, si stella frigida naturæ ad locum hoc est signum (locum enim pro signo accipiunt) frigidum peruenerit, sitq; hibernum tempus, fore ut frigus magis ac magis augeatur, si fuerit signum calidum, fore ut frigus remittatur, quod si signi calor frigida stellæ frigus imminuat, et quodãmodo temperet. quod si calidum signum fuerit, & planeta calidus, planetæ calorem signi calore intendi. idem in cæteris anni partibus, qualitatisq; cui opinioni nihil in hoc refragamus, in illo uero dissentimus, quod hi locum pro signo accipiunt, nos locum ipsum intellegendum censemus, & in anni reuolutione ut

hoc inspicatur præcipi à Ptolemæo iudicamus, ut superiori enuntiatum diximus. Quid enim opus erat de Sole mentionem facere, nisi hoc ad Solem pertineret? Immanui enim planetarum qualitates à contrarijs qualitibus signorum, augeri à similibus suapte natura contingit, Sole etiam longius à signis ubi planetæ fuerint remoto.

PTOLEMÆVS

XXXVI

IN condendis urbibus stellis fixis quæ conferre habeant, utere. In ædificandis uero domibus, erraticis. Reges cuiuscunq; urbis quæ Martem culminantem habuerint, gladio plerunq; pereunt.

PONTANVS

Quanta cœli ac stellarum uis sit in corporibus, rebusq; inferioribus, singulis penè sententijs hoc libello nobis Ptolemæus ostendit, docetq; nõ ea solũ quæ in ipsis elementis naturaliter contingunt, ad stellas referenda esse, sed hominum quoq; opera non alium euentum habere, quam quem in operibus ipsis exordiendis cœli stellarumq; constitutio ab initio portenderit. Quocirca cum de Solis Lunæq; & planetarum aliorum actionibus in aëre, præcepisset, ut ostenderet hominum quoq; opera stellarum decreta sequi, ipsosq; homines plurimum conferre incœptis suis posse, felicem cœli statum eligendo, statim subiecit, quid obseruandũ in condendis urbibus censeret, quarũ magnitudo, fortunaq; siue prospera siue aduersa ædificationis hora cũ à stellis portendatur, docet humano fieri consilio posse, uti condendæ urbis tum firmitati tum felicitati optime consulatur, ubi bonum cœli statum ædificationis tempore quis elegerit. Si quidem, ut ante dictum est, ab ipso mouendi initio reliqua motus series explicatur. Cumq; ab initio ad finem ipsum progressio sit, talia quidem rerum euenta futura sunt, qualia fuerant à cœlo in initio significata. In condendis igitur urbibus duo potissimum querenda uidentur, urbis diuturnitas, ac felix cuius status, quas ad res cum planetarum uires minores essent, fixarum uero bona quanquam locupletiora, solere tamen, ut dictum est, calamitatibus confici, nisi felicibus planetarum radijs inuarentur. Icarco Ptolemæus iubet in condendis oppidis utrunque inspicendum, ut & planetæ ipsi bene in cœlo constituti sint, & fixarum stellarum præsidium è felicibus ac primarijs locis accedat. Quamobrem Ptolemæus cum ait utendum esse fixis quæ conferant id est simul operentur, hoc enim

COMMENT.

sonat Græcum uerbum *συνεργός* id est cooperantibus, siue cooperatrici-
bus, inuere uidetur, ut planetæ primum bene collocentur, dein-
de ut illorum uires fixarum præsidij firmentur, aut simul eas coniun-
gendo, aut in beneuolis aspectibus ac primarijs cœli locis collocando.
Maxima uero cardinum uis est, qui cum sint quatuor, prima auctori-
tas ac potestas est medijs cœli & horoscopi. Cum primis autem cauendū
iubet, ne in primis iaciendis fundamentis Mars medium teneat, quod
ea domus principi tribuatur, quodq; Mars cum sit sanguinolentus &
minax, uiolentam principi mortem minuetur. Ideo autem dixit, ple-
rumq; non semper, quod felix ueneris, Iouisq; irradiatio tutari ali-
quando principem poterit, & a ui gladij defendet. Si enim Mars
in domo & finibus Iouis repertus fuerit, ipse autem Iupiter felici-
ter collocatus, liberq; impedimentis, Martis rabies Iouis moderatio-
ne temperabitur, atq; eo magis si ueneris quoq; aut fixæ alicuius quæ
Iouiæ ueneriæq; naturæ sit, præsidium accesserit, atq; ut Mars cauē-
dus est, sic etiam fixa Martis naturam habens, quando noxij fixarū
effectus repentini sunt, & impetus acriores habent. Quo circa in au-
spiciandis urbium fundamentis fixæ sunt eligendæ, quæ beneficorum
planetarum Iouis ac ueneris naturam sequantur, uidendūq; uti
malefici planetæ, quantum disciplina ipsa fert, sic collocentur, ut ab illis
fauor potius expectandus, quàm incommoda timenda sint. In do-
mo autem ædificanda planetas magis sequendos iubet, quod mini-
me tanta diuturnitas quærat, neq; enim in plura secula ab eo qui do-
mam ædificat prospici solet.

PTOLEMAEVS . XXXVII

QVI Virginem aut Pisces horoscopum habent, ij potestatis suæ causa
erunt. quorum autem ascendens erit Aries aut Libra, ij mortis suæ
causa erunt. Eodem modo in cæteris signis ratiocinaberis.

PONTANVS

Cœli constitutio genituræ tempore nati uitam & artes & facultates et
dignitates, quæq; alia euentura sunt indicat pro domorum qualitati-
bus, planetarum configurationibus, fixarum situ, signorumq; natu-
ris, habita etiam parentum, regionis, & patriæ ratione. Namq; ut se-
pius dictum est, omnem secum explicationis seriem motus ille natalis
trahit, corporaq; inferiora cum cœlestium corporum agitationes se-
quantur, etiam quæ corporibus accidunt, ut candor, proceritas, breui-

tat, celeritas, tarditas, grauitas, lenitas cœlesti a constitutiōe deducuntur,
habita, ut dixi, parentum ac patriæ ratione. Cūq; tales sint hominis
cogitationes atq; affectus, quales a sensibus, imaginarij q; excitantur,
instinctus quoq; naturales & aptitudines, propensionesq; ad has atq;
illas res eadem è causa proficiunt. Appetitiones item & cupidita-
tes & studia quando ab humoribus prociuntq; natura, proq; ipso-
rum mixtura, temperationeq; commouentur, cœli quoq; humores ipsos
afficientes naturam affectionesq; imitabuntur. Cum autem tam uari-
æ, multiplicēs q; sint humanarum actionum diuersitates, & artium
ac studiorum genera tam multa, aliusq; huic quàm illi rei magis in-
uus ue aptus sit, alius assidua industria, operaq; adhibita parum in
ea quæ exercet arte proficiat, alius leui & penè nullo labore studioq;
ad magnos perueniat profectus, hoc ipsum non modo uoluntati ra-
tioniq; sed cœlo, stellisq; natalibus magis attribuendum uidetur.
Cumq; alius quamuis parce uiuendo, atq; in aëre salubri et è sanis pa-
rentibus natus assiduis morbis uexetur, alius liberalius uentri indul-
gendo, quæ in aëre grauiore ex infirmis ortus parentibus perpetuā
sanitatem retineat, quod humoris natura ualidaq; corporis concre-
tio præstat, hoc nisi a cœli constitutione, nataliumq; stellarū contingere
beneficio nequit. Quid autem hunc hilarem è tristibus ortum paren-
tibus, aut illum tristem ex hilaribus natum nisi corporis fabrica, quàm
cœlum informauit, efficit? Quid quod hic parentibus sit suis super-
stes, ille in incunabulis diem obeat, ille quamuis probus, quæ claro
loco natus et honorum studiosus nullos assequatur magistratus, hic de
gener & obscurus prouincijs præsit, ille licet strenuus ac fortis nunq;
tribunus, nunquam dux euadat, at hic ignauus et fugax cohorti præ-
ficiatur atq; exercitum ducat? Cœli inquam constitutio & stellarum
uis, hæc cuncta efficit, & ne singula persequare quæ, ut dixi, homini
eueniunt, ea ab ipso genituræ exordio, natalisq; cœli constitutione in-
dicantur, quæ tamen, ut ante dictum est, partim adiuari atq; am-
pliari consilio & diligentia possunt, partim minui, atq; impediri.
Diuturna autem observatio docuit quid a prima genituræ domo, quid
a secunda, quid a tertia, ac deinceps portendatur, quid etiam a do-
morum ipsarum dominis, atq; ab aliorum planetarum aspectibus,
coniunctionibus, collocationibusq; significetur. Quoties enim genitu-
ræ tempore stella ascendens domina cum stella dominatrice medijs cœ-
li bene collocata fuerit, nato felicitatem magisterij sui & dignitatem
& honorem affert. contra uero cum utraque male fuerit colloca-
ta. Vtq; ad rem ueniamus. cui nascenti Virgo ascenderit, is habebit in

COMMENT.

Culmine Geminos utriusq; autem domicilij idem dominus est Mercurius, cuius potestas cum utriq; signo præsit, duplicatur. Quare si bene tunc fuerit collocatus, nato illi & honores et dignitates & magistratus confert, & felices actiones promittit. Simili etiam modo cui genitura tempore Pisces ascenderit, is in culmine Sagittarium habebit, quæ è re vires Iouis auctæ, quod domui utriq; præest, nato quoq; bonum ex proprio magisterio atq; actionibus proprijs honores auctoritatemq; præbebunt, si tamen Iupiter feliciter collocabitur. eius autem boni causa sibi ipse natus erit. quando eadem stella est ascendentis domina, a quo motus orditur, & medijs cæli, a quo dignitates magistraria et actiones significantur. quæ res eius ingenij, industriæ, consilijq; fore natum indicat, uti proprijs uirtutibus suaq; opera ad honores dignitatesq; prouehatur. Cui ascenderit Capricornus, is cum in secundo loco habeat Aquarium, quæ domus est rei familiaris & census, futurus est ipse sui peculij causa, quando Saturnus utriq; signo dominatur, cum labore tamen & difficultate propter stellæ ipsius qualitatem. Sin Aquarius ascenderit, cum duodecimam Capricornus domum teneat, quæ est domus inimicitarum, sollicitudinis, atq; curarum, natus cuius hæc genitura fuerit, ipse sibi causa erit prouocandarum inimicitarum, sollicitudinis & mærorum. Cuius horoscopus fuerit Scorpius, is suæ sibi ægritudinis causa futurus est, cum Aries sextam domum teneat, quæ domus est morborum & ægritudinis, Marsq; domui utriq; dominetur. Qui natus est horoscopante Libra, quia Taurus octauum locum, qui mortis est, occupat, quod utriq; etiam signo Venus dominatur, hic suæ morti causam asseret. Eodem etiam ille modo cui nascenti Aries exoritur, quoniam in domo quæ octaua est, Scorpius reperitur, præestq; utriq; Mars signo. hoc autem euenire poterit aut propter morbos, quod insania captus ex alto se præcipitet, aut propter desperationem, quod se gladio iraiat, aut propter temeritatem, cum facere quippiam prohibitus, legi ipsi parum obtemperans in poenam capitalem quasi uolens incidat, aut cum prætorem aut dominum peruicaciter agendo in se prouocat, aut cum monitus ut hostem fugiat, facere id recusat, aut cum euitare periculum potest, quod tamen securus negligit. Sunt enim innumerabiles uia, rationesq; quibus homines & mortis & malorum aliorum sibi causa esse possunt. Cuius horoscopus natalis fuerit Sagittarius, is comparando patri monio sibi author erit, propter Iouem dominum signi ascendentis & signi in imo positi, quæ domus est patrimonij, & item ille, cuius ascendens fuerit Gemini, propter Mercurium dominum signi ascendentis

signi ascendentis & quarti, hoc est Virginis. Sed bona malaq; ex his constitutionibus significata & minuantur et amplificantur pro colloca-tione dominantium planetarum, proq; beneuolarum aut maleuolarum stellarum aspectu, quanq; alia quoq; multa uidentur inspicienda.

PTOLEMAEVS

XXXVIII

CVM Mercurius in altera domorum Saturni constitutus ac potens fuerit, coniecturatum nato dat intellectum, ac rerum scrutationem, in Martis uero domo ac præsertim in Ariete facundiam.

PONTANVS

Rationalis animæ uis ad Mercurium refertur, sicuti appetendi ad Venere, ad Martem irascendi, quemadmodum ante docuimus. At rationalis neq; in atra bili id est terreo humore collocabitur, quandoquidem obtusus est, ac nullius motus, neq; in aërio id est humido calidoq; cuius uis tanti motus, acuminisq; non est ut merito collocari in eo rationalis uis debeat, quando ad inquirendum, contemplandumq; maxima ingenij celeritate, summoq; acumine opus est. Ad hæc humori terreo Saturnus præest, Iupiter aërio id est sanguini, Mercurius uero cum ex quatuor humoribus quibus concretum est corpus, nulli præsit, uisq; ad eum rationalis referatur, nullo in humore collocare rationalem uim possumus. An fortasse ut intellectus in nulla corporis parte collocatus est, sic uis rationalis in nullo certo humore sedē habuit? Quæ tamen cum in uno q̄ in alio homine magis uigeat, quod è corporis textura proficisci par est, huius rei causam cælum ac stellas esse necesse est. quod subtilius inquirendum uidetur. Solem generationis principem esse non est qui neget, a quo (cum sit ipse fons luminis, atq; caloris) corpora animantur, uitalesq; illis spiritus infunduntur. animatum autem corpus ac sentientibus spiritibus præditum, quod animal uocamus, necesse est irasci, dolere, lætari, appetere, abhorrere, alijsq; atque alijs affectibus commoueri. Quando autē homo nō solū est animal, sed rationale etiam animal, cuius propriū est cogitare, quærere, distinguere, iudicare, causas nosse, scire, necesse est hominem ipsum ad quærendum, contemplandumq; moueri, celerius tamen aut tardius pro spirituum qualitate, ac spiritus item ipsos tum acui, tum obtundi. Quoniam uero nihil est in cælo supernacuum, uidentur & alij planetae Solis munus adiunare, & quidam tanquam ministri generationis ipsius

COMMENT.

principi obsequi & obtemperare. Cum autem Mars, Venus ac Mercurius soli propinquiores sint, ad vires animæ suscitandas propius auxilium afferunt. Itaque Mars irascibilem ut pote superiore in loco positus concitavit, etenim rubra bilis cum sit ignea, sursum fertur, Venus concupiscibilem in loco inferiore posita, quando vis ipsa cupiditatum suscitatrix deorsum magis contendit. At Mercurius rationali præfuit, quando soli comitatus nunquam ab ipso generationis, vitæque auctore longius abest. Ex quo efficitur, ut ratio primaria sit animæ nostræ vis, sitque hominis proprium ratione uti. Et Venus quidem ac Mars soli serviunt ad animal informandum, ut qui sensus excitent, Mercurius vero ut qui intellectum moveat, ac propter motus sui celeritatem minime quiescere patiatur, sensus enim offerunt, quæ post intellectus perscrutatur. Etenim scire primum appetimus, deinde ad sciendum excitamur, post hanc autem commotionem intellectus & ea quæ mens dicitur ingrit ac contemplatur. Ergo cum sol naturæ nostræ auctor & parens sit, iure Mercurio, qui soli quam proximus est, ratio attribuitur, nec est in humore aliquo aut ulla parte corporis collocata. Famulari autem soli Mercurium in rationali parte hoc ipsum docet, quod cum soli cor cerebrumque sit attributum, ubi veteres philosophi primariam animæ sedem statuere, Mercurio orationem, deliberationem, memoriam, linguam quoque atque fel rerum cœli scriptores attribuunt. Et oratio quæ animæ cogitationum interpres est. Memoria thesaurus, ut inquiunt, & tanquam penus corum, quæ mente, & cogitatione, sensibus denique comprehensa sunt. Deliberatio est de utili aut inutili, recto aut pravo, bono malo, ut turpi item aut honesto. de his enim de liberare homines solent, quod est rationis officium, hoc est sequantur nec ne, & quomodo etiam sequantur. Lingua instrumentum est ad ea efferenda, quæ animus cogitando & ratiocinando concepit. Felle natura est acris, penetrabilisque; atque hic quidem humor quantas ad intellegendum contemplandumque vires habeat, docet Aristoteles. Quoniam autem naturales operationes mixtæ sunt, ac sibi invicem nunc opitulantur, nunc aduersantur, necesse est uti planetæ operationum ipsarum suscitatores sibi quoque invicem misceantur. Quocirca, cum tardi motus aridæque naturæ Saturnus sit, fixas stabilesque cogitationes Mercurio in mixtis dabit. ad contemplandum autem nihil tam confert, quam assiduitas cogitandi. Ad hæc cum frigida & arida vis animi contineat, cunctatio inde oritur, et in inagereis rebus cautio, quæ prudentiâ excusciat, è qua diligentiâ emanat. Timentem enim et caute administrantem necesse est multa simul circumspicere. rerum autem circumspicienda &

contrariorum cautio prudentia est, quam Mercurius propter rationis inquisitionem, veri que perscrutationem, Saturnus hoc est signum in quo ipse dominatur, propter cautiones & cogitandi assiduitatem nato pollicentur. Ad hæc cum rationis cui Mercurius præest, proprium sit quaque in re quid verum sit cernere, addita a Saturno cogitationum assiduitate, necesse est natum contemplantem esse, atque in rerum inquisitione versari, multa simul & conijcentem propter signa quorum est observator, & dispicientem propter naturale acumen. Sed hæc tamen coniecturatio, contemplatioque, tum etiam prudentia maior minorve futura est pro collocatione, utriusque planetæ Saturni ac Mercurij & aliorum planetarum aspectu. In primis autem videndum est, ut Mercurius ipse potens sit, si enim aut repedabit aut comburetur aut in deiecto loco erit, quæ tunc imbecillus est, implere hoc non poterit. Quoniam autem eorum quæ mente concipimus, quæque animo sentimus oratio (ut dictum est) interpres est, idem Mercurius in Martis domicilijs inuentus natum facundum & eloquentem reddet, propter vim enim cholæræ quæ sentit efferre audebit, cumque humor hic motus concitatiores habeat, uehementi quodam spiritu natus ipse pronuntiabit. Quæ obrem adiutus a Marte Mercurius, hospitioque acceptus sumministrabit ad eloquendum & animi audaciâ et lingue celeritatem & in dicendo uehementiâ. ideo autem in Ariete magis quam in Scorpio acceptus Mercurius hoc præstabit, quod id signum capiti præsit, in quo lingua & os & pleraque orationis instrumenta sita sunt. quoniam etiam igneum cum sit signum, lingue uolubilitatem maiorem propter siccitatem, & orationis vim acriorem propter calorem dabit. nam Scorpium cum humectæ naturæ sit, ad uolubilitatem largiendam nec tam idoneus est, nec ipse capiti præest.

PTOLEMAEVS

XXXIX

AFFLICTIO undecimi loci in creatione regis, detrimentum signi significat & domesticorum eius & pecuniarum. Secundi autem loci afflictio, pecuniarum ouilis eius detrimentum significat.

PONTANVS

§ parsimonia et, ut ita dixerim, seminatum præcepta traduntur et ad sciendum & ad iudicandum. Cuius de regis morte, deque eius successione dixisset, docet hic quæ sint in regis creatione obseruanda, duobus præsertim locis, undecimo et secundo. quæ ut manifestiora fiant, locorum ipsorum qualitates ac vires aperire debent. Decima domus in creando rege regi ipsi attribui-

tur propter loci celsitudinē ac maiestatem. Etenim locus is in tota figura domorumque constitutione præminet, ab eoque potentissimi stellarum radij iaciuntur. in terras Locus huic succedens hoc est undecima domus attribuitur consiliarijs et domesticis que regum cōsilio tū est opera ministrant et parati astant. Hic igitur locus in rege creando, reuoluendisque creationis annis, si a maleficis stellis in seffus, aut inimicis earum radijs percussus fuerit, damnum iacturamque portendit in domesticis et ministris regis. quin etiā rerum eius familiarium, domesticis que census detrimenta decernit. Si enim decimum creationis locum in ascendente constituas, locus qui erat undecimus in secundam concedet domum, quæ pecuniarum et rei familiaris est. Quocirca malus eius loci habitus, malaque affectio tum regiorum ministrorum, tum regie substantiæ iacturam significat. Malum habitum atque afflictionem et infelicem statum undecimi loci quæ ἰσχυρῶς Græce dicitur, intelligi uolumus non uno modo. nō solum enim is locus male se habebit, miserique affigetur, si a malefico planeta quadrangularibus aut aduersis radijs atrociter ferietur, uerum etiam si dominus signi ipsius in depressione sua, atque in deiecta cœli parte, mœrens et tanquam contemptus inuenietur, atque a nocentibus stellis hostiliter laesit. Hæc quæ de rege dicta sunt, et de proceribus ac principibus alijs, et item pontificibus dicta sunt. Infelix etiam status secundæ domus in rege designando et pnciosa ad eum locum irradiatio subiecti populi, populariumque diuitiarum detrimenta significat. Primus enim locus id est ascendens regie designationis subiecto populo attribuitur. Locus illi succedens populi pecuniam et censum indicat. Subiectus autem populus regis ipsius census et patrimonium est. si enim decimum creationis locum in ascendente statueris, primus que in creatione ascendebat locus quartæ domus locum occupabit, quæ patrimonium indicat. Quod autem regis patrimonium accipi rectius potest, quam populi gentesque subiectæ? Quocirca secunda domus quæ popularem substantiam et censum demonstrat, a maleuolis stellis occupata, detrimenta popularium diuitiarum significat. Detrimta uero ipsa pro signorum ac planetarum qualitatibus iudicanda sunt, quæ maiora futura sunt, si nullum illis beneficæ stellæ præsidium attulerint.

CVM ascendens a maleficis oppressum fuerit, qui tunc natus est, sordidis rebus delectatur, ac male olentis odores probat.

Venerem elegantiarum deam ueteres esse uoluerunt. eius enim stella natum ad cultum, ad munditias, ad pigmenta, aliasque deliciosas res inuitat. Iupiter dat animi claritatem, nobilitatem, splendorem, magnificentiam. Animus generosus generosis ac magnificis rebus delectatur, turpia odit et sordida. Quia uero beneficentia opponitur maleficentiae, bonitas malitiae cum Veneris et Iouis stellæ beneficæ sint, contra Martis ac Saturni maleficæ, ipsæ sibi aduersabuntur, et Iupiter quidem ac Venus natum ipsum munditiarum, splendoris, nitidi ornatus, et rerum honestarum uoluptate afficient, contra Saturnus ac Mars ad immunda sordidaque inuitabunt. Etenim Iouis Venerisque temperantia sensus quoque et animi motus temperat, contra Saturni Martisque intemperantia sensus intemperatos effiat, ex qua intemperantia rerum quoque sordidarum et male olentium et intemperati saporis delectatio nascitur. Corrupti enim sensus amant corrupta. quod in ægrois facile cernitur. Quocirca qui in genitura sua horoscopum a maleficis obsessum habuerit, sordidis rebus, et corruptis capietur odoribus, probabitque ea quæ inconcinni saporis erunt, aspernatus lauta atque mundam, quin immo immunda et foetida cum uoluptate sequetur. Cui autem ascendens concretionem corporis et qualitates indicet, ascendens ipsius dominus eas et minuet et amplificabit et immutabit pro collocatione sua et aliorum etiam planetarum communicatione. Si enim Saturnus ascendens dominus nulli immixtus fuerit, natus ipse acidis saporibus et foetidis odoribus capietur. Si Mars acutis, amaris, et falsis saporibus, odore acri. Saturnus ad uetularum et sordentium mulierum coitus inuitabit. Mars ad incestus, adulteria, et parum legitimam uenerem. Sed hæc, ut dixi, temperabuntur, perinde ut stellarum aliarum mixturae, temperationesque accesserint, ac nihilominus pars uoluptatis quo in signo, locoque constituatur, diligenter inspicienda est. Igitur in cuius genitura horoscopus a maleficis obsessus fuerit, is probabit foetida atque immunda, abhorrebit a nitidis et suaue olentibus propter planetæ intemperantiam, signum id inficientis. et Saturnus quidem cum sit terrenus, ad sapores, atque odores qui è rebus melancholicæ qualitatis sunt, natum inuitabit, Mars uero cum sit igneus ad sapores atque odores qui cholericæ naturæ esse dicuntur. Cumque cholera uiolenta sit, ad uiolentos hoc est illegitimos coitus Mars impellet. melancholia uero cum sit squalida, Saturnus ad sordidam uenerem sequendam impellet. Sed ascendens oppressio siue obsessio duobus in-

tellegi modis potest, uno si malefica stella signum ascendens occupauerit, aut ibidem collocata, aut potentibus radijs illud percutiens, de qua oppressione hoc in loco sentire Ptolemaeum iudico, altero si ascendens ab utraq; malefica intercipiatur. quae interceptio, quam obsessionem quidam uocauerunt, hac ratione fit, ut si in alicuius natiuitate ascenderit Libra, Marte in Piscibus. Saturno in Tauro constituto, quorum alter cum ex opposito loco in Virgine, alter in Scorpium radios suos iaculentur, Libram hostiliter circumsident. sed nec desunt qui obsessionem alia etiam ratione fieri dicant, ut si Virgo sit ascendens, et Mars in Ariete collocetur, cum Mars e trigono in Leonem ab opposito in Libram radios suos mittat, Virgo quae inter Leonem Libramque constituta est, Martis radijs circumfessa uideatur. Ego de priore obsessione magis sentio. quod praesentis planetae corpus cum potentius inficiat, tunc potissimum hanc sensum siue corruptionem, siue intemperantiam faciat. Nam interceptiones de quibus dictum est, magis naturalem signi uim impedire, quam inficere uidentur. Et aliud est impedire, aliud inficere. nam qui impedimentum affert, alterius uires atque conatus hebetiores reddit, eosque imbecillos aut irritos facit. At quae infecta sunt, ea ut corrupta et tanquam naturali ui amissa, in qualitatem, naturamque aliam transferuntur. et impedimentum quidem obsessionis magis id efficit, ne natus suauis odores sentiat, ne lauta et opipera sequatur, quam ut foetidis capiatur, ac grauiter olentibus delectetur.

PTOLEMAEVS

XLI

LOCI octauae domini; eius afflictionem tempore discessus cauet, at secundi atque eius domini, tempore reditus.

PONTANVS

In itinere suscipiendo septima domus inspicienda est, cui locus quem uiator petit, attribuitur. octaua quae huic succedit, index est eorum quae uiatori postquam destinatum ad locum peruenit, euenturae sint. Quod circa locus hic diligenter obseruandus est. si enim utraq; domus, si uterque dominus bene se habuerint, felixque utriusque status fuerit, et iter feliciter susceptum proficietur, et res quarum causa uiator profectus est, e sententia consistetur. contra si loca et locorum domini male se habuerint, eorumque status infelix fuerit, et iter et res quarum gratia profectio suscepta est, infeliciter et contra sententiam cedent. Verum ne fallamur, pe-

ficiendi negotij qualitas probe consideranda est. Neque enim beneficæ stellae ubique sunt eligendae, ut superius ostensum est. in quo mathematica prudentia sane multa requiritur. Atque haec quidem ad electiones. Ceterum mathematicus ubi quempiam iter ingredi uiderit, octauam et septimam inspectis, atque illarum dominis, et item finibus in quibus domini domorum fuerint, ac finium dominis consideratis, de itinere, deque negotio id iudicium feret, quod domorum et finium et domorum status, bonaque illorum affectio indicauerint. Quoniam autem reditus motus quidam est sese in locum a quo coepit reflectens, in reditu faciendo prima domus obseruanda est, et secunda huic succedens. Namque ut in abeundo septima domus locum indicat ad quem uiator proficiatur, sic in redeundo prima domus est ad quam uiator redit. Sunt enim contrariorum contraria. Et quia secunda domus succedit primae, haec ipsa domus significationem eorum faciet, quae post reditum euenturae sunt. quae si male affectae fuerint, mala et aduersa ex hac mala affectione portenduntur. Malus uero habitus et afflictio ipsa locorum ac domorum quae Graece *κνωσις* a Ptolemaeo dicitur, est ubi loca fuerint a maleficis aut praesentia corporis occupata, aut hostilibus radijs petita, ut supra est dictum, ubi etiam domini eorum cadentes fuerint, aut retro gradi, quos ueteres repedantes dixerunt, aut a maleficis percussi, aut cum ijs iuncti, aut in signis depressionum suarum collocati, aut in locis unde domos eas tueri nequeant. Sed, ut dixi, negotiorum qualitates inspiciendae sunt, et afflictio, malusque habitus qualis quantusque sit exacte pensandus. Quod uero infelicem statum octauae loci cauendum, potius quam bonum sequendum monet, non caret prudentia, cuius prima laus est cauere. quod et milites in congressionibus seruant, et medici in curandis morbis, et patres familias in tutanda re familiari sequuntur. Sed cum e contrariis contraria proficiatur, lectoris reliquit arbitrio iudicanda contrarij consecutione.

PTOLEMAEVS

XLII

MORBVS qui coepit, cum Luna fuerit in eo signo, quod malefica aliqua tenuit in genitura, siue in quadrangulo aut diametro eius, grauissimus futurus est. Si autem malefica respicit, periculosus. Sin in loco ubi geniturae tempore beneficæ fuerit, sine periculo erit.

PONTANVS

Luna rursum in egritudinibus corporum maxime obseruari debere dies 9

fff ij

critici uocantur docent, siquidem corporibus dominatur, aietq; humores, & cum sit omnium stellarum anima, acceptas ab illis impressio- nes corporibus familiariter infundit. Natalium quoq; stellarum loca siue ea felicia siue infelicia sint, per omne uitae spatium ex geniturae decreto uires suas & ad inuadendum & ad nocendum retinent. Tunc enim felicia geniturae loca, bona geniturae tempore promissa largiuntur, cum in annis uertentibus aut beneficos in se planetas aut e beneuolis locis felices illorum radios acceperint, contra infelicia geniturae loca, decreta mala tunc adducunt cum a maleficis occupata aut earum radijs infeliciter percussa fuerint. Quae mala ut notiora fiant, uideudum est, quid quisq; planeta in anno reuoluendo cum in natalem alterius planetae locum impegerit, portendat, quid etiam cum in anni reuolu- tione locum eundem beneuolo maleuoloue aspectu intuetur. Aegro- tatio igitur quae coepit Luna signum permeante, quod malefica stella geniturae tempore aut occupabat, aut e loco quadrangulari uel opposito feriebat, difficilis admodum & grauis erit. Quod si perniciosus no- xia stellae aspectus accesserit, futura est non modo difficilis, uerum et periculosa. quando natale ad malum adiungitur etiam temporale. At facilis & tuta ualitudo erit, si qua hora coepit, tunc Luna eo in loco inuenta fuerit, in quo benefica stella geniturae tempore praeside- bat. & hoc adde, tutissimam fore, si benefica tunc stella Lunam salu- tari conspicitur aspectu. Sed nec facilis omnino erit, si benefica illa quae locum hunc geniturae hora tenebat, male atq; infeliciter aegritu- dinis hora collocata fuerit, quando praesidium eius seruum atq; imbe- cillum est. Ac nihilominus alia quoq; multa consideranda sunt. nam & Iupiter aliquando interimit. Videre etiam oportet quos morbos quis planeta afferat. siquidem eum qui ex humecto frigidoq; manat humore Venus adauget, Mars imminuit. quando (ut medici tradunt) capitis distillationi, quem Graeco nomine νῆταρρον uocant, febris- cula non nunquam utilis est, quod suo illum feruore desiccat.

PTOLEMAEVS

XLIII

M A L E F I C A S gentis figuras contrariae temporum figurationes intendunt,

PONTANVS

Quae a Ptolemaeo dicuntur οχύματα, nos hac in parte et figuras et aspectus & constitutiones appellare possumus. Haec sententia ut cla-

rrior fiat, longiore oratione tractanda est. Maleuola & infelix caeli fi- guratio & hostilis stellarum aspectus in condendis urbibus fit infeli- cior, maliq; magnum incrementum accipit, quoties in annu reuolutio- ne atq; progredienti tempore perniciofa stellarum configuratio acces- serit. natale nanq; malum magis magisq; augetur ubi noua fit acces- sio. uerbi gratia. Qua hora urbis cuiuspiam fundameta iaci coepere, ex primarijs caeli locis unus aliquis infestabatur, ac signi eius domi- nus in deiectione caeli parte languerat, qua e re malum urbi & gen- ti cuius urbs ea caput est portendebatur. ubi mali eius decretum tem- pus aduenit, si quadrangularis oppositus ue perniciosae stellae radius signum illud male fortunatum, aut signi eius dominum percussit, aut signum ipsum malefica stella in se derit, aut alia nocens uis alicun- de eruperit, fit ei malo ex noua hac hostilitate maior accessio. Quod si a contrarijs argumentari licet, malum ipsum ualde immuetur, si felicum stellarum felix irradiatio signum illud tuebitur, praesertim si dominus eius bene fuerit collocatus. Atq; hoc quidem praecipuum ad non pauca hominum negotia, resq; gerendas accommodari recte po- test. Sed nec praetereundum quid alij quoq; sentiant. adulteria inquit & furta & sacrilegia & puerorum infames coitus a natalibus stel- lis significati dum parantur, dum parantur, si maleuolus nocentiu stellaru aspectus accesserit, si maleficae stellae potentes fuerint, magnu adiuuentu accipiunt. Siquis enim furtum adulterium ue aut crimen aliud quod honestati legibusq; aduersum est, animo conceperit, quam ad turpitudinem natalibus a stellis impellatur, petere atque expe- ctare maleficis a stellis auxilium debet, quod beneuolarum felix irra- diatio, crimina illa ne fiant prohibitura est. Beneficae nanq; stellae pu- dorem, honestatem, ac leges tuentur. contra maleficae ad impudentia, turpitudinem, et legum contemptum inuitant. Quod uero ad Graeci uer- ba attinet, quod nos temporum figurationes dicimus, Graece est νῆταρρον, idq; temporale dici commodissime potest. hi enim aspectus temporales sunt. At qui in ipsis hominu aut urbium genituris, reruq; inchoationibus contingunt aspectus, eos natales libenter uocamus, qui Graece sunt νῆταρρον νῆταρρον. Infelicem igitur urbis populiq; alicuius figu- rationem aedificationis hora, id est natalem infelicitatem adaugent te- porales figurationes, ubi contrariae atq; aduersae fuerint. Quae sen- tentia non ad urbes ac populos solum accommodari potest.

PTOLEMAEVS

XLIII

N O X I V M est, cum aegri ascendens geniturae ipsius figuris refraga-

fff iy

gatur, neq; ad beneficium aliquem tempus peruenerit.

PONTANVS

Sunt qui putent sextum, octauum, & duodecimū locū intellegi debere, quod ea loca nulla horoscopia ratione iungantur, cum pi gra & ab iecta sint, & in deterrimam totius figuræ partem recesserint. Si quidem duodecimus locus carcerē ac tristitiam, sextus morbos, mortem octauus minuetur. Alij oppositum & quadrangularem natalis horoscopi locum significari arbitrantur, quod hæc duo loca horoscopum hostilem in modum feriant, cum enim ascendens nati uitam & corporis fabricam significet, quoties loca natali horoscopo aduersantia oriuntur, qua hora languere æger incipit, uitæ nati & malum & periculum obnūtiat. sed consideranti uerba Ptolemæi non iniuria uideri poterit, de alijs quoq; quàm de quibus dictum est locis intellegendum esse. siquidem apud eum οχθμια id est figura totam coeli constitutionem & planetarum aspectus significat, ut male se etiā habeat ægrotus quoties hora qua languere cœpit, non modo aliquis locorum de quibus dictum est ascenderit, uerum si ex ijs locis unus aliquis oriatur, quæ genituræ tempore aut felicibus stellis, aut domino horoscopi seu medijs cœli, aut etiam fortunæ parti aduersa erant. Quæ obrem cum generaliter doceret, non dixit perniciosum tunc esse, aut magno in periculo ægrotum uersari, sed male se habere, & contrarium id ac noxium esse. In generali præcepto, generale uerbum positum est εναρτίον, quod sonat contrarium et noxium, et (ut latinus fortasse loquatur) male est, seu male habet. Leuabitur autem magna ex parte morbus, si tempus ad beneficam stellam peruenerit. Græce positum uerbum est χερόνος pro quo sunt qui annum intellegi uelint, ut magno præsidio sit, si in anni reuolutione beneficus planeta fuerit ascendens dominus, isq; bene fuerit collocatus, aut si signum proficiscens fuerit ascendens, in quo genituræ tempore beneficus planeta ferrebat. quod præsidium eo maius ac præsentius erit, si tum quoq; benefica stella aut ibidem fuerit, aut in primarijs cœli locis inueniatur. sed nos nõ modo de reuolutione anni ægri ipsius intellegendum ducimus, uerū etiam cum anni tempora hoc est menses & dies ad beneficū planetā peruenerint. Etenim unusquisq; planeta uitæ nati decennium sibi uendicat & menses nouem, de quo toto tempore ceteris planetis cuiq; certum tempus permittit. Etenim Saturnus ex decennio suo & mensibus nouem, primos triginta menses sibi ipsi uendicat, & reliquis mensibus Ioui duodecim, Marti quindecim, Soli decem &

nouem, Veneri octo, Mercurio uiginti, Lunæ quinque et uiginti attribuit. Quæ quidem distributio fit secundum seriem planetarum tempore genituræ. Principium autem distribuendorum annorum fit a Sole in genitura diurna, a Luna in nocturna. Sol igitur, Luna uel ubi suos sibi menses assumpsit, si statim Mercurius subsequatur, uiginti Mercurio menses attribuit. si post Mercurium Iupiter, Ioui menses octo permittit, & sic deinceps. Quæ quidem res in omnibus uitæ nati actionibus, euentisq; diligentissime consideranda est.

PTOLEMAEVS

XLV

QUIS QVIS genituræ suæ dominatores aut ascendens in signis humanis non habet, ab humanitate alienus, etiam sibi ipsi erit.

PONTANVS

Naturalis hominum propensio ad mansuetudinem & lenitatem aut ad passiones his contrarias natalibus a stellis tribuitur, pro signorum qualitate, in quibus ij qui genituræ dominantur, inueniuntur, proq; ascendens signi natura. Et signa quidem humanitatem, sociabilitatē, mansuetudinem, hospitalitatē, auilemq; consuetudinē conferētia sunt illa, quæ hac eadem causa de hominum nominibus uocata sunt Gemini, Virgo, Aquarius & Sagittarius a parte anteriore, quæ signa dicuntur a nostris humana, propter affectus quos in hominum animis ingenerant. Contra quæ nomina ferarum habent, inhospitalitatem, immanitatem, insolentiam, rapacitatemq; adducunt, qualis est Leo. At Aries cum domesticum sit ac mansuetum animal, signū eius nominis nato mansuetudinem affert cum quadam humilitate et abiectione. Quocirca signum ascendens ac dominus genituræ & item ascendens dominus, seu qui plures in eo prærogatiuas affectus est, quiq; in omni figura reliquis est potētior, nati animum ad facilitatē, mansuetudinē, sociabilitatēq; aut ad acerbitatē, immansuetudinē, inhospitalitatemq; propensiorē faciet, pro natura signi in quo repertus fuerit, qui si Leonē peragrabit, atrocē nati animū et uolentem et ad tyrannidem, impotentiamq; prolabantem indicat, omnia sibi iure iniuriāq; uendicantem. Erit enim natus is suapte natura rapax, impotens, & ad iniurias promptus. qui tamen affectus minores erunt, magisq; domabiles, si dominatorum unus alterq; in signo humano constitutus fuerit. sed nec patris ingenium, nec nationis ac familiæ natura prætereunda est. hæc namq; omnia simul m-

COMMENT.

scenda sunt. In primis autem uidendum, cuius naturæ signa sunt per quæ luminaria ferantur. ambo enim in signis feris inuenta cum spiritui corporiq; dominantur, nati animum ad asperitatem, uolentiâq; propellent, ut nullum familiaritati, nullum amicitiae ius relinquat, praesertim ubi signum ferox horoscopus tenet. Idq; in planetis usu uenit quod in stirpibus ac seminibus, quæ soli naturam sequuntur, quando occultum terræ saporem referunt. Nam cum rerum semina in Zodiaco maxime dispersa sint, uis inde proueniens planetas sic ad se conuertit, ut quas à signis affectiones accipere, in gignendis atque animandis corporibus eas reddant.

PTOLEMAEVS

XLVI

MAGNAE in genituris felicitates conferuntur tum à stellis fixis, tum ab interluniorum cardinibus, tum à locis partis fortunæ regni, cum horoscopus in eis repertus fuerit.

PONTANVS

De felicitatibus quas stellæ fixæ conferre soleant satis abūde diximus, hoc in loco Ptolemæus etiam alia in hominum genituris obseruanda præcipit. ait enim ad felicitatem nati plurimum conferri, quoties ortus eius tempore gradus ille ascenderit, qui aliquem cœli cardinem praesertim orientis & mediæ cœli tenebat, quo tempore Luna Soli fuit coniuncta, antequam matris utero prodiret infans. Gradus enim illi cardinales si ascenderit in genitura, mirum in modum nato conferunt ad diuitias, ad honores, ad magistratus consequendos. Sed hoc non adeo simpliciter intellegendum est, ut nec planetarum status,figurationesq; nec alia cœli loca, nec matutini, uespertiniq; exortus, Lunaq; defluxiones, & alia item multa metienda ac miscenda uideantur. Cur autem ab angulis coniunctionum interlunarium boni tantum emanet, ratio quærenda est. In omni themate & cœli constitutione cardines quatuor primas ac potissimas uires habent. Cardines uero ortum, occasum, culmen & imum. Ptolemæus centra uocat, sed etiam anguli & cuspides à recentioribus dicuntur. hi cardines quando primas cœli partes obtinent, iure primas sibi uires atq; auctoritates uendicant, quando cœlū omne quadrare & figuram ipsam constituere uidentur. Cum autem cœli motus orbicularis sit, atq; ex eo series rerum constet, & quod cœpit perficiatur, perueniatq; ad exitū, in motu hoc quatuor exiguntur, unde incipiat, & quo progrediatur, quæ quidem sese habent ut principium et finis, item media duo sum-

num & imum. Videtur enim summum quod alio nomine culmen diamus, medium utriusq; loci & a quo progressio incipit, & ad quem progressio suscepta est. rursus imum medium esse reflectentis se progressionis ad locum unde initio cœperat, ut rerum peruenientium series sibi constet, nulloq; unquam æuo desinat. Adhæc Sol & Luna eorum, quæ in mundo hoc fiunt, potissimæ ac manifestissimæ causæ cum sint, quando altera humoribus præest, materiamq; suggerit, alter animat atq; informat. Iure Solis Lunæq; coniunctio, quæ nati genituram antecessit à Mathematico diligenter obseruanda est, uidendumq; an cœli constitutio, quæ in coniunctione luminarium natiuitatē proxime prægressa est, cum figura cœli natiuitatis hora conueniat, Iudicandumq; bene ac feliciter cum nato illo actum iri, ubi cardo antegressæ coniunctionis hora ortus ascendit. In hac uero obseruatione tamesi Ptolemæus alias consueuerit culmen ortui anteferre, ego tamen ortum iudico culmini præponendum, q̄ tempore coniunctionis pars fortunæ in ortu atq; in ipso etiam minuto surgentis cœli statueretur, unde merito præferendus uidetur, propter ipsam fortunæ partem, quæ tantas ad felicitatem nati uires habeat. nisi forte cardo alius felicioribus radijs aut tum in coniunctione conspectus fuisset, aut nunc genituræ hora conspiceretur. Et quoniam ex contrarijs contraria emanant, illud quoq; subiiciendum uidetur, ut nati uita multis sit erumnis & grauius malis exposita, si ex locis pigris abiectisq; prægressæ coniunctionis unus aliquis horoscopus sit, q; ascendens cardo natiuitatis hora. Quæ omnia exactissime dimetienda sunt, ac moderatissime commiscenda. Beneficorum enim stellarum beneficis fauor promissa à cardine bona uehementius auget. contra maleficarum malefica impugnatio minuit. Quod autem Ptolemæus nullam de oppositione mentionem fecerit, admiratione non caret. quanquam & ab ipsa coniunctione uidetur oppositio deriuari, ac totius mensis series deduci. Tamen si quid argumentando licet afferre, illud idem de oppositionis cardinibus affirmare quis poterit? nisi occidentis cœli cardinem, in quo tunc pars fortunæ collocabatur, uelit reliquis cardinibus antepone in genitura, propter ipsius partis fortunæ auctoritatem. Sed hoc, ut dixi, etiam atq; etiam considerandum uidetur. & Ptolemæi dicta solam coniunctionem innuere uidentur. Atq; ut ad partis fortunæ locum transeamus. hic locus mirificæ potestatis est. ab eo enim uita qualitas, censusq; ostenditur, ab eo felicitatis atq; infelicitatis, paupertatis & opulentiae series indicatur. hinc amores, uoluptates, atq; ut Materius inquit, nati educatio, patriaq; deprehenditur. Quo circa

cum in regia creatione locus hic tam augustæ maiestatis sit, ut regis magnitudinem, prosperitatem, honores, regniq; firmitatem, & futurorum bonorum euentum indicare habeat, iure natus is fortunatus erit censendus, in cuius genitura cardinaliter partis fortunæ regni locus ascenderit, quando cum regia felicitate hanc communicatio nem habet, ut q; præstantissimus regie creationis ac regni locus erat, is in genitura nati primum figuræ cardinem teneat. Atq; ea quidem felicitatis communicatio eo maior erit, quo plures ad illam fauores accesserint. si Luna loci fortunæ domina bene fuerit collocata, si amicis radijs illustrata, si locum ipsum beneuolæ stellæ grato intueantur aspectu, si dominus signi eius, si dominus finium tam loci quam Lunæ bene se habuerint. Perinde nanq; ut plura paucioraq; ex his ad eam se felicitatem adiunxerint, bonorum cumulus maior minor ue futurus est.

PTOLEMAEVS

XLVII

IN genitura cum malefica in locum beneficæ in alterius genitura incidit, is q; beneficam habet, ab eo q; habet maleficam, detrimento afficietur.

PONTANVS

De concordia discordiaq; item amore atq; odio superius explicauit, & qua ratione de alterutris iudicari posset, docuit. Nunc rationem ostendit per quam inspecta duorum genitura iudicari possit, futuri ne illi sibi inuicem sint commodi an incommodi, & damnum ne an utilitatem alter ab altero sit expectaturus. Si inquit Lucius cum nasceretur, Iouem in piscibus atq; in secunda domo habuit, Marcus Saturnum. quando hæc stellæ sibi inuicem aduersantur, contrariasq; qualitates habent, Marcus Lucio nocuum inferet. Genus autem inferendi damni à loca proprietate iudicandum est. Itaq; cum secundæ domui domestica substantia attribuitur, damnum id in pecunia futurum obnuntiat, & quidem per dolos, calumnias, fraudes, accusationes & occulta simulataq; consilia, quorum Saturnus est significator. Quod si Mars ibi fuerit inuentus, erunt damna per uim, iram, direptiones, latrocinia, gladium, incendia, & alia mala, quæ à Marte significantur. Idem dices & in cæteris donibus pro cuiusq; proprietate. Rursus si Lucius & Marcus aut uterq; Iouem in secunda domo habuerint, aut alter Iouem alter Venerem, ipsi sibi magno inuicem usui futuri sunt, atq; ad familiarem comparandam rem alter alteri plurimum collaturus uidetur.

Contra si alter Saturnum, Martem alter habuerit, aut eundem ipsum maleficum siue Martem siue Saturnum, inuicem alter alterius pecunie incommodus erit.

PTOLEMAEVS

XLVIII

QUANDO culmen domini hoc est principis fuerit horoscopus subiecti, aut dominatores beneuola configurabuntur figura, diu inseparabiles permanebunt. Idem etiam cum sextus locus serui inuentus fuerit horoscopus principis.

PONTANVS

Inspecta heri atq; aspectu genitura, an diutius simul, concordibusq; animis uicturi sint, hac ratione iudicandum docet, ut primo uideamus, an meridialis cardo genituræ herilis sit oriens cardo genituræ clientis, deinde ut inspiciamus, an planetæ dominatores in figura gratis se aspectibus inuicem intueantur. quæ ubi omni è parte conuenerint, minister ille non solum diu, uerum etiam summa cum fide, obseruantiaq; domino suo ministrabit. Etenim summus cardo domini, ascendentem famuli cardinem subiens quodammodo unus factus è duobus ministris cum uim ad diuturnam et constantem utriusq; familiaritatem pollicetur, adeo ut heri uoluntas in ministri influere animum, rursus famuli fides atq; obsequium deuincere heri animum uideatur. quod uinculum magis ac magis obstringetur, si ad hæc quæ dixi cardinum unitatem beneuolus dominorum aspectus, figuratioq; accesserit, hoc est si alter alteri coniunctus sit, aut è sexangulari seu triangulari signo se inuicem aspexerint, benignusq; beneficarum stellarum radius illos complexus fuerit, aut si idem erit utriusq; dominator. Sed nihilominus si uerba Ptolemæi recte intelligantur, etiam si culmen domini non sit ascendens minister, diutius in familiaritate permanebit. Cuius utriusq; genituræ dominatores bene amiceq; simul conuenerint. Neq; enim Ptolemæus copulauit, sed disunxit alternationem cardinum & configurationem dominatorum. Quod si & medium & dominatores (ut dictum est) conuenerint, non est quod ad fidelè et constantem familiaritatem optari amplius debeat. Cui autem cæli culmen domino tribuatur, sextus uero locus seruo ac ministro, conuertamus quod supra dictum est, dicimusq; diuturnam ac fidele futurum erga heri famuli ministerium, heri ite in famulum constantem gratiam, quoties sextus locus serui ascendens locus

fuerit in natiuitate domini. Ea enim loca quod in unum concesserint, animorum ac uoluntatum conuenientiam & stabilitatem inter dominum ministrumq; conaliabunt. Illud quoq; addendum uidetur, futuram etiam stabilem domini in seruum gratiam, rursus serui gratiam & fidelem in dominum operam, si utriq; dominatores concorditer collocati, ac sibi inuicem conuenientes inuenti fuerint. Medium autem coeli domino propterea conceditur, quod eius sit dominari, quippe qui superior est, atq; eminentiore in loco constitutus. seruire inferioris atque humili in loco sit. Humilis namq; & abiectus figurae locus est qui ab ordine sextus dicitur. Et quia inter herum, seruumq; aliqua conuenientia ex natali genitura esse debet, coeli medium, qui locus decimus est, sextum locum triangularibus atq; eminentibus radijs illustrans tuetur. Illud quoq; non sine ratione addendum uidetur, bene cum illo populo ac populi domino agi, cum ascendens urbis angulus ille fuerit, qui in domini creatione aut genitura coeli medium obtinebat, praesertim si beneuola dominatorum configuratio accesserit. quibus e rebus subiectorum fidelitas, et obsequendi studium, dominiq; ipsius erga subiectos beneuolentia singulari cum firmitate conciliatur. Nec uero me fallit esse, qui ea quae de sexta traduntur domo, ad quintam atq; ad septimam domum transferant, nec non & ad tertiam, ut inter uirum & uxorem fidelis & tranquilla coniunctio futura sit, ubi septimus locus qui uxoris est, fuerit ascendens uiri, & inter patrem filiumq; sincerus & constans amor, idem etiam inter duos fratres, ubi quintus locus filij fuerit ascendens patris. & tertius fratris locus, alterius fuerit fratris ascendens. ea enim loca tanquam in unum coeuntia easdem uoluntates, affectionesq; exuscitant. Sed has quidem ad res, atq; ad coeli significationes humanae leges, ciuiliaq; instituta, & quae cognationis iura dicuntur, plurimum adiuuenti afferunt.

PTOLEMAEVS

XLIX

CVM ascendens subiecti fuerit culmen in genitura domini, tantam subiecto illi fidem dominus adhibebit, ut ei ab illo imperetur.

PONTANVS

Caeli medium, ut ante dictum est, dominis ac regibus attribuitur. ab eo namq; rectissimi, ualentissimiq; iaciuntur in terras radij, ac uis inde diffusa uehementissime influit, ut ab eminentissimo loco, caeliq; totius dominatum

dominatum tenente. Locus ab eo quartus qui est orientis caeli cardo, dominorum patrimonium indicat. Regum autem dominorumq; patrimonium sunt gentes populiq; subiecti. Efficitur itaq; magna quaedam amoris studijq; reciprocatio domini in subiectum, ac rursus in dominum subiecti, quoties cardo ascendens in genitura subiecti inuenitur esse cardo meridialis in genitura domini. Quae res efficit, ut herus ille ad clientis & ministri sui praescriptum uicturus sit, in cuius natiuitate angulus meridialis cardinis inuentus fuerit in ministri genitura cardinis ascendens angulus. uerbi gratia. Statius siue subiectus siue minister in geniturae suae horoscopo primas Arietis partes habuit. Marcellus Statij herus qua hora natus est, eosdem illos Arietis gradus habuit in culmine. Ex hac cardinum commutatione tanta uis existit, uti Marcellus Statij uoluntatem, atq; sententiam suae praeferat, illius consilij uirum in modum credat, eius deniq; arbitrio suas res agat, quod propter fidelitatis atq; amoris studium, euenire necesse est. Quandoquidem idem ipse planeta dominus est signi ascendens in aeternae genitura, & signi quod in heri natiuitate caeli uerticem tenet. Quae e re fit, ut non nunquam homines in summo loco nati suis a dominis ad honores summos euehantur, ac non modo rei domesticae cura, uerum etiam rei publicae, ac potentatus moderatio illis credatur. Sed in huiusmodi genituris domini, subiectiq; planetarum quoq; aliorum status & configurationes inspiciendae sunt, ne quid in iudicando praetermissum uideatur. Ipse etiam Ptolemaeus ex his quae uerbo superiori pronuntiavit, nobis innuit, magnam quoq; ministri auctoritatem apud dominum fore, quoties sextus ministri locus natale domini culmen fuerit. In quibus omnibus uidendum est, ut uidem illi gradus aut illis maxime proximi sint in ipsis angulis constituti.

PTOLEMAEVS

L

NE praetermittas centum & decem nouem coniunctiones. In his enim posita est cognitio eorum quae sunt in mundo et generationis et corruptionis.

PONTANVS

Res inferiorum ortus atq; interitus prima uis, causaq; esse signifero in orbe, ut saepius dictum est, perhibetur. Cum autem planetae generationis atq; corruptionis ministri sint, ac sub ipso signifero diuersis feratur spatij iure illorum coniunctiones obseruare iubemur. tunc enim con-

iuunctis ac multiplicatis uiribus ad res quas excitant cōsumandas utuntur. Nec uero nisi ex antecedētibz illorum coniunctionibus imperia, nouas religiones aut bella portendentium, aut regna aut religiones aut bella incipiunt, nec ante desinunt aut mutantur subuertuntur ue, quā tempus ab illis decretum peruenerit. Dicere autem quid quæq; coniunctio, & in quo signo, aut in qua cœli parte significet, loci huius non est. Quā autē hæc naturæ conueniant uideamus. Satis profecto constat cōpluribus ac diuersas uires probe in unū coactas longe potentiores esse. Constat etiam corpora inferiora è pluribus ac diuersis, quā etiā contrarijs è rebus componi. Nec est qui neget planetas ipsos diuersarū uirū esse, et alios atq; alios ex se effectus parere. Illud etiā satis manifestū est, ea ex quibus res constant, licet sint contraria, media quadam temperatione simul necti, atq; in unum coire. Erraticæ igitur stellæ ut pote ministræ tum eorum quæ in elementis sunt, tum etiam quæ in uita mortalium in alterutram partem siue ortus, siue interitus eueniunt, cum simul iunguntur, cum una effectus suos miscent, tunc maxime fiunt peragendas ad res potentes. ac licet uiribus & potestate differant, quadā tamen æquabili mixtura copulata, sibiq; in utraq; partem consentientes nunc rerum exordia, nunc exordia moliuntur. Cumq; omnia è contrarijs ac medijs constent, planetæ quoq; ipsi partim sibi inuicem contrarij sunt, partim mediam quandam potestatem habent, cuiusmodi etiam naturæ signa ipsa sunt. Quôcirca ad ea quæ à coniunctionibus parantur, plurimum etiam signa conferunt. Cum igitur hæc sic se habeant, iure coniunctiones obseruandæ sunt à Mathematico, cum ex illis manet cognitio eorum quæ in mundo sunt, siue ad ortum, siue ad interitum pertineant. quando potissimæ ac primariæ causæ illorum sunt. Quod si aspectuum ipsorum tanta uis est in utramq; partem, quanto maior uehementiorq; uis coniunctionis habenda est? cum non per obliquam aduersamq; ac remotam radiorū commixtionē uires sibi suas partim communicant, atq; inuicē augent, partim impediunt turbantq; sed radios suos tanquā in unam massam coactos in terras simul proyiciūt, et commixtis uiribus, comunicatisq; ut ita dixerim, consilijs agendas ad res feruntur. Quôcirca non iniuria accusandi uidentur qui de rebus toto anno futuris libellos emittūt, planetarum statum solum modo considerantes, quo tempore Sol Arietis primam partem ingreditur. Cum enim coniunctionum ipsarū significationibus tempus constitutum sit. nā nec agunt nisi in tempore, et ita quidē agunt, ut non semper aut statim aut paucis post mensibus annis ne ipsarū significationes appareant, sed alias longiori alias breuiori

tempore, uidentur est an quo anno de rerum euentis sententiam ferimus, bona mala ue ab præcedente aliqua coniunctione promissa tunc demum euentura sint. Ipsarum autem coniunctionum numerus sic colligitur. Duorum tantum planetarum coniunctiones, Solis Lunæq; coniunctione excepta, sunt uiginti. Nam Sol Lunaq; luminaria, cum sint, ac singulis mensibus coeant, ab planetis seiungere eorum coniunctiones uoluit. quarum quidem obseruatio generalissima est, quippe cum ab illis omnium iudiciorū principia sumantur. Græci nāq; codices nō centum uiginti, sed centum ac decem & nouē coniunctiones habent. Qui autem ante me transtulit, aut qui post secuti sunt, parum animaduertentur excludi à Ptolemæo hoc loco luminariū coniunctionem, quā addentes centum ac uiginti dici putauerunt. Quæ quidē coniunctiones sunt Saturni et Iouis. Saturni et Martis. Saturni et Solis. Saturni et Veneris. Saturni et Mercurij. Saturni et Lunæ. Iouis item ac Martis. Iouis et Solis. Iouis et Veneris. Iouis et Mercurij. Iouis et Lunæ. Martis quoq; ac Solis. Martis et Veneris. Martis et Mercurij. Martis et Lunæ. Solis etiam ac Veneris. Solis et Mercurij. Nec non Veneris & Mercurij, et Veneris ac Lunæ. ac etiā Mercurij et Lunæ. Triū simul planetarū coniunctiones sunt numero triginta quinque. Saturni Iouis et Martis. Saturni Iouis et Solis. Saturni Iouis & Veneris. Saturni Iouis et Mercurij. Saturni Iouis & Lunæ. Item Saturni Martis et Solis. Saturni Martis & Veneris. Saturni Martis & Mercurij. Saturni Martis & Lunæ. Saturni quoq; Solis & Veneris. Saturni Solis & Mercurij. Saturni Solis et Lunæ. Adhæc Saturni Veneris et Mercurij. Saturni Veneris & Lunæ. ac Saturni Mercurij & Lunæ. Dehinc coniunctiones Iouis Martis & Solis. Iouis Martis et Veneris. Iouis Martis & Mercurij. Iouis Martis & Lunæ. ac Iouis Solis & Veneris. Iouis Solis & Mercurij. Iouis Solis & Lunæ. Iouis Veneris & Mercurij. Iouis Veneris & Lunæ. ac Iouis Mercurij et Lunæ. Deinde coniunctiones Martis Solis & Veneris. Martis Solis & Mercurij. Martis Solis & Lunæ. Item Martis Veneris & Mercurij. Martis Veneris & Lunæ. ac Martis Mercurij & Lunæ. Deinceps coniunctiones Solis Veneris & Mercurij. Solis Veneris et Lunæ. ac Solis Mercurij et Lunæ. Vltimo loco coniunctio Veneris Mercurij & Lunæ. Quatuor simul planetarum coniunctiones sunt èt numero quinque & triginta. Saturni Iouis Martis et Solis. Saturni Iouis Martis & Veneris. Saturni Iouis Martis et Mercurij. Saturni Iouis Martis et Lunæ. Itē Saturni Iouis Solis et Veneris. Saturni Iouis Solis et Mercurij. Saturni Iouis Solis et Lunæ. ac Saturni Iouis Vene-

COMMENT.

ris & Mercurij. Saturni Iouis Veneris & Lunæ. nec non Saturni Iouis Mercurij & Lunæ. Præterea Saturni Martis Solis & Veneris. Saturni Martis Solis & Mercurij. Saturni Martis Solis et Lunæ. Nec non Saturni Martis Veneris & Mercurij. Saturni Martis Veneris & Lunæ. ac Saturni Martis Mercurij et Lunæ. Adhæc Saturni Solis Veneris et Mercurij. Saturni Solis Veneris & Lunæ. ac Saturni Solis Mercurij & Lunæ. Item Saturni Veneris Mercurij & Lunæ. Coniunctiones quoque Iouis Martis Solis & Veneris. Iouis Martis Solis et Mercurij. Iouis Martis Solis et Lunæ. Item Iouis Martis Veneris & Mercurij. Iouis Martis Veneris & Lunæ. ac Iouis Martis Mercurij & Lunæ. Nec non Iouis Solis Veneris & Mercurij. Iouis Solis Veneris & Lunæ. ac Iouis Solis Mercurij et Lunæ. & Iouis Veneris Mercurij & Lunæ. Præterea Martis Solis Veneris & Mercurij. Martis Solis Veneris & Lunæ. Martis Solis Mercurij & Lunæ. ac Martis Veneris Mercurij & Lunæ. et Solis Veneris Mercurij et Lunæ. Quinq; coniunctiones simul planetarum sunt una & viginti hæc, videlicet Saturni Iouis Martis Solis et Veneris. Saturni Iouis Martis Solis & Mercurij. Saturni Iouis Martis Solis & Lunæ. Saturni Iouis Martis Veneris & Mercurij. Saturni Iouis Martis Veneris & Lunæ. Saturni Iouis Martis Mercurij et Lunæ. Saturni Iouis Solis Veneris & Mercurij. Saturni Iouis Solis Veneris & Lunæ. Saturni Iouis Solis Mercurij & Lunæ. Saturni Iouis Veneris Mercurij & Lunæ. Saturni Martis Solis Veneris & Mercurij. Saturni Martis Solis Veneris & Lunæ. Saturni Martis Solis Mercurij & Lunæ. Saturni Martis Veneris Mercurij & Lunæ. Saturni Solis Veneris Mercurij & Lunæ. Item Iouis Martis Solis Veneris et Mercurij. Iouis Martis Solis Veneris & Mercurij. Iouis Martis Solis Veneris & Lunæ. Iouis Martis Veneris Mercurij & Lunæ. ac Martis Solis Veneris Mercurij et Lunæ. Sex simul planetarum coniunctiones sunt hæc numero septem videlicet Saturni Iouis Martis Solis Veneris & Mercurij. Saturni Iouis Martis Solis Veneris & Lunæ. Saturni Iouis Martis Solis Mercurij et Lunæ. Saturni Iouis Martis Veneris Mercurij & Lunæ. Saturni Iouis Solis Veneris Mercurij & Lunæ. Saturni Martis Solis Veneris Mercurij et Lunæ. Item Iouis Martis Solis Veneris Mercurij & Lunæ. Quæ omnes præter Solis & Lunæ coniunctionem sunt centum decem & nouem. Septem simul planetarum coniunctione adiuncta.

FINIS.

IOANNIS

49
IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
PETRVM COMPATREM NEA-
POLITANVM

COMMENTATIONVM IN CENTVM
SENTENTIIS PTOLEMAEI
LIBER SECVNDVS.

q Veruntur de natura Petre Compater & quidem non pauci, quod ea prorsus iniusta atq; omnino imprudens sit, in distribuendis tum suis, tum etiam fortunæ bonis. Atq; utinam sola conuestione contenti, ac non in cælum modo, verum in ipsos etiam Deos inuecti, maledictis illos atq; opprobrijs incesserent. Qui si reputarent corporis è quo ipsi constant compagem, & ciuitatis in qua uiuunt cœtum, desinerent profecto tam lairanter obirectare naturæ, abstinerentq; à conuicijs tam nefarijs, Quin sorte sua contenti, beatiores fortasse, nullo tamen modo non quietiores uiuerent. Nanq; ut de humoribus, & tanquã fermentatione corporis omnino taceam, Artus ipsi & ossa, neruiq; uenæ item & quæ dicuntur arteriæ, hæc ipsa inter se in uniuersum atq; inter partes, non solû diuersa sunt, contrarijsq; qualitibus prædita, uerum alia quidem aliorum ministerijs atq; officijs sic uidetur attributa & subdita ut ex ijs partes quædam dominari, contra seruire aliæ uideantur. Situsq; ipse ac membrorum inter se collocatio et sedes alijs dignior, alijs abiectior ac penè seruilis sit constituta. Itaq; et ueter et aluus et partes ipsæ obscænæ queri possunt de situ, de textu, de ministerio quoq; suo, pectoriq; & humeris inuidere, pedes capiti atq; oculis, Cum ipsi totum sufferant corpus sintq; penè in assidua exeritatione & motu, etiam inter ambulandum spinis scrupulisq; ac minutissimarum rerum offensumculis obnoxij, Caput autem sublime ac tanquam in curru spectandum ab ipsis deuehatur. Oculi uero singula conspiciuntur & quasi uias animus aperiant ad intellegendum atq; discernendum, quo è ministerio, & penè officina prodeant eæ artes disciplinæq; quibus homines cæteris animantibus, & ipsi quidem inter se alius alij præstent atq; excellant. Ac deinceps mēbra singula de seruitio, de positura, de onere ac munere queri possent, aliâq; aduersus alia, aut ob ministerij nobilitatem, aut propter collocationis excellentiam liuore affici, & odio. An non caput sola

888

atq; arenti cute tegitur, Cum coxæ lacertiq; carne etiam plurima sic
 coq; perinde ac uallo quodam muniantur? Manus totæ articulatae
 sunt. At collum penè uniuersum neruis consutum. Excipit nasus cuncta
 capitis excrementa, uentris anus atq; intestinorum. Pedum quidem
 articuli ad incessum atq; ad statum accomodati, manuum ad agen-
 dum. Deniq; cum una quæq; corporis ferè pars famuletur, secum in-
 digne iniusteq; actum succensere hac eadè ratione posset, idq; in ani-
 mato quoq; corpore, uiuenti cuiuscunq; succensendum atq; indignandū
 contingeret, quo in corpore positus ipse texturæq; & uniuersa concre-
 tio, unde uita existit è contrarijs prouenit. recte tamen accomodateq;
 dispositis. quod etiam in Musca quàm manifestissime cernitur, in qua
 uoces ipsæ chordæq; singulæ quidem cum inter se dissideant, simul ta-
 men omnes consentiunt, & concentum illum reddunt tantopere sua-
 uem uirtute artificis ac temperatione. Nulla enim existeret Musica si
 uoces omnes neruiq; uniuersi, soni item singuli essent sibi per quàm
 similes, atq; ut ita dixerim, conuocales, perinde ut nullum existeret
 corporis officium, ne motus quidem de loco ullus, si totum è carne con-
 staret aut è solis ossibus siue neruis. Age in oratione ipsa quæ solius
 est hominis, per quam etiam à cæteris animalibus differimus, quid tā
 contrarium quàm è quibus ea constat, uocales scilicet ac mutæ literæ?
 quæ tamen sparsim diffusæ, affabrefactæq; inter se collocatæ auribus
 ipsis illabuntur tam significanter ac sonore. Cum primus uero ciui-
 tates ipsæ coetusq; hominum qua ratione conseruari possent, nedum
 augete, si ciues ipsi unâ omnes aut lanificio telæq; aut si malueris
 medicinæ a grô ue colendo, aut nauigationi, militiæ deniq; aut ciuius
 uni quamuis etiam necessario artificio à natura essent ingenioq; suo
 dediti? pessime profecto nedum inutiliter cum hominum genere esset
 actum. Quemadmodum igitur corpus ipsum nostrum in uarios ar-
 tus, diuersa item membra ac membrorum officia dispositum, ac distri-
 butū est, quo sibi ad ea adquæ homo natus est omni è parte cōsentiat,
 eadem ratione et uia toti ut sibi ciuitatis corpus exacte cōueniat atq;
 exanussim quadret, natura ipsa diuersa hominum studia, diuersasq;
 animorum applicationes ad artes etiam diuersas principio esse uo-
 luit, neqd quod ad uitam uitæq; commoda, humanæq; societatis con-
 seruationem generisq; propagationem cōferret, neglexisse aut parum
 omnino curasse uideretur. Etenim ut in ipso nostro corpore partes
 quædam sunt sordidis etiam ministerijs appositæ, illisq; solis accom-
 modatæ, sine quibus corpus ipsum mancum esset atq; imperfectum,
 sic in ipsis quoq; ciuitatibus à natura nequaquã inerter prospectum

est, uti etiam culinæ quidam patinariæq; quin etiam cloacis non nul-
 li expurgandis sint ab eadem natura tanquam præparati. Ad quam
 tantam ministerij sorditiam artisq; (ut ita dixerim) nidorem qui ele-
 ctione atq; consilio sese applicaret, nemo profecto esset, nemo. nisi hæc
 ipsa natura ciuitatum consumationi, humaniq; coetus conseruationi pri-
 dentissime consulens, talis eos statueret, taliq; ingenio præditos uellet,
 quod cæli quidem stellarumq; quarum tam diuersæ actiones uariæq;
 adeo informationes sunt assequitur beneficio & munere. Cur non de
 alpium queratur iugis deq; illo tam uerticose cacumine Rætia? de
 tot tantisq; paludibus ac syluis Germania? de importuno illo syrtium
 tractu tantaq; uasitate Africa? de illa cæli soliq; siccitate Aegyptus?
 de assiduis ac feruentissimis æstibus Aethiopia, deq; gelu Sarmatia?
 Atqui tantum terrarum spatium neq; se habere aliter pro rerū na-
 tura poterat. neq; terrenæ molis tam spatiosa uasitas alia ratione con-
 sistere, aut generationi rerum tam diuersarum probe perfecteq; con-
 sultum esse. Quasi non & Sol & Luna queri de deliquio, et minu-
 tissimi illi ignes de luminis exiguitate. erraticæ autem stellæ de motus
 progressionisq; suæ uarietate atq; inconstantia. elemēta deniq; singula
 de loco & qualitate sua possent. Paulus ille Christianæ religionis an-
 tea impugnator, post assertor etiã quàm acerrimus monet unū quenq;
 & tanquam hortabundus imperat, sorte sua contentum esse debe-
 re, in eaq; uti se exerceat, sequaturq; officinam, ad cuius opificiū ac
 munus ab auctore ac magistro Deo uocatus uideatur. Et Horatius hu-
 manæ uitæ non imprudens institutor docet sapientis uiri officio eum
 fungi qui sorte sua contentus ac lætus uixerit. Permittamus igitur na-
 turam exercere magisterium suum quod ignobilibus quoq; artifi-
 cibus etiam cum laude est permissum. An non utitur imperator pro ar-
 birio suo militibus, uniuersosq; exercitu? rex populis ac nationibus?
 Atqui imperat agris arator, uitibus uinitor, pastor etiam pecudibus
 suis pabulationem ac lanificium præscribit. Nolinus ergo naturæ,
 cælo & stellis, quin etiam Deo ipsi tam impudenter, ne impie dicā,
 præscribere, aut quod suum est illis officium eripere. At ego Petre
 Compater cum sim mortalis, immortalē me natum percuperem,
 frustra tamen. Hæc & eiusmodi cupiuntur. Cur non splendescere èt
 noctu ut stellæ, ut Sol die radios effundere ipsi cupimus? An quia
 non est hæc hominum id est nostra conditio? Cōponamus igitur que-
 stus tam illicitos atq; importunos, maledictisq; temperemus uel potius
 nos instituamus ad ea quæ nostra sunt, quæq; à natura nobis uel
 sunt insita, uel ab eadem ipsa præscripto quasi quodā tradita. Cumq;

COMMENT.

intelligamus mortales nos esse, qua è re & mala nostra & querelæ omnes ortum ducant, quid opus est tam indignanter atq; improbe de illis queri, in quibus nihil omnino tu te tibi querendo proficias? præterquam si te ipsum uelis è misero miseriorem reddere, et cælo, stellisq; hoc est diuinæ constitutioni insolenter frustra q; præscribere.

PTOLEMAEVS LI

IN quo signo Luna est genituræ tempore, illud in conceptu fac ascendens, Et in quo signo inuenta fuit in conceptu, illud aut eius oppositum fac ascendens in partu.

PONTANVS

Linij Secundi ex septimo naturalis historiae libro de partu hominis uerba sunt. Cæteris animantibus & pariendi & partus egerendi tempus statutum est. homo toto anno & incerto gignitur spatio, alius septimo mense, alius octauo & usq; ad initia decem. Ante septimum mensem haud unquam uitalis est. Septimo uero pridie postero uel plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Idem paulo post tradit, Cæsoniam Caij principis uxorem octauo mense genitam. Rufum etiam ciuem Romanum undecimo, Lucium Papyrium sextodecimo. Ipse à grauius uiris accepi, Nicolaum Picinum clarissimum duce duodecimo mense editum. Hæc nos præfatos esse haudquaquam ab re fuerit. Hermen rerum cælestium antiquissimum scriptorem tradunt affirmasse, illum ipsum cæli gradum horoscopare tempore genituræ, quem conceptus tempore Luna tenuisset. rursumq; gradum illum tempore conceptus horoscopasse, in quo gradu genituræ tempore Luna fuisset inuenta. Ptolemæus uero qui multis etiam sæculis post Hermen scripsit, quod obseruatio tot annorum aliter docuisset, primo non gradum eundem, sed signum, deinde non idem semper signum sed non nunquam signum oppositum ascendere apertissime dicit. quamuis quod de opposito signo traditur, non à Ptolemæo scriptum, sed à posterioribus additum, sint qui existiment. Eiusdè de signo aduerso opinionis fuisse uideo Habraanum rerum cælestium scriptorem, non illum quidem antiquissimum, cuius etiam Iulius Maternus non semel meminit, sed alium quendam qui non multis ante nos ætatibus scripsit. Cuius uerba sunt. Ascendens gradus concepti utero seminis, non erit omnino Lunæ locus genituræ tempore, se d aut ipse aut oppositus, neq; genituræ ascendens erit omnino Lunæ locus tempore con-

LIB. II.

52

cepti seminis, sed aut ipse aut oppositus. id quod sæpius à nobis obseruatum est. Tunc autem euenire uolunt, ut oppositus in genitura locus ascendat, cum Luna tempore concubitus in occiduo cardine inuenta è. sed ante quàm ad hæc ipsa ueniã, ratio reddenda est cur Ptolemæus de procreatione ac genitura simul mentionem fecerit. Hominis ipsius & unum & plura sunt principia. namq; & ubi semen utero genitale conceptum est, & ubi membrorum dispositio fieri cœpit, etiam cum animatur foetus ipse, & cum tandem in lucem uenit, principia planè sunt. Nihilominus hominis principia duo potissimum consideranda sunt, alterum cum semen genitale loco admissum est, quod ex hoc ipso principio alia proficiuntur, alterum cum foetus in lucem uenit. Donec enim editur, foetus est, cum primum utero egressus est, & aërem hunc hausit externum, homo uocari incipit, siue mas sit, siue foemina. tunc enim uiribus suis uti, & suapte quodammodo sponte agere primum aggreditur. Cum igitur duo hæc potissima sint hominis principia hoc est procreatio & genitura, iure sunt à mathematicis obseruanda. De uita enim deq; nati euentus iudicaturi ab hoc principio per quod in lucem, atq; ad actiones uenit, necesse est, uitæ totius, et eorū quæ contingunt seriem iudiciorum deducant. Idem si de illis quæ ante partum considerantur iudicare uoluerint, non alio à principio quàm à tempore coitus, cum semen uterum impleuit, deducere iudicium possunt. quæ quidem principia quàm sit inuenire difficile, idem author in libris apotelesmatum ostendit. quibus nisi compertis iudicari de foetus, deq; nati euentus nequeat. Atq; ut de principio seminali hac in parte taceamus, quis nisi capto à genitura principio cum in lucem partus editur, de ijs quæ nato euentura sunt, dū luce fruetur, pronuntiare generaliter poterit aut audebit? Quia uero duo hæc principia conceptus ac genitura ut sibi conueniant necesse est. cum Luna corporum domina sit, ex loco Lunæ conuenientiã hanc omnino et cerni et queri debere Ptolemæus docet, dicens signum illud in quo Luna tempore conceptus fuerat genituræ tempore, in ascendenti statuèdū esse, et in quo signo Luna inuenta est, editi partus tempore, illud tempore conceptus in ascendente collocandū. Quid his dici conuenientius potest? Quia de re multi quid sentiant, referemus. Gestandi utero foetus triplex tempus constituit, minus, medium, maius. alij enim breuiori, alij productiori, non nulli medio quodam inter hæc tempore nascuntur. Vnde minorè, maiorè ac mediã foetuum mansionè, quæ ab ipsis mora dicitur, in utero esse dicunt. Nobis non placet morã dicere, quoniã foetus in utero manet, non moratur, nisi dicamus foetū morari partū, quod est in alia

significatione. Mediam mansionē ē ducentis septuaginta tribus diebus constare uolunt, cum Luna conceptus tēpore ascendit in ortu, qui ppe quod orbis suos geniturae tēpore perfectō cursu iā peregerit. Minorē ē diebus ducentis quinquaginta octo, cum Luna concubitus tēpore in occiduo cardine inuenta orbis non perfecit, dū partus editur. Maiorem ē diebus ducentis octoginta octo, quibus etiam hęc addunt, Lunam tēpore editi partus aspiciendā esse. atq; ubi inuenta fuerit ab occasu in ortum superiori hemisperio ferri, ibi capiēdos esse gradus inter occasum Lunamq; interiectos, eosq; bis ducendos, ac bis ductos, in partes uiginti quatuor, quot horarū dies est, diuidēdos, quotq; gradus inde deducti fuerint, totidē dies eē. quæ uero partes reliquæ fuerint, quæ diuisionem non patiantur, horas esse. hos dies, itē horas mansioni quæ minor dicitur adijciendos, quibus adiectis tum deniq; omni simul numero capto mansionis tempus constitui. Tandem mansionem hanc subducendam esse a tempore geniturae, animaduertendumq; annum intercalare qui bisextilis nunc dicitur, Lunamq; ipsam cum eo quod reliquum est æquandam, & quo in loco tunc inuenta fuerit, eum locum horoscopum geniturae esse. Quod si Luna ab occasu ortū uersus per inferioris hemisperij loca pergit, capiendum esse spatium quod inter horoscopum & Lunæ locum interest, eademq; ratione multiplicandum, deinde diuidendum, addendumq; mediæ mansioni, post etiam subducendum, demum etiam adæquandum. Atq; his in hunc modum confectis, quo in gradu Luna inuenta fuerit, eum gradum geniturae tempore horoscopare. Nos quod de gradu dicant, affirmare non audebimus, cum Ptolemæus signum dicat non gradum. Sed nec illud affirmauerimus, cum Lunam in occiduo cardine reperiri contigerit, signum oppositum horoscopare, quamuis Ptolemæus, & qui post eum secuti sunt, dicant etiam signum oppositum solere horoscopare. Quæ tamen si uerisimilia sunt, & a nobis ualde probantur, ut a peritissimis uiris tradita, tamen si solis etiam uia queratur, a mathematici circumspectione alienum non est. Quam uiam secutum non difsitebimur Georgium Trapezuntium rerū cœlestium studiosissimū hominem. In hominis corpore procreando finis alicuius rationem a natura haberi affirmare quis dubitet? neq; enim temere tantum opus aggreditur. Procreationis autem, conceptusq; quis aut certior aut magis proprius finis esse quam ipsa genitura potest? Cum enim foetus ipse manibus, pedibus, uibrisq; alijs præditus sit, finisq; instrumentorum non alius esse cernatur quam ipsorum usus, atq; officia, iure finis concepti foetus genitura uidebitur, per quam ad usus officiaq;

tum membrorū hoc est instrumentorum, tum sensuum ipsorum, postq; editus est foetus peruenit. cum pedum, oculorum, aurium, manuum officiaq; paulatim incipiunt. Adhęc in inspicendis geniturae actiones a loco cœli decimo queruntur. quōcirca si locus decimus nati actiones indicat, si finis procreationis est genitura, si deniq; genitura ipsa uiam & principium ad agendum aperit, recte natura ipsa hominem in lucem editura non aliud commodius expectare tēpus debet, quam cum generationis pater Sol in decimum peruenerit locum, decimum inquam locum progrediendo a loco illo, quem Sol ipse tempore conceptus peragravit, quem ad locum nisi nouem post menses non peruenit. quo tempore foetus quem ad agendum natura procreauit nascitur, Sole generationis parente locum nacto, qui agendas ad res maxime idoneus est. Quia uero nunc aliquanto serius, nunc paulo citius foetus ex utero prodeat, hinc fortasse triplex mansionis geniturae tempus inde aucupati sunt. Hi enim post illius reuolutionem quod Lunam horoscopare inuenirent, tunc semen genitali utero conceptum arbitrati sunt, parum, ut mihi uideatur, considerantes eiusmodi Lunæ motum esse, ut in quouis cœli loco eam constitueris, ac mansionis quam ipsi dicunt conuersionem feceris, tandem reuoluto illo tempore ascendere inuenias. Quæ quidem ratio Lunaris potius motus esse uideatur, quam ut a genitura tempore necessario sit ducenda. Dicit hic aliquis neminē ob rationem hanc quæ de anno de loco dicta est, otius, seriusue nasci, quod Sol statis semper temporibus decimum ad locum propter motus sui constantiam perueniat. Neq; autem Sol, neq; Luna ipsa sic dominantur corporibus, ut non ceteri quoq; planetæ iura in ijs sibi sua uendicent. Moratur sæpenumero partum Saturnus, quod stella eius tarda sit atq; difficilis, cuius nequaquam benigna uis & in ipso procreationis initio, & in membris corporis disponendis, & in edendo partu incommodo esse potest. Contra Mars quod præcipitantior est, propter calorem citius præstat omnia. Iupiter Venusq; propter insitam moderationem cuncta moderate. Mercurius suapte natura festinus & agilis, facile tamen in aliorū sese naturam uertit. An nō uidemus mares partum maturare, foemellas producere? alias mulieres nimio plus in enitendo laborare, alias uix partum sentire? quæ cur accidant, non Luna solum causa esse potest, uerum aliæ quoq; & quidē

diuersæ tum cœlestes, tum etiam naturales causæ. Ad hæc neq; foetum edi tunc dicimus, cum ad primum decimi loci gradum Sol peruenierit, sicuti nec Ptolemæus gradum ipsum dicit, sed signum, sed tunc edi foetum existimamus, cum ad signum illud Sol peruenierit, ubi locus decimus constitutus est. hic enim locus ut cætera cœli loca quæ numero duodecim sunt, pluribus è gradibus constat. Quin etiam licet uerum sit, quod Sole constituto in imo cœli cardine atq; in primo Arietis gradu, medius cœli cardo in primo Libræ gradu statuatur, tamen si Sol in alijs figuræ locis, quæ loca figuræ cardines nõ occupent, collocatus est, gradus ille in quo Sol collocatur, nõ semper indicat illu ipsum decimi ab eo signi gradum, decimi èt loci principiu esse, q; propter locorum inæqualitatē, et signorū rectitudinē, obliquitatēq; contingit. uerbi gratia. In Publii procreatione fuit Sol in uigesimo tertio Tauri gradu, qui gradus medij tunc cœli culmen tenebat. occasus autem fuit in uigesimo nono gradu Aquarii, qui est decimus à Tauro locus. quorū duorum locorum principia inter se graduum aliquot numero differunt. siquidem angulus ille in quo Sol collocatur, uigesimum tertiu Tauri gradum occupat. angulus uero loca ab illo decimi uigesimu nonum Aquarii gradum obtinet, non nunquam etiam eorum locorum principia pluribus gradibus differunt. Sed iam ad Ptolemæum redeamus, cuius uerba manifestissime declarant, signum illud in concœptu ascendisse, quo signo Luna partus tempore ferabatur. Rursum signum illud in quo Luna erat in concœptu, etiam ascendere in genitura, non tamen semper, cum compertum sit, non nunquam oppositū signum horoscopare. quibus dictis ostendit Hermæ regulam sibi omnino constare, cum Luna est in ascendente posita, ubi utero in ascendente non est, ita quidem sibi dissentire, ut aliquando aduersum signū horoscopet, idq; contingere cū Luna est in occasu. Quod uero ad gradū ipsum attinet, nõ ita quæ sentit Ptolemæus, ut gradū illū nunq; putet horoscopare, sed illud potius sentit, non illum semper, sed aliū atq; alium signi eius gradum ascendere, atq; ea ratione fieri ut signū illud semper horoscopet. Oritur autem ex ijs quæ de occasu diximus, quæstio sanè difficilis, idem ne an oppositum signum ascendat, cum in locis inter ortum, atq; occasum constitutis Luna inuenta est. Sed ea quæ de Sole diximus, persuadere nobis possunt, signum illud ascendere, quod promotu Lunari concitatioe aut sedatioe ad nouē illos menses Solares, de quibus diximus, propius accedet. Sed ad Hermen redeamus. Si eius regula tam certa fuisset quam ipse putabat, nunquam

Ptolemæus de inueniendo horoscopo tantopere sollicitus fuisset. siquidem stante Hermæ regula, horoscopi ratio certa esset, quam alijs quibusdam uijs inuestigari oportere censet.

DOMINI genituræ hominum proceræ stature in sublimitatibus sunt, & ipsorum horoscopi in signorum principijs. Eorum uero qui sunt breuis stature, in humilitatibus inueniuntur. Ad hæc inquirito signa ne recta an obliqua sint?

Accidit corporibus nostris non qualitas modo quæ substantiæ comes est, uerum etiam quantitas, quæ tres simul iunctæ & animal & animalis corporaturam constituunt. Qualitatis quantitatēq; corporeæ cognitione, quod hæc ipsa corpora cœlestium corporum sequuntur agitata, etiam ad mathematicum spectat. utranq; horoscopus ostendit, et ipse utriusq; significator et index est. Sed qualitatis cognitio à signo quod tempore genituræ ascendit magis queritur. quantitas uero, licet eius in spectio etiam ad horoscopum referatur, alio tamen est modo cognoscenda. cuius cognitionis triplex observatio traditur. prima docet situm genituræ domini uidendum, secunda numerum graduum ascendentium in horoscopo. tertia signi horoscopatis ascensiones. quod signa ipsa alia sunt recta quæ dum ascendunt plusculum temporis occupant, alia obliqua, quæ breuiori tempore sursum feruntur. Signi cuiusq; partes primæ, quod ab ipsis ut à principio productio incipit, atq; ideo maiorum sunt uirium, proceritatis causa sunt, extremæ breuitatis. quoniam quæ desinunt, impetus ac uires remissiores habent. Ex quibus cõijcere licet medias partes, quod mediæ potestatis sint, stature mediocritatem indicare. Signum etiam rectum quod tempus ascensionis suæ producit, nati quoq; corpus producere ac longiusculum facere uideatur, at obliquum quod tempus ascendēdi corripit. nati quoq; corpus corripere ac breuiusculum præstare par est. Ad hæc dominus genituræ cum in parte superiore orbis sui fertur, quia longiori uagatur spatio, longiore staturem, cum in inferiori, quod breuiori spatio incedit, breuiorem corporis staturem efficit. Itaq; tria hæc ubi simul conuenierint, ut signum rectum, ut primæ signi partes ascendant, ut dominus genituræ superiorem, ac remotiorem orbis partem teneat, procul du-

bio natus ille longioris staturæ futurus est. uerbi gratia. Nascente Marco ascendit Libra, quæ plusculum temporis recte nascendo occupat, ascendit primus, secundus uel gradus eius, aut tertius, aut etiam quartus, quintus uel, inuenitur etiam Venus genituræ domina, quæ tunc orbis sui culmen spatiosius uagando peragrat. profecto Marcus proceri corpore futurus est, atq; eo magis, si è parentibus bonæ staturæ, atq; in regione ubi homines productiores sunt, nascitur. Cum igitur tria hæc simul conuenerint, facile efficiunt ut ex breuibus etiam parentibus proceri liberi nascantur. Contra ubi postremæ signi partes, et obliqui quidem signi quod breuiori spatio ascendit horoscopus, necesse est ut qui tunc in lucem editur breui corporis statura futurus sit, præsertim si genituræ dominus parte orbis contractiore feretur. uerbi gratia. Caius cum nasceretur, ascendebat Aries, ascendebant postremæ Arietis partes, inuentus est genituræ dominus Mars, isq; inferiorem et contractiorem orbis sui partem tunc tenebat. quis dubitet breui corpore Caium futurum, atq; eo magis si parentes quoq; et ipsi parui, ac regionis eius parui pleriq; homines sunt. Sed ad genituræ dominum redeamus. hunc multum addere ad proceritatem uolunt, si matutinus est, quod uires eius longe tunc maiores sint. quod licet ipse minime negem, à Ptolemæo tamen id ne inuitur quidem ac in parte. Græce est. si genituræ domini in ἀπορείοις, aut ὑπορείοις sunt. ὑπορείοις uerbum è uerbo expressum est subterraneum, cuius oppositum est ἀπορείοις, unde Græci inum cardinem ὑπορείοις dicunt, quod sit cæli cardo subterraneus, id est inus, cuius oppositum dicunt μωρεπίαια, id est cæli medium. hoc tamen loco ἀπορείοις et ὑπορείοις uidentur significare orbium quibus planetae feruntur, supremas atq; infimas partes, quarum summa pars à nobis maxime recedit. contra ima terris his maxime propinqua est. Cum autem orbis hi duo esse dicantur eccentrici, et qui breuis cognominatur, utriusq; consideratio non parum etiam conferet. Ad faciendam igitur humani corporis proceritatem breuitatem uel hæc simul omnia conueniant necesse est, quæ ubi non ex omni simul parte conuenerint, res ad mediocritatem quandam declinabit, perinde ut plura pauciora uel conuenerint. Sed nec hospitator, id est dominus signi in quo signo genituræ dominus reperitur omittendus uidetur, qui ubi in orbis sublimitate aut humilitate inuentus fuerit, non parum etiam in utranq; partem conferet. Dominus genituræ qui sit, et quibus rationibus capiendus, uideo inter auctores parum constare. Alij namq; genituræ dominum planetam eum capiunt, qui pluribus prærogatiuis ornatus est, ac plus

uirium in horoscopo habet, alij eum qui in quo signo positus est, in eo maiore cum potestate auctoritateq; quam cæteri in locis in quibus constituti sunt resideat. Alij planetam qui latitudinis Lunæ dominus comperitus fuerit. Sunt qui dicant eum genituræ dominum in cuius finibus Sol interdum, noctu Luna inuenietur. Quin etiam non nulli existimant genituræ dominum illum esse, ad cuius signum Luna primum transierit, post id signum quod peragrat in genitura, præterquam si ad Leonem aut Cancrum transeat, et planetam illum signi dominum, si diurna genitura fuerit cum Sole simul, si nocturna est genitura, cum Luna genituræ ipsius dominatum suscipere ac gerere. Nos hanc rem quod maioris disputationis est, in medio nunc relinquimus.

PTOLEMAEVS

LIII

DOMINI genituræ macilentorum hominum, latitudinem non habent, pinguium autem habent. Quod si latitudo australis est, agiles erunt, si borealis, inagiles.

PONTANVS

Humani corporis mixtura qualis futura sit, et quem in humorem magis inclinatura, non solum queritur à mathematico, uerum etiam natusne ipse crassior an macilentior sit futurus, quanquam qui obeso sunt corpore à calido magis recessisse uidentur, contra macilenti calore plurimum abundare, qui sic alimenta et cibos decoquant, ut nullo modo patiantur quicquam minus coctum relinqui, quod in crassum et pinguem humorem transeat. Quo circa cum sit ostensum, corporum proceritatem breuitatemq; à situ domini genituræ querendam esse, uidendumq; in summo an imo circuli sui feratur, adhæc cum longitudo lineam sequatur, cuius propria est protentio, recte sequitur de quaerenda latitudine, hoc est crassitudine regula. Namq; ut naturale corpus dare non est absq; linea, id est productione, quæ ei longior et breuior esse solet, sic quod latitudine careat, naturale corpus dare non est. Itē quemadmodum sublimitas, humilitasq; orbis planetae, longitudinem corporis, quam sursum protendendo metimur ostendit, sic latitudo planetae in dextrum aut sinistrum æquinoctialis lineæ latus digressi, amplitudinem corporis, quam quidem in sinistram aut dextram partem progrediendo metimur. Ac de longitudine quidem ut primo

loco præciperet, ratio docuit, quod mathematicus lineam ante latum & profundum contemplatur. De latitudine quoque ut secundo loco præciperet, eadem ratio fecit. cum secunda mathematica consideratio sit, de latitudine, quam superficiem uocat, quæ constat longi ac lati dimensione, quæ duo profundum antecedunt. Maior igitur corporis nostri amplitudo quæ corpus ipsum crassum atque obesum reddit, a domino genituræ arguitur, quoties is ab æquinoctiali linea digressus, in dextrum aut sinistrum latus declinando in meridiem, aut septentrionem uersus ascendendo excurrit. Contra macies quæ est latitudo contractior arguitur, quoties æquinoctiali lineæ inherens genituræ dominus neutram in partem uergit. Sed ipsa siue macies siue crassitudo maior minor uel a propinquitate ac digressionem, genituræ ipsius domini iudicabitur. Consuevit autem crassitudo ipsa & obesi corporis grauis habitus se gnitiem quandam suapte natura ingenerare, unde crassum ingenium dici solet. nihilominus uidemus quosdam in magna etiam corpulentia agilitatem & ad res gerendas commotionem etiã uehementem retinere. Cuius rei ratio etiam a cœli regione proficitur. nam pars cœli meridialis, quæque in austrum uergit, cum sit ob solis præsentiam abunde calida, contra borealis, quod in septentrionem ab æquinoctio uergit, maxime frigida, frigusque motum impedit, quem calor exagitat, cum etiam illud partes concretiores faciat, & catenis quasi quibusdam liget, hic relaxet & soluat. procul dubio corpulentia illa quam genituræ dominus in septentrionali regione positus adducit, erit minus ac minus agilis, siquidem frigidioribus est partibus constat, quæ a domino genituræ per latitudinem australem uadente decernitur, quod partes calidiores habeat. Quæ est ratione uidetur illud posse conijci, ut magis etiam corpulentus futurus sit is qui genituræ dominum in latitudine septentrionali gradibus duobus ab æquinoctiali digrediẽtem habuerit, quàm qui pari spatio in latitudine australi. quod ille frigidioris mixtura compactus sit. quæ est re futurum est ut cibos minus concoquat, qui ubi male concocti sunt, in alimentum membrorum non satis uertuntur, neque facile penetrant, itaque resident, quodque humidi & mucosi, ut ita dixerim, sunt, simul hærent, et in crassum humorem abeunt. Parentum quoque corporatura cœli que ac terræ situs in utranque partem non paruum conferent.

Ptolemæus

DOMINATORES in ædificationibus ubi copulantur stellæ subterraneæ, ædificij erectionem impediunt.

PONTANVS

Hæc observatio ad ædificationem pertinet, in qua sicuti cæteris in rebus quæ ab hominibus fiunt, multa in utranque partem euenire possunt. Cum igitur quis prima iacit domus, templi, ædificij publici uel priuati fundamenta, si stellam dominantem stellæ subterraneæ copulari uideris, copulatione ex ipsa conijcto, impeditum iri ædificium illud, quo minus cito consumetur. siquidem ex copulatione stellæ in hemispherio inferiori constitutæ uidentur mirum in modum hebetari atque infringi uires stellæ, quæ fabricæ præest, quæque hora iacendorum fundamentorum horoscopo imperat. ex qua hebetatione id ædificium ad fastigium id est operis consumationem non facile perducatur. Euenietque dominatori huic quod homini quamuis actioso euenire solet, ut industria eius & in agendo celeritas ualde imminuatur, multumque agilitati eius detrahatur, si quem socium collegam uel hebeti ingenio & obtorpeni animo nactus fuerit. Cum enim humilia sublimibus opponantur, planeta in infima cœli parte constitutus fastigijs & culminibus aduersabitur, in quibus ædificia ipsa destitunt. Quamobrem in iacendis fundamentis ad ea quæ superius dicta sunt de domibus ædificandis, hoc etiam addendum est, ut eum dominatorem eligamus, qui sit non modo superiori in hemispherio positus copulatusque stellis quæ idem hemispherium teneant, sed qui nullam omnino cum stellis quæ inferius hemispherium peragunt, copulationem habeat, ut neque ab illis aspiciatur, neque in alicuius earum domicilio collocetur. quod etiam copulationis genus est. Dicit aliquis nonne beneuolus aspectus dominatrici stellæ præsidio suo multum conferet? Alia rerum aliarum ratio est. Planeta in imo positus non potest adiuuare fastigium quod sursum tollitur, nec qui est sub terra id quod in aërem erigitur. quæ autem uideri potest ad fundamenta substruenda, et quæ in terræ propinquo fiunt, operam suam ex bono aspectu conferre, nihilominus ob loci naturam erectioni obest & culmini. Potest etiam natura stellæ ipsius, ipsaque copulatio eiusmodi esse, ut non solum impedimentum inferat, ne ædificium celerius erigatur consumaturque, sed ut prorsus obstet prohibeatque ne unquam ad finem perdis

atur. Mihi quidem, quod omittere in animo non est, uidetur Ptolemaeus, ut Syro etiam fratri affirmat, hæc quæ tradit usu ipso comprobata tradere, eamque ob rem singula eius uerba quæ diligentissime obseruanda esse, quoniam pluribus in locis multa ab interpretibus addita comperio, quæ an usu comprobata sint ignoro. quam meam opinionem ante quam ulterius progredior, decreui testatam lectori relinquere, atque eo magis quod in enuntiatis quæ sequuntur, non solum multa perperam translata sunt, sed plura etiam adiecta, quæ Græci codices non habent. Quod autem ad translationem ipsam attinet, dominatorem hoc in loco conuerti, quem duobus antecedentibus enuntiatis genituræ dominum uocauit. hac de causa quod in enuntiato quidem quod est de proceritate cognoscenda scriptum Græce sic est, *διοδωτορας* *περὶ* *τοῦ* *κυρίου*, id est genituræ domini. In altero quod est de maalentia, *διοδωτορας* tantum, pro quo etiam, domini genituræ. quoniam si a domino genituræ queritur proceritas per id quod summum est, quod quæ in proceritatem crescunt, in editum crescunt et corpulentia a genituræ domino queritur, per latitudinē, cum in dextrū sinistrū ue amplitudo promineat. In hoc tertio Græce legitur etiam *διοδωτορας* tantum, pro quo nos dicimus dominatores, quoniam ineptius nobis uisum est, dominos genituræ in rebus ædificationis dicere. cum in rebus genituræ humanæ dici potius debeant. quanquam licentia quadam et domorum et urbium genituræ dicuntur. homines enim gignuntur et pariuntur, ædificia uero non. Quin etiam licet tam uitæ hominum quam ædificiorum et urbium principium dicatur, homo tamen proprio uerbo gigni, illa uero non gigni dicuntur sed inchoari. Quod si id quod nomen ipsum præ se fert, domus dominum, qui quidem in re familiari pater familias a nostris dicitur, interpretari uoluerimus, non qui maiorem in ascendente iurisdictionem habet, intellegendus erit, sed ille ipse planeta, qui ascendens signi dominus inuenitur. nam *διοδωτορας* a domus dominatu dictus est.

PTOLEMAEVS

LV

MARTIS aduersus naues noxia uis imminuitur, cum neque in cœli medio, neque in undecimo est loco, in his enim locis nauem corrumpit, prædonibus per uim occupantibus. Incendetur autem nauis, si ascendens ab aliqua stella fixa quæ ex Martis mixtura sit, affligetur.

PONTANVS

Observatio hæc accommodanda ne sit tempore quo ædificari nauis incipit, an cum primum in mare deducatur, an cum e portu soluit, parum liquet. Verum cum earum rerum iudicium quæ inuita hominis postquam in lucem uenit accidunt, a tempore ipso quo editus est quæ ratur, tunc enim homo dicitur, qui ante factus erat, uidetur observatio hæc ad nauis ipsius deductionem potius accommodari debere. siquidem cum in mare primum deducatur, tunc ad nauigandi officium, quod eius est proprium, institui nauigium incipit. quemadmodum homo matris utero eductus tunc primum ad ea quæ hominis sunt iter ingreditur, cum ante partum nullius esset humanæ actionis particeps. Verum cum planeta huius malitiam cauendam Ptolemaeus doceat, quid obseruet? si ubique noxiam hanc martis constitutionem uitauerimus et in ædificanda naui, et in soluendo e portu. quando prudentis officium est cauere. Quo circa et cum nauim deducimus, et cum e portu soluimus, et cum illius carinam hoc est fundamentum iacimus, cauere summo studio debemus, ut neutrum locorum horum Mars insideat, quibus e locis prædonum uim minetur. Cur autem prædones a Marte significari dicantur, et qui uocantur piratae, non est ab re nouisse. Nihil est igne rapacius. ignis quæ simillima est rubra bilis, quæ cholera dicitur. huic humori Mars præest. est igitur eius hois in quo cholera efferuescit, medium mensuramque abicere, quam qui abicit, ad exuperantia excessumque rapiatur necesse est. Rapiat excessus ad iniuriam atque iniustitiam. qui iniuri atque iniusti sunt, uel sibi per uim rapinasque quæ cupiunt, comparare student. Quo circa in quorum natiuitatibus Mars potens inuentus est, ac genituræ dominus, si nullo stellæ alius moderamento temperatur, eam choleram in hominum illorum pectoribus excitabit, ut appetitiones eorum iniustissimæ sint, tumultus querant, bellis gaudeant, cupito quacunque ratione potiri studeant. quales sunt latrones ac piratae. Mars igitur in decimo aut undecimo loco inuentus nauis, rebusque quæ in nauis comportantur, detrimento erit. quod ab ijs quidem qui Martiæ naturæ ac significationis sunt inferretur. Superest, ut cur hæc potissimum loca obsint nauigijs ostendamus. Decimus locus, id est cœli medium magisteria, negotia, operationes atque actiones, ut toties dictum est, indicat. Quo circa locus hic cum nauis aut in mare deducatur, aut soluit e portu, negotiorum nauis eius iudicium facit, quem si Mars insederit, cum maleficus abunde sit, nauis negotijs officijsque perniciosissime oberit, uim af-

ferens per arma, Latrocinia, ac prædonum rapinas, quæ Martis ipsi
 us sunt propria. Prædones enim sunt qui arma in mari exercent, atq;
 è rapinis uictitant, quamuis non nunquam etiam hostes significetur,
 qui belli sequuntur iura. Quod si nauis nauisq; negotijs decimus at-
 tribuitur, consentaneum est, uti rebus quæ ipsa nauis deuehuntur,
 undecimus deditur, sitq; significator peculij, censusq; naualis, alio-
 rumq; etiam quæ negotijs ipsis adiuncta & cognata sunt, ad quæ
 peragenda & nauigatio ipsa suscepta est, & nauis in mare deducta.
 Peculium autem & census nauigij & illa quæ tum nauis, tum susce-
 pta nauigationis negotijs adiuncta sunt, merces ac bona quibus nauis
 honorata est, esse uidentur. Quod circa tum decimus tum undecimus lo-
 cus à Marte occupatus & nauigij & rebus quæ nauigij compor-
 tantur, detrimentum allatum iri aut à piratis aut legitimis ab hosti-
 bus obnuntiat. Quod si Marte, decimum undecimum uel locum insi-
 dente, dum nauis aut deducitur, aut è portu soluit, Martiæ naturæ
 stella horoscopum insederit, nauem in ignibus absumendam portendit.
 Cum enim duo primaria coeli loca maleficis à stellis occupata fuerint,
 ac duæ igneæ stellæ simul ad malefaciendum conuenerint, ita qui-
 dem efferuescent, ut etiam per ignes incendiâq; corrupenda nauis
 decernatur. Eadē fortasse maleficientia Mars utetur in loco undecimo
 positus, si suæ quoq; efficiæ stellam fixam in orienti cardine sociam
 nactus fuerit. Videntur tamen signa diligenter consideranda in qui-
 bus Mars erit positus, & domini signorum qua sint ratione collocati.
 Illi autem plerumq; pirateæ futuri sunt, in quorum genituris Luna
 diurno tempore in horoscopo partiliter constituta Martem ac Satur-
 num uiderit alium genituræ cardinem occupare, aut secum ascenden-
 tes habuerit. Luna enim cum in mari potissimum domnetur, ubi in
 ascendente posita est, & genitura est diurna, decernit eum qui tunc na-
 tus est, nauicam exercitaturum, & quidem rapinarum ac prædæ
 gratia, si perniciofa Martis irradiatio coniunctio uel accesserit. Quod
 si Saturni quoq; malignitas accesserit, ad Martis maleficientiam summa
 fiet accessio, qua è re futurus est natus ille peruersissimus & generi
 hominum maxime incommodans, cuiusmodi pirateæ sunt, qui huma-
 ni generis hostes sunt. Reliquum est ut sciamus Martem in alijs coeli
 locis positum non adeo perniciosum fore nauem in mare deducenti,
 aut è portu soluenti, quando quidem uires eius in terra quàm in mari
 pollentiores sunt. Hoc enuntiatum satis me angit, quod uideo Græ-
 cos quosdam codices non undecimi loci, sed duodecimi mentionem
 facere.

Ptolemæus

CVM Luna est in primo quadrangulo, hoc est ex quo à Solis con-
 iunctione recessit, corporum humiditates ad secundum usq; effluunt,
 curliquis autem decrescunt.

PONTANVS

Ptolemæus ipse in primo apotelesmaticum libro ait Lunam ab exortu ip-
 so cum increfcere incipit, quousq; semiplena sit, humiditatis amplius
 effectricem esse, inde ad plenitudinem usq; caloris, post plenitudinem
 autem donec iterum semiplena fiat, siccitatis, atq; inde ad coitum usq;
 frigiditatis. Quod circa Luna ipsa in primo orbis sui quadrante na-
 turam aëris, in secundo ignis, in tertio terræ, in quarto naturâ aquæ
 magis sequitur, hoc est ueris, æstatis, autumnii atq; hyemis qualitates
 magis excitat, ac nihilominus humida semper est, cum sit eius quali-
 tatis domina. Ipsa autem humiditas quoniam à calore, id est Sole
 excitatur, à quo Luna lumen suscipit, tam diu in Luna increfcit, q̄
 diu Solis in eam crescit irradiatio. Ipsius uero irradiationis incre-
 mentum per primam et secundam orbis quadraturam pedetètim pro-
 cedit, donec peracta secunda quadra, confectoq; semicirculo, plena
 facta est. Deinceps quod decrefcere in eius corpore Solis irradiatio in-
 cipit, decrefcit etiam paulatim humiditas, quæ ab irradiatione cale-
 facta excitabatur, donec Soli coniungitur. Interea Luna ipsa Solem
 bis quadrangulariter aspiciat. ac primum quidem quadrangulum for-
 mari incipit, cum à Sole digrediens septimo post die semiplena cerni-
 tur, abestq; ab illo gradus nonaginta. Hoc igitur est quod ait, cum è
 in primo quadrangulo ex quo à Solis coniunctione recessit. Secun-
 dū uero quadrangulū post plenitudinem incipit, quo tempore semicir-
 culo confecto, ad Solem regrediens rursus illi propinquat, nona gin-
 ta tantum gradibus interiectis. Non peruenit igitur ad secundum
 quadrangulum, nisi post plenitudinem. eo usq; autem corporum humi-
 ditates effluunt. Siquidē Lunæ humiditatē sequuntur inferiora cor-
 pora, cum Luna ipsa sequatur ex crescentē Solis irradiationem. qua
 decrefcete, q̄ Lunæ quoq; decrefcit humiditas, corporū simul humidi-
 tates decrefcūt. Quæ res in cadēda materia, in cæcis fluminalibus,
 in cerebro, in uenis manifestissime cernitur. Crescente enim Luna, hu-
 midum in ijs effluit, decrefcete decrefcit. Idq; nos arminibus testati
 sumus, cum de ijs loqueremur.

hhh

Aemula crescenti reparant a lumine vires,
Et multo in primis implentur corpora succo.

PTOLEMAEVS

LVII

CVM septimum locum atq; eius dominum in ægritudine afflictum uideris, medicum mutato.

PONTANVS

Diximus superius septimum locum in quaestione mathematicis attributum esse, & cur ita sentiremus causas attulimus. Idem locus in constituenda ægroti figura medico attribuitur, ut quemadmodum in consulendo mathematico ascendens attribuitur consultori, septimus locus consulto, sic in inspiciendo cœlo quo tempore quis ægrotare cœpit, prima domus ægroti ipsi, septima medico attribuitur. Perinde enim ad ægrotum medicus, ut ad consultorem consultus ex Ptolemæi sententia sese habet. Inquit igitur qui mathesim profitetur de ægroti consultus, aut de illius morbo sponte sua iudicium ferre uolens, quo tempore laborare æger cœpit inspecto, si septimam figuræ domum infelicitate affligi compererit, ut aut a malefico planeta in se sit, aut quadrangularibus aduersis uel radijs ab illo impugnetur. Ad hæc si dominum quoque domus eius male se habere comperit habuerit, suadebit ægroti ut dimisso primo medico, alium adhibeat. siquidem infelix locus huius atq; eius domini status curationem medici eius male cessuram, atq; futuram languenti significat. Quale namque præsidium esse potest eius uel hominis uel artificis, qui nobis laborantibus & ipse quoque laborare? miserabiliterque affectus langueat? Nam septimus locus cum sit medici, domusque loci ipsius cum sit medici significator, si male se habuerint, hostilibusque radijs feriantur, medici qui ante adhibitus est ingenium atq; operam sic turbari atq; præpediri significant, uti de illius opera nihil omnino sperandum sit, summouendumque omnino esse, ne curatio eius in ægrotum male atq; infelicitate uertat. Loco enim male se habente, quæ loco illi attribuitur ut male se habeant necesse est. cuique loci dominus, id est medici significator affligitur, medici quoque opera qui tunc ægroti curando assistit, male cessura uidetur. quocirca primo medico summo, alium adhibendum iudicabit.

PTOLEMAEVS

LVIII

CONIVNCTIONIS locum, quo in loco ab anni ascendente est,

inspice. siquidem cum profectio illuc peruenerit, tunc euentus erit.

PONTANVS

Quam ipsi nunc coniunctionem dicimus, Græce est *σύνσος*, quæ a Ptolemæo ubique pro Solis Lunæque copulatione accipitur, nisi cuius alius planetæ fuerit addatur. Quo magis quosdam demoror, qui de Iouis Saturnique coniunctione tradi hoc omnino uelint. Sed ad rem ueniamus. Si Lunæ Solisque potestas tam efficax in nobis non esset, nequaquam in genituris contemplandis principe loco quaereretur, plenilunium ne an nouilunium quam contemplamur genituram præcesserit. Etenim cum Sol Lunæque spiritus atque corporis, id est animati corporis authores ac domini sint, iure illorum coniunctio primum quaeritur, eaque diligenti studio ac summa opera examinanda præcipitur, idque non solum in genituris exquirendis, sed in annorum quoque conuersionibus pensitandis (ut loco hoc monemur) studiosius faciendum est. Etenim (ut supra est dictum) si ex coniunctionibus planetarum emanat cognitio generationis & corruptionis rerum, quæ hoc in mundo fiunt, quo studio, qua etiam diligentia coniunctio lunarium, quæ ante quam utero quis prodijt facta est, consideranda uidetur? Quandoquidem Sol princeps est ac moderator planetarum ipsorum, Luna uero continuis discursibus quinque stellarum erraticarum radios ab alio ad alium transferens in corpora inferiora infundit, & (ut ita dixerim) transmittit. Quocirca tum in genituris contemplandis, tum in annorum conuersionibus recensendis Solis Lunæque antegressa coniunctio diligentissime uidenda est. primumque quo in signo, & in quo cœli loco contigit considerandum. deinde a nocentibus ne an salutaribus a stellis, an partim a salutaribus, partim a noxijs irradiata fuerit. deinceps dominus signi & item finium qui sit, & in quo cœli loco collocetur, atque a quibus aspiciatur. Item recto ne cursu feratur, an retrocedat, aut consistat? oriatur ne ante Solem, an Solem ipsum subsequatur? Quibus atque etiam alijs inspectis, exacteque pensitatis, facile erit decernere quid aut boni coniunctio illa promittat, aut minetur mali, quo cognito uidere est restat quo anno bonum malum uel ipsum euenturum sit, si genituram inspicias, sin anni conuersione, quo mense. Ac ne a Ptolemæi ipsius uerbis discedamus, cum præceptum hoc eius ad anni conuersione pertineat, si in conuertendis geniturarum annis obuenturi mali aut boni quo illud euenturum portenditur, certum mensem colligere uolumus, signorum profectio inspicienda est. Singulis enim annis signa singu

La iuxta signorū successionem in genitura horoscopi auctoritatem accipiunt. Nam cui ortus sui tempore Cancer ascendit, quia Leo Cācrū statim sequitur, secundo anno nati eius principatū Leo suscipit, anno tertio Virgo, & sic deinceps, ac si per manus aterum alteri signum iuxta seriem constitutionis dominandi potestate tradat. Atq; hæc quidem signorum series, mutuaq; successio a nostris profectio dicitur, Græce *πρὸς τὰς* est. Eadē in conuertendis annis mensium ratio est. si enim anni profectio ad Arietem peruenerit, primus mensis Arieti, secundus Tauro, tertius Geminis attribuitur, & sic deinceps. Signo igitur locoq; inspecto ubi in anni reuolutione Solis Lunæq; conuinctio facta est, ac loco ipso cum geniturae figura pensitato, quid et quo mense portendatur intellegi poterit. Quam ad rem plurimum conferet annorum ipsorum, ac locorum climatericorum consyderatio. Locus quoq; partis fortunæ natalitiæ inspiciendus est, uidendumq; ad quem planetam temporum dominatus peruenerit, & quid aut tunc in genitura, aut nunc in reuolutione uel prosperum uel aduersum planetarum status, cœliq; configuratio promittat. quæ miscendo ac temperando, qualia euentura sint, & quo etiam anno ac mense, iudicabimus. Hoc Ptolemæi præceptum tempestate nostra non modo non seruatur ut parum intellectum, uerum male conuersum ad Iouis Saturniq; conuinctionem refertur. quod ne somniari quidem Græce ex uerbis Ptolemæi ipsius potest. Quod autem ad translationem ipsam attinet, cum Græce dicatur *ὁ μὲν τῶμα*, quod tum calamitas, tum ruina Latine dici potest, maluinus euentum, quod id uerbum communius ac generalius est, traducere.

PTOLEMÆVS

LIX

DE absente quod occiderit ne pronūtiato antequam uideris, an temulentus factus sit, neq; quod uulnus accepit, antequā exquisieris, an sanguis ei missus fuerit, neq; quod thesaurus inuenerit, priusq; scrutatus fueris, ne forte depositum accepit, cum omnium figuræ similes sint.

PONTANVS

Sunt quædam rerum cognationes, quod natura ipsa comparatum est, ut difficile sit eas scernere. Nam & morbi quidam ita cognati uidentur, ut signa eadem sint, & uirtutes quædam morales adeo sibi conuinctæ, ut penè eadem uideantur, nec nisi multa subtiliq; cogitatione

scerni queant. Quæ res tum medicorum tum philosophorum ingenia non parū exercet. Quare mirum uideri non debet, si astrologos quoq; similis difficultas male habet, quibus eo maior uenia danda est, quod cognationes rerum quæ astrologis offeruntur, longe plures aut certe non paucares quàm morborū ac uirtutum sunt. Monemur igitur si quando de peregre profecto atq; absente consulti fuerimus, ne pronuntiemus, illum diem obisse ex cœli configuratione primo id aspectu portendente, nisi diligentius exactiusq; perspectum sit, an is de quo consulti sumus, tunc temporis quo consulebamur, ebrius fortasse esset, & uino, ut poëtae inquitunt, sepultus? quoniam temulenti figuræ mortui figuræ persimilis est. Temulenti namq; propter uinum, quo sensus obtorpuere, in somnos abeunt, quorū somnus & profundior est, & propter grauissimum sensuum torporem morti similior, unde a poëtis morti somnus comparatur, ut

- » Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti, &
- » Perpetuus sapor urget, &
- » Ferreus urget somnus. &
- » In æternam clauduntur lumina noctem.

Vidimus ipsi gregarium militem uino uictum, iridium sub diuiniacuisse absq; ullo rerum humanarum sensu. Quæ uero ratione discernere possimus, mortuus ne sit, an uino obstupescit edormiscat, Ptolemæus non docet, contentus hoc in loco monitos tantum fecisse. quod nos difficilius arbitramur ex figura interrogationis discerni posse, nō solum propter mortis ac temulentiæ somniq; cognationem, sed quod fieri etiam posset, ut morbo comitiali esset interceptus. Monemur etiā, ne si in consulendo cœlestis constitutio portendere uideatur illum de quo consulimur uulnus accepisse, pronuntiemus hostile ei uulnus inflictum, antequam probe perspectum habeamus, num uenam eius medicus ualitudinis gratia percuti iusserit? quid enim cognatus? cū uirumq; ferro fiat, atq; ex utroq; sanguis effluat. Tertio etiam loco docemur, ne ante de inuento thesauro pronuntiemus quàm perspexerimus, an apud illum de quo quæritur, deposita pecunia fuerit? cum depositum atq; thesaurus ex pecunia constet, & depositum thesaurusq; simili modo repente obijciatur. Verum, ut dixi, alterū ab altero distinguere maioris difficultatis, atq; operæ grauioris est. cum multa suaapte natura lateant, neq; ad tam distinctam rerū cognitionē, ut in principio dictum est, perueniri scientia possit. tamen si Ptolemæus consequens hoc ipsum posse nos nequaquam diffidit, cum uetet de absentis morte non ante pronuntiare quàm compertum sit, an is uino sopitus dor-

miat. ac si diligenti solertiq; inuestigatione assequi mathematicus illud possit. Memoriae proditum est Valente mathematicum praedixisse, puerum qui Constantino Augusto natus esset, in sinu auiae diem obiturum. quae mortua cum esset, praedictio eius ab omnibus irridebatur. contigit autem uti puer is in oppido moreretur, quod ex Helenae auiae suae nomine dicebatur. quae res omnium animos quibus praedictio illa nota erat, in admirationem conuertit.

PTOLEMAEVS

LX

SUPER aegrotis criticos dies inspicere, ac Lunae peragrationem in angulis figurae sexdecim laterum. ubi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti, contra male, si afflictos inueneris.

PONTANVS

Qui sine Critici dies non medicas solum, uerum etiam cuius aliquo ingenio praedito satis cognitum est. dicti autem Critici quod morborum ipsorum perinde ac iudices sint. siquidem ipsis illis diebus morbi ne an aegroti futura uictoria sit, potissimum iudicari potest, unde graece *κριτικοί*, id est iudicatum, aut si malueris, discretiui, quod discernendū uim habeant, dicti sunt, quos esse septimum, quartum decimum, ac uigesimalium primum diem ex quo aegritudo ipsa coepit, generaliter quidem medici consentiunt. quippe quos maxime obseruant, cum eorum maximum esse iudicium sentiant. Cur autem eos tantopere obseruent, ratio haec est. Luna cum nostris corporibus dominetur ob insitam sibi uim ac potestatem, ipsos corporum humores excitat, ac pro arbitrio moderatur. Quocirca locus eius ubi aegrotare quis coepit, diligenter inspiciendus est, ac locus. Item huic aduersus, et utriusque medius a dextra ac sinistra. Cum enim tria haec loca quem locum aegritudinis hora Luna tenebat aduersis, et ut Graeci dicunt, diametris, ac quadrangulis radijs hostiliter feriant, ubi ad unum quendam locorum eorum Luna transierit, necesse est uti morbus ille maiorem quam in alijs diebus commotionem faciat, propter aduersantium locorum naturam, ad quae Luna peruenerit. Peruenit autem ad locum oppositum quarto decimo seu quinto decimo die, ad loca uero quadrangula hoc est ad primum quidem quadrangulum, qui locus medius est loca Lunaris atque aduersi, die septimo octauo uero. ad secundum uero uigesimo primo secundo uero die. quorum dierum quod iudicia manifestiora sunt, ea ob rem hi a medicis

potius obseruantur. Sed mathematico de morbis, de quibus quae morbis accidunt, praedicere uolenti, alij quoque dies obseruandi magna etiam diligentia sunt. Fieri enim potest tum propter coniunctiones fixarum stellarum quae noxiae qualitatis sunt, tum etiam propter nocentes planetarum aspectus, uti Luna in alijs etiam diebus maiores atque commotiones humorum excitet. contra ut diebus quos ante diximus propter coniunctiones, aspectus uel adiuuantium stellarum, motus minores atque sedatores fiant. quod ipse non semel obseruauit, ea praedicere ausus, quae res ipsa comprobauit. Ut autem praedicere mathematicus haec possit, figuram caeli tempore aegritudinis incipientis ita constituet, ut e singulis uiginti duobus gradibus particulis quibus minutis triginta unum latus efficiat, qui numerus quater ductus quartam caeli parte implet. Quae ratio docet gradus duos ac uiginti cum dimidio gradum, sexdecies multiplicatos, trecentos ac sexaginta gradus complecti, quot graduum totus caeli ambitus est. Haec sexdecim latera e singulis duobus ac uiginti gradibus partibusque minutis triginta constituta figuram sexdecim laterum faciunt. qua figura constituta, et laterum angulis probe consideratis, non modo qui critica uocantur, uerum etiam caeteros omnes dies inspicies, iudicabisque pro statu Lunae atque angulorum ipsorum uel felici uel aduerso, commotiones ipsas aut sedatores aut grauios futuras. Quae res si a medicis obseruaretur, et cum ipsis cautius, et cum aegrotis multo melius ageretur, neque tam fallerentur quam falluntur, ubi quo minime suspicantur die grauios res commotiones accidunt. Ne autem fallare, morbi qualitas cum stellarum qualitate quae Lunae angulisque configurabuntur, comparanda est.

PTOLEMAEVS

LXI

LVNA significat ea quae corporis sunt, ut quae ei pro motu similia sunt.

PONTANVS

Non solum apte, uerum etiam necessario enuntiatum hoc a Ptolemaeo subiicitur, quo docemur rationabile esse, uti Lunae motus a medicis obseruetur, quae corpora ipsa sequantur. Luna inquit significatione atque imperium habet eorum quae corporis sunt. Dixit autem corporis quod ea quae spiritus sunt, Soli magis attribuuntur. Quod autem Luna corporibus imperet, incrementa ac detrimenta ipsius plane docet. siquidem ex crescente Luna corpora implentur atque humoribus exuperant, decrescete magis ac magis ena-

cuatur atq; arefcunt, id quod in omni filueftri materia cadēda ēt a rufticis obferuatur. Namq; materia caefa cum Luna lumine aucta ēft, q̄ humidi fiat accessio marcet, ac breui etiam tempore carie conficitur, fiquidem humidum ipfum fuapte natura & facilius et citius corrumpitur. Contra materia caefa cum decrefcens Luna per quam exiguo ēft lumine diutius perennat. nam quod tunc ficior atq; attenuator ēft, nō tam facile corrumpitur. Hoc ipfum etiam in conchylijs, cancrijsq; atq; in uulneribus capitis manifefiffime cernitur, eſtq; res clarior q̄ ut probatione multa indigeat. Non mirum igitur fi corpus febribus affectum pro motu ac ftatu Lunae aliās maiores, aliās minores commotiones ſentit. quando etiam ubi ſanum ac firmum ēft, ad illius motum nunc abunde ſe implendo, nunc tenuiter extenuando naturaliter moueatur.

CVM minutum coniuñtionis principium facies, potes de mutatione aëris in mense illo iudicare. erit enim iudiciū iuxta dominatōre anguli figuræ cuiusq; . uincit enim hic aëris naturam, aſſumens in his etiam præſentis temporis qualitatem.

Quo maiorem atq; euidentiore probationem afferat eorum, quæ de Lunæ obſervatione dixit in ualitudine corporum procuranda, ſubdit etiam aëris ipſius commotiones Lunæ qualitatem ac temperationem ſequi, ne tantopere quis miraretur ſi quæ corporis ſunt, Lunæ imperijs pareant. quando aër ipſe in quo uiuimus, quem ſpiramus, Lunæ quoq; qualitates ſuis in affectionibus referat. quod ni ſic eſſet, nunquam Ptolemæus concederet aſtologo de totius menſis qualitate iudicandum. Nam cum Luna menſis domina ſit aër q; pro Lunæ affectione commoueatur, & aliam atq; aliam temperationē ſuſcipiat, docet totius menſis qualitatem poſſe ab aſtologo prædici, ſi Lunæ motum cœliq; conſtitutionē, quo tempore cum Sole coit, probe ſolenterq; inſpexerit. Ratio autem modusq; prædicendi hic eſt. Inſpice minutā cœli partem in qua Sol cum Luna coit. minutam partem dico, quod *μικτὸν* Græci dicunt. noſtri minutum hodie uocant. Vult autem nō modo gradum, uerum etiam minutum Lunarīs cum Sole coniuñtionis inſpici. tantam in mathematico exigit diligentiam. Inſpecta igitur minuta particula, quærenda eſt cœli pars aſcendens puncto illo tem-

poris, quo cum Sole Luna congregitur. qua parte inuenta perquirendus eſt dominator, id eſt planeta plures ac potiores prærogatiuas habens. De dominatore autē atq; hoſpitatore ſupra trigeſimo quarto enūtiato ſatis multa diximus. Conſyderādāq; tum ipſius, tum ſigni aſcendens, & ſigni in quo reperitur, qualitas, gradusq; ipſius natura. Videndæ etiam Lunæ conſigurationes cum ſtellis tam fixis quàm etiam erraticis. quouſq; Luna ipſa quartam cœli partem ab hora coniuñtionis dimēſa fuerit. id eſt dū Solē quadrato e loco quadrangulariter aſpicat. Tunc minuta etiam particula uidenda eſt quadrangularis ad Solem aſpectus, quærendus item gradus aſcendens ac dominator, et alia omnia quæ paulo ante dixi diligenter examināda, deinceps quærenda eſt minuta particula, et, ut hodie dicunt, minutū plenilunij, formandāq; cœli conſtitutio, ut dictum eſt. Hoc item faciendum, cum Luna ad minutā particulā alterius quadrangularis aſpectus peruenerit, ut Lunæ curſu in quadrantes quatuor, quas tum circuli quartus, tum quadraturæ hodie dicimus, diuiſo, de ſingulis circuli Lunarīs quadraturis ſuū ferri iudiciū diſtinctius queat. Quibus omnibus probe inſpectis, diligenterq; penſitatis, conſyderata etiā anni parte, et regionis natura, in qua mathematicus futuri menſis ſtatum prædicturus eſt, poterit de toto menſe, deq; ſingulis quadraturis certa pronuntiare. Sed in ſingulis quadraturis illud in primis obſeruabit, idem ne an alius dominator ſit, et ſi idem fuerit, in qua ſit quadratura potentior, ſim alius, utrius maiores ſint prærogatiuæ? comparandusq; totius menſis dominator cum particulari quadraturæ dominatore. conſigurationes quoq; ipſorū uidendæ, et an procedant an regrediantur, in austrū declinent, an in aquilonē conſurgant? Sed nec prætermittendi ſunt comete ſiqui præceſſere. multo minus planetarū coniuñtiones negligendæ. Turpe namq; eſt præſentibus ac futuris ita intentū eſſe, ut præteritorū obliuiſcere. Hæc ideo monemus, ne quis cum Ptolemæi præcepta facillora uideantur, incautior ad prædicendū fiat. Nunc uerba ipſa Ptolemæi planius aperiāmus. Poteris inquit ſi minutum in quo Luna cū Sole coit obſeruaueris, ab eoq; ſeriem menſtrui curſus ceperis, prædicere quæ aëris commotiones uniuerſo menſe futuræ ſint. Prædicendi uero modus erit, ut probe inſpicias dominatōre anguli, hoc eſt cardinis figuræ cuiusq; quibus uerbis admonemur quatuor figuras ſingularum quadraturarū Lunarīs curſus faciendas eſſe. conſyderandūq; dominatōre anguli cuiusq; quadraturæ, id eſt planetam potentiorē, quo tempore Luna minutā partem quartæ ipſius ingreditur. ſiquidem dominatoris naturā aëris uincit, hoc eſt in aliā qualitatem pro natura ſua nū-

tat, aut etiam auget. Si enim dominator anguli primæ quadraturæ plu-
 uias commouerit, & qui sequitur dominator aut idem ipse aut similis
 conditionis fuerit, aëris humida uis augebitur. contra arefcet si angu-
 li secundæ quadraturæ dominator contrariæ naturæ atq; conditionis
 fuerit. Idem in reliquis duabus circuli quadraturis obseruandum,
 ut dominatores ipsi diligenter inspiciantur, q; quidē aëris naturam uin-
 cunt ac moderantur quartarum ipsarum temporibus, accipientes etiā
 præsentis temporis qualitatem. Præsentis autem temporis qualitatem
 intellegit, aut quod dominator superata natura quadraturæ quæ stu-
 tim præcessit, nouam sumat qualitatem, aut quod consyderare est opor-
 teat qualitatem anni temporis. Verbi gratia. Si æstas fuerit, licet domi-
 nator pluuias excitaturus appareat, accipit tamen de natura temporis
 aliquid, hoc est demit ab humido particulam, ac temporis præsentis
 particulam suscipit. Sin dominator ipse calidæ naturæ, ac tempus æsti-
 uum fuerit, mutuabitur ab æstate uires ad calefaciendum longe poten-
 tiores. Illud etiam addendum est, ut regionis ratio habeatur, cum Ita-
 liæ cœlum pluuium sit, Aegypti uero siccum. Memnisse hac etiam in
 parte debemus superioris enuntiati, in quo de loci Lunaris coitus do-
 minatore tractat. ait enim dominatorē hospitatorē uel nouilunij in
 cardine repertum, indicem esse omnium quæ mense illo futura sint.
 Quo circa inspiciendis quadraturarum figuris primum studium esse
 debet, ut a dominatore hospitatorē uel, si is cardini præfuerit, genera-
 le mensis iudicium capiamus. Cæterum sententia illa locum habet iu-
 dicio meo solum cum figuræ cardinem dominator seu hospitator noui-
 lunij tenuerit, cum hæc generalis sit, atq; ubiq; sequenda.

PTOLEMAEVS

LXIII

C V M Saturnus Iupiterq; coniunguntur, uter eorū sublimior sit uide, ac
 iuxta illius naturā pronuntiato. Idem etiam in cæteris stellis facito.

PONTANVS

Enuntiato superiori docuit quoties futuri qualitas mensis quaeritur, Lu-
 narium quadraturarū angulos, ipsorumq; angulorum dominatores
 inspiciendos esse, atq; ab ipsa Lunaris cum Sole congressionis minuta
 particula inchoandum, Quoniam autem cæteri planetae omnes in-
 uicem coniunguntur, atq; ut dictum est, ex illorū coniunctionibus origi-
 nem & causam ducunt quæcunq; in mundo hoc fiunt, consequenter

docemur quid in planetarum congressionibus quaerere debeamus, ut
 cuius eorum maior uis atq; auctoritas sit, plane intellegimus. Si in-
 quit Iupiter Saturnusq; coniungantur, eius scias auctoritatem maio-
 rem, ac uires ad agendum pollentiores esse, qui superiore atq; emi-
 nentiore breuioris circuli sui parte feretur. Græci dicunt $\alpha\theta\upsilon\mu\alpha\pi\sigma\sigma\upsilon\upsilon$
 hoc est superare, seu malueris superiorem esse atq; extolli.
 hodie dicunt qui è nostris recentiores, id est linguae Latinae imperi-
 tiores sunt, eleuare. quod uerbum apud maiores nostros significabat
 deprimere atq; deicere, cuius contrarium est extollere. eleuare enim
 res aduersarij est eas uerbis imminuendo deprimendoq; contemptio-
 res reddere. Quæ uero ratione in coniunctionibus ipsis alterum pla-
 netam altero superiorem atq; eminentiorem cognoscamus, tabulae
 ipsæ motusq; per numeros plane digestus ostendit. Quo comperto
 cum is qui superior fertur sit potior, atque, ut ita dicam, principalior
 in coniunctione, ab eo significationum ratio lexq; capienda uidetur.
 Eminentia quidem ac superlatio sublimitasq; planetæ in coniunctio-
 ne est, cum in summo circuli breuioris qui Græco nomine $\epsilon\pi\iota\mu\upsilon\lambda\omicron\varsigma$
 uocatur, planeta ipse fertur, altero planeta partes demissiores tenente.
 eum locum quanquam usitato, peregrino tamen nomine augem nūc
 uocant. a nobis tum apex, tum circuli culmen, summumq; commodif-
 sine dici potest. Planeta igitur qui fuerit in apice, hoc est in sublimo-
 re sui epicycli parte, aut ei parti propinquior, præferendus est in con-
 iunctione planetæ, qui ab epicycli apice remotior est, magisq; a rotæ
 summo declinat. nam cum in apice, hoc est in epicycli culmine collo-
 catus est, uidetur illic quodammodo regnare, sedensq; in solio ius di-
 cere. alter uero ad illius pedes sedere, & perinde ac superiorē uene-
 rari. Quo circa iure primæ illi partes in significatione traduntur.
 Cum autem fieri possit ut pari sublimitate aut declinatione ferantur,
 quid tunc seruandum esset, non expressit, relinquens nobis consyde-
 randa permulta, quibus examinari uires utriusq; atq; inuicem pen-
 fitari debeant.

PTOLEMAEVS

LXIII

V B I sciscitationis dominatorem inspexeris, quam hic in anni conuer-
 sione seu in ascendente nouilunij potestatem habet inspicere, ac secundū
 hæc pronuntia.

Dixit de ægrotis, de qualitatibus anni, de coniunctionibus planetarum, id est quæ seruanda atq; inspicienda essent in prædicendis ijs quæ à coeli constitutione portenderentur in ægrotudinibus, in aëre, in euentis, quæ à coniunctionibus planetarum denuntiarētur. hoc in loco quid seruare debeat mathematicus, ubi de negotio aliquo suscipiendo, aut re perscrutanda consultus fuerit, docet. Si quis inquit aut te consulat de re quam facere in animum induxit, aut scire ex te querat, num res illa conductur a sibi sit, aut fortasse de bello suscipiendo, deq; humanis alijs tum negotijs tum rebus sciscitabitur, primum quæstionis, id est interrogationis ipsius dominatorem perquires. deinde illo inuenito cōsiderabis siquam potestatem habeat in conuersione anni, eius ipsi us qui te consulit. Quæ res admonet uti primum conuersionem anni hōis illius uideas, eaq; inspecta etiā pscrutere qualis, quantaq; dñatoris illius uis ac potestas sit in constitutiōe figuræ, annuæ illius cōuersionis. Quod si genitura cōsultoris, id est interrogantis ignorabitur, quæ ignorata conuersionis annuæ ratio haberi nō possit, statum coelestis cōstitutionis tēpore Lunarī cū sole coitus, quæ interrogatiōe ipsam prægressa est, perquires, uidebisq; siquam sciscitationis dominator in ascendente Lunarī coitus prærogatiuam habuit. Et iuxta regulam hanc pronuntiabis. Quæri hoc loco potest, cognita genitura, dimensaq; anni natalitij reuolutione, sit ne coeli quoq; status tempore Lunarī synodi, quæ sciscitationem ipsam antecessit, inquirendus. Mihi quidem nullo pacto perperam suasse uidebitur, quisquis utrumq; seruandum suaserit. Nam si Ptolemæus in ignorata sciscitantis hominis genitura, ad statum Lunarī coitus confugendum censet, atque ideo censet, quod in ipsa Lunarī coitus configuratione magna quædam certitudo posita est, in cassum ne ad annuæ conuersionis prognosticationem Lunarī etiam coitus prognosticatio addenda uidebitur? ex qua prognosticorum series euidentior fiat. Quo circa ut respondere mathematicus consultus possit, uires, posituram, qualitatem, conditionem, prærogatiuas, naturasq; dominatorum ipsorum siue plures, siue unus idem que sit, conueniant ne inuicem, an aduersentur? moereant, an exultent? quo etiam aspectu, et planetis à quibus aspiciantur, quomodo etiam feratur in coelo, sint ne cardinales an succedentes, declinantes uel, aut pigris ac deiectis in locis positæ quibus etiā hospitatoribus utantur, quæq; alia inspicienda sunt diligentissime cōsiderabit. Hisq; simul mixtis ac temperatis non temere ad ferendam

ferendam sententiā accedet. Vbi enim natalitiæ conuersionis, Lunarīq; coniunctionis dominatores inuicem dissenserint, ac rei quæsitæ dominatoribus aut palam aduersabuntur aut nullo amicitiae iure sociabuntur, nil causæ esse uideo cur ipse debeat iuxta interrogationis significatorem sententiā ferre. cum hæc ex illis ueluti principijs atq; affectionibus deducantur. Quid enim affirmare, aut certi iradere poterit, ubi quæstionis dominator neq; cum ipso dominatore Lunarī constitutionis, neque cum annuæ conuersionis dominatore commune aut consentiens quicquam habuerit? Neq; potestatem aliquam in conuersione anni aut in ascendente Lunarī coitus.

IN minima coniunctione, differentia mediæ coniunctionis, et in media maximæ coniunctionis differentia.

Perieriq; hoc enuntiatum referri uolunt ad Saturni et Iouis coniunctiones, de quibus tamen Ptolemæus ipse nihil ante locutus est. Me uero angit, quod in Græcis codicibus uideo Solis ac Lunæ coniunctiones inuicem siquidem coniunctio apud Ptolemæum ubiq; luminarium intelligitur nisi additum sit, quorum ea coniunctio fuerit, ut puta Martis ac Mercurij, Iouis et Saturni, aut aliorum planetarum. Præterea quam Solis et Lunæ coniunctionem uocet maximam, quam mediam, quam item minimam, mihi non facile est intellegere. Quo circa tum sensus tum uerba ipsa magnopere me addubitare faciunt propter obscuritatem. Decreui igitur rem ipsam in medio, imo in incerto relinquere. cum sit de ea etiam atq; etiam cogitandum. Ac nihilominus quid alij sentiant, atq; in primis hospes ac familiaris meus Paulus Præficius sacerdos Auerfanus, disciplinæ huius omniumq; bonarum artium maxime studiosus relinquere inexpressum nolui, idq; est huiusmodi. Quod triplex cum sit Saturni Iouisq; coniunctio, remotissima illa quæ singulis noningenis annis contingit, maxima dicatur, quæ autem post singulos uigenos annos ex quo coniuncti iam fuerint, minima. At quæ post singulos ferè duceños ac quadragenos circuitus quod inter minimam hæc, hac maximam remotissimamq; illam contingit, media, triplexq; hoc ipsum coniunctionis genus per gradus quasi quosdam, perinde ac per filios nepotesq; significationes profert suas, atq; ita sibi constat, ut

quarum rerum maxima coniunctio significatrix fuit, earundem cer-
 cius ac distinctius indicium faciat media, Ab illa enim generali &
 pene ob remotionem confusa significatione mediae coniunctionis bene-
 ficio atq; indicatione (quod ea quae proprius cernuntur distinctiora ap-
 pereant) ad certiore[m] apertiore[m]q; rerum illarum cognitionem,
 quae a maxima coniunctione innuebantur progressio fit. Rursus etiã,
 quarum rerum significatrix est media coniunctio, earundem quoq;
 rerum certiore[m] ac manifestiore[m] indicationem affert coniunctio mi-
 nima, siquidẽ ea quae quã[m] proxima sunt, singillatim distincte q; cer-
 nuntur, & tanquã digitis tractata particulatim numerantur, ut cum
 remotissimo è loco uidemus quippiam nos uersum progredi, quod lo-
 co moueatur, quodq; incedat, iudicamus animal illud esse. Vbi autem
 proficiscendo propius factum est, equum esse cognoscimus aut asinum
 aut bouem, post uero ubi quã[m] proxime ad nos accessit, etiam colorem
 illius totumq; eius statum cognitum ac certum habemus. Ita q; minima
 coniunctio res nobis a maxima coniunctione per nebulam quasi quã-
 dã præsignatas, atq; a media indicatas ante oculos ipsos uidetur expo-
 nere, expositasq; explicatim distincte q; notare quod in genituris quoq;
 usu uenit, ut quae generali quadam indicatione a natalitia configura-
 tione nati cuiuspiam portenduntur, ea post ab anni conuersione expres-
 sius decernantur, quae post etiam singulis mensibus a profectio[n]e signi-
 cuiusq; singillatim atq; (ut ita dixerim) minutatim declarantur.
 Quo circa si quae a media indicantur coniunctione uidebuntur ali-
 qua in parte differre inter se, aut ab illis fortasse quae a maxi-
 ma portenduntur coniunctione, inspicienda statim ac diligenter
 sunt ea quae significantur a minima. quoniam quae particulatim a
 minima significantur ambiguitatem tibi omnem generalis illius indi-
 cationis eripient. Rursus si confusa ea quae a maxima portenduntur
 coniunctione, ambiguũ te parte ex aliqua reddiderint, quod fortasse
 uideas significationes illas differre inter se, mediam coniunctionem in-
 spice, qua inspecta nihil tibi ambiguum relinquetur, uult enim Ptole-
 mæus mathematicum ea quae prædicat futura particulatim sic metiri,
 ut prima medijs, media ultimis undiq; consentiant.

PTOLEMAEVS

LXVI

SOLA profectio[n]e ne utare, sed etiam attributionibus & ademptio-
 nibus stellarum.

PONTANVS

Dicere nunc de datore uitae, deq; uitae spatio, nec ad enuntiati huius ex-
 plicationem necessarium est, & res ipsa maioris est operae quã[m] ut
 hac in parte suscipienda sit. Quae quidem de re tametsi Ptolemæus in
 apotelesmatum libris multa differuit, tamen & obscurior illis expli-
 candis fuit, & quaedam minutius, ut ita dixerim, atq; enucleatus
 aperienda erant. Quibus in libris ostenditur quae loca sint aspicienda
 ad uitae spatium percensendum. qui sit uitae dator, qui etiam adem-
 ptor. quomodo etiam quæredæ sint partes, ad quas ubi uitae ademptor
 peruenerit, mortem, mortis uel periculum afferat. quae quidem partes
 letales atq; interimentes a nobis recte dicuntur, Graece sunt ἀρπυγί-
 ναί. Mathematicus igitur de nati uita morte q; prædicturus uitae
 ipsius tum datore, tum interemptore inuenit, ante q; pronuntiet quot
 annos natus ille uicturus sit, quoniam singuli planetae annos suos de-
 cernunt, exacte uidebit, addatur ne uitali spatio an dematur aliquid
 annis a datore uitae promissis, ex bono malo uel aspectu, atq; ex collo-
 catione benefici malefici uel planetae. Quando autem obuertur a mors
 fit, iudicabit ex planetae mortem minuitantis profectio[n]e ad coeli par-
 tem illam, quam letalem interimentemq; appellauimus. Ex numero
 etiam partium hoc est graduũ annos computabit, secundum ascensio-
 nes signorũ ac tempora, quibus signum q; oritur in climate ubi na-
 tus is est, de cuius morte pronuntiaturus est. Tot enim futuri sunt an-
 ni, ut idẽ ait, quot fuerint partis cuiusq; horalia tẽpora, atq; ubi dies
 fuerit, tempora ipsa diurna erunt, ubi nox, nocturna. Futurusq; an-
 norũ ipsorum totus atq; integer numerus est, ubi planeta in oriente
 collocati inuenientur, de quibus tamen demendum erit, iuxta portio-
 nẽ remotionis eorũ, quousq; occidentem uersus in nihilum deuenierit.
 quandoquidẽ stella in occasu posita neq; addit, neq; demit. Quamobrẽ
 uolenti moriẽ alicuius ac mortis tempus prædicere, profectio planetae
 letalẽ ad locum obseruanda est. ea profectio, ut aliã dixi, Graece πεί-
 ρητος est, nunc, ut plurima in astralogia inepte, imo barbãre, absci-
 sio dicitur, et planeta ille abscisor, et, quod ut dixi tam inepte atq; i pro-
 prie nũc dicitur, abscondere, Graece est ἀπρόδοσις. nos et proficisci, un-
 de profectio ducta est, et pmeare et percensere commodissime dicimus,
 et πείρασι ipsam tũ profectio[n]ẽ, pmeationẽq; tum etiã recensionem,
 ipsum etiam planetã permeatorem recensore q; nõ improprie uocare
 possumus. siquidẽ proficiscendo recenset id est diuumerat coeli spatium
 omne quod interiectum est, dũ in partem illa præfinitam perueniat.

Iubetigitur Ptolemæus annis illis recensendis non modo attendendos esse annos à planeta promissos atq; ab interiectis gradibus, cœliq; intervallo significatos, uerum etiam felices infelicesq; beneuolarum, maleuolarumq; stellarum aspectus. Boni namq; bonarum stellarum aspectus etiam addunt. malarum malæ irradiationes auferunt, multumq; de promisso uitæ tempore subtrahunt. In primis etiam uidentum detrimenta ne hæc euentura sint ex corporum stellarum ipsarum coniunctione, quæ recte dici corporalis potest coniunctio, an quod quadranguli, aduersi uel radij impingantur? quanquam & hexagoni non nunquam radij obsunt, aliquando etiam trigoni, pro naturis signorum quæ multorum aut paucorum temporum sunt. Quæ autem stellæ annos adiciant, quæ uel adimant, Ptolemæus docuit, inueniens beneficas addere, maleficas auferre, mediæ naturæ Mercurium esse. Quare non modo inspicendum est post quot annos profectio illa locum partemq; letalem contingat, sed ne medio interim tempore perniciofa figuratio eueniat, quæ numerum illum impleri nullo modo patiatur. Rursus felix ne felicium stellarum irradiatio configuratioq; sit annis illis quippiam adiectura. Hoc præceptum ad morborum, cæterorumq; malorum tempora quæ à cœlo portenduntur si quis accommodet, fortasse improbandus non fuerit. Si enim perniciofa figuratio accesserit, malis illis fiet accessio, si felix beneficaq; malum id remittetur, eaq; remissio pro natura configurationis erit. Hoc igitur est quod ait, non sola profectio utendum, sed quid quisq; planeta uel addat uel minuat uidendum esse.

PTOLEMÆVS

LXVII

DIMINVNTVR anni ob accipientis imbecillitatem.

PONTANVS

Cum dixisset sola planetæ profectio letalem ad locum utendum non esse, sed considerandum an qui planeta uel addat quid uel demat, recte uerbum hoc subijcitur, quo docemur quid à nobis obseruandum sit, ut quædo planeta de promissis annis adepturus est, intellegimus. Quoties inquit imbecillus planeta fuerit, quiq; uitæ dator est, ob imbecillitatem suam propriū implere minus nequibit, siue longius uitæ spatium, siue breuius, seu fortasse mediocre polliceri uideatur, annosq; illos, id est tempus promissum non absoluet, sed tum annos, tum mens-

ses, diesq;

ses, diesq; pro qualitate imbecillitatis demet. Ipsa autem imbecillitas nanat in a malo planeta statu, cum regreditur, aut declinat à cardine, aut deiectus languet, aut domicilio aduersatur suo, aut ab illo decedit, tum ab perniciofa configuratione. Quocirca in recensendis uitæ annis, cum uitæ ipsius datorem ob unam aliquam aut plures ex ijs quas diximus causas languere atq; infeliciter sese habere mathematicus uiderit, ex tempore illo quod largiri suapte natura posset, auferet annos, menses, diesq; perinde ut imbecillitas ipsa maior aut minor fuerit. quot autem annos singuli planetæ conferant, quot uel pro natura imbecillitatis demant, hoc loco referre necesse non fuit. Si quidem Ptolemæus centum his præceptis magis instituit mathematicum quomodo recte prædicat quàm quid prædicat. De accessione uero annorum nullam fecit mentionem, ut arbitror, quod eorum quæ contraria sunt ratio similis sit. Implebit enim numerum suum firmitas atq; potestas & felix planetæ status, si infirmitas, infelixq; eius habitus demit. adicietq; annos nedum confirmet tempus à uitæ datore promissum felix beneficæ stellæ radiatio, contra infirmabit imminuetq; hostilis infeliciæ stellæ aspectus atq; coniunctio.

PTOLEMÆVS

LXVIII

MALEFICA cum matutina est, casum, uespertina uero morbum significat.

PONTANVS

Vitæ non solum exitus id est mors, mortisq; dies ac qualitas à mathematico quaeritur, uerum etiam illa quaeruntur quæ accidere corporibus solita sunt, siue ea uitia sunt, hoc est membri alicuius debilitas, mutilatio uel, siue morbi, aduersæq; ualitudines. quæ quidem mala quando ex infelicia genitura constitutione intellegi possunt, cum nati alicuius uitam inspicimus, uim statumq; maleficarum stellarum, signa item ac loca quibus minantur, & unde etiam minantur, probe considerare debemus, uti & partem illam corporis cui malum portenditur, & malum ipsum cuius futuri sit generis noscere possimus. Videbimus etiam ab aliquo ne pernicioso aspectu maleficæ uires ad nocendum adiuuentur, sit ne malum propterea euenturum. quod malefica stella signum ac locum ipsum corpore insideat, an quod hostilibus radijs feriat. quæ singula inspicere nos oportet. Malum autem ipsum maius aut minus erit, quo plura paucioraq; ad nocendum coniuauerint. etenim ubi benefica stella opem attulerit, si bene in cœlo

collocata fuerit, aut omnino prohibet malū atq; in melius refert, aut magna ex parte lenit. Sed utrum futurū sit damnum rei familiaris, iam futura calamitas, direptio ue, an febres, an quod aliud morbi genus, ex maleficæ obseruatione stellæ intellegi posse Ptolemæus docet, inquit ens matutinā portendere uitia, pericula, calamitates, rixas, uespertinā morbos, aduersamq; ualitudinem. Vt uti uero perpetuum aliquot corporis malum, ut oculorum orbitatem, ut claudicationem, ut manuum mutilationem, ut alia huiusmodi. Cum dico morbum, intellegi uolo febres, lienteriam, ophthalmiam, iecanoris, capitisq; mala, item alia generis eiusdem. Inquit igitur, malefici quæ malum minatur ubi matutina fuerit, decernit uulnera, impedimenta, contentiones, aut rerum iacturam familiarium. Vbi uero uespertina, Langorem, aduersam ualitudinem. Qualis autem futura sit ualitudo, dānumq; illud ferro ne an igne aut ruina infligendū sit, atq; ab homine ne an a quadrupede, seu uenenosis a belluis inferendum, accipiendumq; in corpore an in bonis externis, an in fratribus, amicis, cognatis, parentibus, malefica ipsius qualitas ac signi lociq; natura diligēter cognita indicabit. Cur autem maleficæ stellæ ubi uespertinæ fuerint morbum potius quam uulnera, membrorumq; infelicem habitum decernant, illa uidetur eē causa, quod uespertinæ non tantum uirium ad nocendum habeant, matutinæ autem, quod uiribus utantur maioribus, deteriora mala inferunt, maximisq; ac perpetuis incommodis afficiunt. Matutinas dico stellas quas Græci ἀστὴρ ἑωσπρινός, uespertinas quas ἑσπερίους uocant.

PTOLEMÆVS

LXIX

ERIT in uisu nati uitium, cum Luna Soli aduersa est, ac nebulosis stellis coniungatur. Item cum Luna est in occiduo cardine, ambæq; maleficæ stellæ in cardine orienti, Sol quoq; cardinalis est, natus ipse oculis capietur.

PONTANVS

Quod præcessit enuntiatū generalem quandam uitiorū ualitudinumq; nati regulam demonstrat. quæ sequuntur enuntiatā singularia uitia, malaq; exponunt. Et hoc quidem ad oculos solum pertinet. Itaq; cū luminaria corporis nostri oculis præsent, atq; ei sensui qui uisus dicitur, in cuius genitura luminaria ipsa hoc est Sol & Luna sibi aduersabuntur, atq; ut Græco uerbo utar, diametrabuntur, malus oculorū

eius habitus indicatur, præsertim si hoc quoq; accesserit, ut Luna stellis fixis quæ nebulosæ sunt, coniungatur. de quibus quidem nebulosis stellis supra satis dictum est. Arguuntur enim ex hac nebulosarum stellarum coniunctione luminariumq; aduerso aspectu oculorum ualitudines et uisus ipsius caligatio, perniciosiq; humores uisum ipsum hebetantes, quandoquidem aduersus luminarium aspectus, cum sit supra natura perniciosus, oculis ipsis perniciem minatur, & fixæ illæ nebulosæ cum sint, caliginem oculis tenebrasq; offundunt. Quod circa natus ille lippitudines, ophthalmias, suffusionesq; oculorum patietur aut alia oculorum mala pro natura configurationis. Quod si Luna in cardine occidentis cœli, Saturnus Marsq; in cardine cœli orientis inuenientur, Sole etiam in aliquo cardine constituto, natus ille oculis capietur. Cum enim luminaria ipsa in hac constitutione sint cardinalia, & ambæ maleficæ cardinales, ac sibi partim opponantur, partim quadrangulentur, aut etiam coniungantur propter maximas simul omnium ad nocendum uires, necesse est oculorum sequatur orbitas. Neq; enim seruari incolumes oculi poterunt, tot simul oppugnantibus, id est causis ipsis quæ primitiue sunt tantopere aduersantibus. Cæcitas autem ipsa quibus e rebus inferenda sit, an ab ignis affiatu, an ex uitiis capitis humoribus, an ex ferro, planetæ ipsi pro natura tum suam, tum etiam signi, atq; ut quis potentior erit, indicabunt.

PTOLEMÆVS

LXX

IN furentibus Luna Mercurio non copulatur, neuterq; ascendenti in demoniacis in hac figura Saturnus quidem noctu, Mars autē interdiu cardinem tenebit, maximèq; in Cancro, Virgine, ac Piscibus.

PONTANVS

Furentis hac in parte intellegi uolumus, quos in primo enuntiato numine affiatos uocauimus, hi sunt qui furore concitati uaticinantur. In genitura inquit eius qui numine affiatus est, quem Græci dicunt ἐκθεοῦ ἰσχυρὰ, unde Sibylla Enthea dicta est, inuenies Lunam nulla prorsus cum Mercurio copulatione coniungi, nullo simul cognationis genere colligari. Simili etiam modo in genituris laruatorum proceritorumq; quos hodie Græco nomine demoniacos dicimus, inuenies Mercurium Lunamq; nullam cum horoscopo copulationem habere, nullo ei uinculo iungi, nulla deniq; ratione horoscopum complecti. Quin etiam in genitura ipsa. siue furentis siue demoniaci, si no-

Eterna fuerit Saturnum, si diurna Martem cardinalem inuenies,
 eritq; uterq; longe potentior ad furorem lymphationemq; excitandā,
 si tunc in Cancro aut Virgine aut Piscibus collocatus fuerit. Si enim,
 uti dictum est, rationi Mercurius præest, Luna corpori, quis consilio
 aut rationi eē in eo homine locus potest, in cuius genitura Luna Mer-
 curiusq; nullo simul vinculo colligantur, nec horoscopus qui corpo-
 ream nati illius fabricam significat ullo pacto complectuntur? imo
 quod perniciosius est, Saturnus noctu, quod tempus propriæ Saturni
 conditioni aduersum est, Mars interdiu, cuius stella nocte gaudet, cœli
 cardinem tenens, in corpore nati eius perniciosos & insaniam excita-
 tuos humores ingenerat, cum uterq; planeta alter atræ bili, alter ru-
 bræ præsit, & utraq; bilis id est cholericus melancholicusq; humor
 ubi uehementior fuerit, in insaniam uergat. Cur uero in Cancro, Vir-
 gine, ac piscibus magis quam in alijs signis? an quia Mars Saturnusq;
 pessime se habent in Cancro? in quo positus Mars altitudini suæ, Sa-
 turnus propriæ domui aduersetur in Virgine, quod illic constitutus Sa-
 turnus cadat ex Libra in qua exultat. in Piscibus uero Mars positus
 ex Ariete id est ex domicilio suo decidat. An fortasse quod cum Lu-
 na Mercuriusq; nulla inter se nec cum horoscopo colligatione iungan-
 tur, hoc etiam Saturnus noctu, Mars interdiu, quando nocentiores
 sunt, ad malū utriusq; habitum adiungant, ut Cancrum Lunæ, Vir-
 ginem Mercurij domum insidens magis ac magis infestet? cumq; in
 tam perniciosa configuratione necesse sit Iouem Veneremq; ma-
 le affici, ad malum etiam Iouis Venerisq; habitum hoc quoq; addat,
 ut Pisces corpore suo inficiant, Iouis domum, Veneris altitudinem,
 Cancrum item Iouis? An quod in Cancro ac Piscibus humores plu-
 rimos excitent? cum Lymphati maxime humidum cerebrū habeāt,
 inde enim Lymphati dicti mihi uidentur, in Virgine uero bilē illā ma-
 xime exustā, cuius alumna uidetur insania. An potius dicendū erit,
 ab insita naturaliq; quadā potestate hoc fieri? idq; ita se habere obser-
 uatio ipsa doceret. Qui locus uti fieret aliquanto illustrior ac distin-
 ctior, placuit Ptolemæi ipsius uerba ex tertio apotelesmatum libro af-
 ferre, quæ sunt hæc. Epileptici namq; plerumq; sunt qui Luna Mercuri-
 usq; nec aut inuicē colligatis, aut cū orientali finitore, Saturni quidē
 stellā interdiu, Martis uero noctu cardinālē habent, quæ superiore
 è loco figurā despiciat. Cū uero contrariū in his accidit, ut Saturnus
 noctu, Mars interdiu figuræ dominator sit, ac maxime in Cancro, Vir-
 gine, aut Piscibus insani sunt. Vexatos a demonibus qui humido ca-
 pite sunt, maleficæ faciunt, cū ita se habentes Lunā Soli configuratam

obtinebunt, Saturnus quidem in nouilunio, Mars in plenilunio, præ-
 sertim in Sagittario ac Piscibus. Sole itaq; maleficæ stellæ, quo dictū
 est modo, figuræ suscipientes dominatum & incurabiles & latentes
 & quæ ostentui sint quas diximus passiones & animæ morbos in ea
 parte quæ intellegit, faciunt. Quibus si beneficarum stellarū Iouis
 ac Veneris societas accesserit, atq; ipsæ quidem maleficæ occidui car-
 dinē tenuerint, beneficæ uero orientālē, quæ ostētui sint, passiones fa-
 ciunt, curabiles in medicorū remedijs hoc est subductione & potione,
 & hoc pp Iouē, sortibus uero ac deorū ope pp Venerē. At cum ma-
 leficæ in orientālibus cardinales fuerint, beneficæ in occiduis, morbos
 faciunt incurabiles pariter ac diuulgatissimos, maximeq; nobilitatos.
 Morbū aut comitālē cōsequuntur cōpressiones, clamores, pericula et
 letalia. Insaniam, mentisq; externationem motus incōpositi, rerū fa-
 miliarium dissipationes, corporū denudationes, execrationes & alia
 huiusmodi. Lymphationem & humidi exagitationem consequuntur
 furie, numinū afflatus, uerberationes, quæq; huiusmodi ostētui sunt.
 Priuatim autem et cōtinentium locorum figura confert. loca enim So-
 lis ac Martis ad insaniam maxime conferunt, Iouis, Mercurijq; ad
 morbum comitālem, Veneris ad dæmonum uexationes, Saturni Lu-
 næq; ad humidi exagitationes ac lymphationes. Videamus quid de
 his quoq; Iulius Maternus dicat. Saturnus et Mars solidis in signis po-
 siti si diametra se radiatione respiciant, aut unus in horoscopo sit, alter
 in occasu, aut unus in imo alter in medio, epilepticos faciunt, si uero
 in tropicis signis cōstituti hac se radiatione respexerit, caducos efficiunt,
 et qui nulla possint ratione sanari. Item si Mercurius in Virgine aut
 in Piscibus constitutus in horoscopo sit partiliter positus, & eum Sa-
 turnus & Mars quadrata radiatione respiciant, insanos efficiunt. Si
 Mars & Saturnus ita sint collocati, ut unus ipsorū in medio cœlo sit,
 alter in imo, ex prauis humoribus uitiosam ægritudinem faciunt, sed
 si hos Mercurius quadrata radiatione respexerit, deorum illis præ-
 sidio sanitas comparatur. Si uero his in locis positi partili sint radia-
 tione cōiuncti, ut æquas partes possideant, insanos efficiunt, & quæ
 nunq; possint ab his criminibus insanie liberari. Si uero in finibus suis
 sint positi, aut in Saturni finibus sit Mars, & in Martis finibus Satur-
 nus, & sint in quibus diximus locis in initijs insanie constituti liberā-
 tur, posteaq; Martis quintus decimus annus aut Saturni irigesimus cō-
 pleti fuerint. Sed et cū Iupiter et Mars simili se radiatione respexe-
 rint, epilepticos faciunt. Si uero sic, sicut diximus, positi in suis parti-
 bus fuerint collocati, aut Iupiter in finibus Martis & Mars in finibus

17 Iouis in initijs eius ualitudinis constituti liberantur. sed quando pri-
 18 ma stellæ tēpora transierint, id est aut Martis quintus decimus annus
 19 aut Iouis duodecimus, Si Iupiter in horoscopo fuerit inuētus et, Mars
 20 in diametro eius collocatus Solem & Lunam qualibet radiatione re-
 21 spiciat, aut in sanos efficiet aut lunaticos. Sed & si Luna aut synodica
 22 aut plena in cardinibus posita Martem quadrata radiatione respexe-
 23 rit, & Saturnus ei per quadratum aut per diametrum iungatur, eadē
 24 uita decernitur. Si in signo Saturni uel in signo Martis horoscopus
 25 fuerit inuentus aut certe locus fortunæ, Sol uero in horoscopo sit parti-
 26 liter constitutus & cum eo Mercurius equis partium societatibus iun-
 27 ctus, Saturnus uero & Mars in septimo sint ab horoscopo positi, epi-
 28 lepticos faciunt, sed biothanatos. Si Mars aut Saturnus in undecimo
 29 ab horoscopo loco fuerit inuentus, aut si unus eorum in ipso sit loco po-
 30 situs, alter uero cum Luna sit collocatus, aut eam quadrata radiatione
 31 respiciat, & Saturnus aut Mars Mercurio qualibet radiatione iunga-
 32 tur, facit in sanos, epilepticos, biothanatos. Sed hoc peius erit si Mars in
 33 undecimo ab horoscopo loco fuerit inuentus, & Saturnus in sexto.

PTOLEMAEVS.

LXXI

I N marium genituris cum utrumq; luminare in signis fuerit mascu-
 linis, actiones eorum secundum naturam erunt. In genituris uero mu-
 lierum, actiones ipse intenduntur. Idem de Marte Venereq; matutini
 nanq; masculi sunt, uespertini foeminefiunt.

PONTANVS.

L uminaria id est Sol ac Luna cum alterum corpori praesit, alterum
 spiritui quis dubitet cum in signis masculinis quo tempore quis in lu-
 cem uenit inueniuntur, id praestare atq; efficere, uti actiones eius ma-
 sculinae sint, hoc est quae marium naturam sequantur. cum & corpus
 et animam sic afficiant, ut is marem sese intellegens, quae maris sunt,
 praestare atq; exercere contendat. Quod si quae nascitur foemina fu-
 erit, cum eius animum supra muliebrem naturam efferat masculina
 haec luminarium uis, nimirum in agendo maribus quam foeminis si-
 milior futura est. Mars item Venusq; matutini in maris foeminæq; ge-
 nitura inuenti hoc idem praestant. contra uespertini et marem & fo-
 minam molliorem reddunt. Eadem luminaria in signis foemininis
 inuenta uiri animum muliebrem reddunt, qualem scilicet esse mulie-

ris decet. De Marte ac Venere dixit, quod Mars praesit iræ, Venus cu-
 piditati, sintq; morum datores de luminaribus quod Sol uitæ, Luna
 corpori praesit. utrumq; autem luminare simul animato corpori quod
 animal constituit. Non ab re erit quid hac de re idem author in tertio
 1 apotelesmatum libro tradat, referre. cuius uerba sunt haec. Cum sola
 2 luminaria in masculinis fuerint signis, mares secundum naturam,
 3 foeminae contra naturam in exercendo masculi animi opere uehemen-
 4 tiores erunt. Cum autem Martis ac Venere stella, siue ipsarum altera,
 5 siue utraq; masculina fuerit, mares ipsi naturalem in Venere pro-
 6 eliuios futuri sunt, adulteri, scortatores, turpis atq; illegitimæ Vene-
 7 ris rebus semper dediti. Mulieres praeter sexus sui naturam coibunt,
 8 eruntq; lasciuæ, procacibus oculis, tribades, quae puellas ad turpē co-
 9 itum sollicitent, clam quidem & in occulto ubi sola Venere stella, pa-
 10 lam uero cum solus Mars in signo masculino fuerit, ut etiam non nunq;
 11 perinde ac legitimis cum uxoribus rem agere sese ostendant, Rursum
 12 cum luminaria ipsa sola in foemininis constituentur signis, foeminae mo-
 13 litie ac muliebritate animi quaquam secundum naturæ leges, mares
 14 aduersus naturam ipsam mirum in modum excedent. Venere stella cum
 15 foeminina fuerit, mulieres erunt in libidine pronæ, adulteræ, quæq;
 16 naturaliter subigi gestant & semper & a quibuscunque, ut quæ a
 17 nullo quanquam turpi atq; illegitimo coitu abstineant. Mares ipsi mol-
 18 les, naturalemq; ad Venere incensi, passuri etiam quæ foeminarum
 19 sunt, clam tamen & caute. Idem cum stella Martis foeminina fuerit,
 20 utroq; libidinis genere absq; rubore ullo, foede, confidenterq; laborabunt,
 21 exercentes quæ fornicis sunt, ac promiscuæ maximeq; opprobriose et
 22 infamis Venere speciem, eo usq; inquinati, ut inde infames habeantur,
 23 tur, ac maledictis notentur. Quin etiam orientales matutinæq; Vene-
 24 ris ac Martis figuraciones ad agendum quod marium est uehementius
 25 apertiusq; impellunt, occidua ac uespertinae, magis magisq; molliunt
 26 & ad patiendum inuitant. Simili etiam ratione Saturni stella con-
 27 stituta, ut libidinosius, impurius, opprobriosiusq; exerceat utroq; (ut
 28 dictum est) modo adiuuat. At Iouis stella ut pudētius, modestius atq;
 29 cautius agat, Mercurius uero ut publice magis, atq; cum affectum
 30 horum maiore excitatione atq; attentione, pluribusq; etiam modis,
 Quoniam autem de corporis animiq; tum uitij tum morbis aliquot
 superioribus enuntiatis praecipua tradidit, estq; inferius de uolentis
 mortibus traditurus, recte quod sequitur enuntiatum interposuit,
 quod quidem ad educationem nati atq; ad ea quæ ad uitam faci-
 unt cognoscendam pertineret.

Quae sunt educationis, a dominis triangularitatis ascendentis capito. Quae uita, a dominis triangularitatis luminaris conditionarij.

PONTANVS

In libris apotelesmatum abunde multa dicuntur a Ptolemaeo quae obseruanda sunt uolenti nati uitae aegritudinesq; cognoscere aliaq; item permulta, quae inter uiuendum obuenire solent mala. Iisdem etiam libris praecpta continentur, quibus obseruandis cognoscatur an qui natus est, educationis tempus impleturus sit. Educationem nutritionemq; intellegi uolumus eam quae Graece est ἀνατροφή. hoc uero loco tantum institumur unde, et planetis a quibus capere significationem debeamus tam eorum quae ad nutritionem, quam quae ad uniuersam uitam a stellis decretam pertinent. Si uis inquit probe ac distincte scire, quae ad nati educationem pertinent, hoc est an illi sit a caelo concessum ut crescat, quaeq; si creuerit in illo enutriendo a primulis statim annis euentura sint, inquirendi tibi sunt domini triangularitatis signi quod ascendit in genitura, uidendumq; quomodo sint in caelo collocati, et quibus a stellis irradiantur. bene enim collocati, feliciterq; irradiati educationem et quidem bonam pollicentur, secus uero aut educationem difficilem aut ante annum, postq; paucos menses uitae exitum decernunt. Quam rem collocatio ipsa, naturaeq; dominorum ipsorum, illosq; aspicientium planetarum, aut una coniuictorum significabit. Cum autem domini triangularitatis cuiusq; duo sint, accedatq; tertius quidam dominatus ipsius particeps, diligenter tu nocturnus tum diurnus dominus, ac tertius ille particeps inspiciendus est, et ubi diurna genitura fuerit diurnus, ubi nocturna nocturnus dominus primo loco considerabitur. quibus consideratis iuxta ipsorum collocationem configurationemq; pronuntiabis. Quod si nato illi stellae ipsae integrae salubremq; educationem, primaq; infantiae tempora promiserint, uti exacte pronuntiare possis quae ad reliquam illius uitam pertinent, dominos triangularitatis luminaris conditionarij diligentissime uti contempleris oportet. Luminare conditionarium dicimus illud quod temporis conditionem sequitur. siquidem cum genitura nocturna est, quoniam Luna nocturnum luminare est, domini triangularitatis signi per quod Luna fertur, aspiciendi sunt. cum diurna, quod Sol diurnum est luminare, domini triangularitatis eius, cuius est signum

quod tunc Sol peragrat, uidendi sunt, et iuxta illorum naturas, collocationem, configurationemq; pronuntiandum. Quam Graeci astrologi ἀπείρον uocant, nos Iulium Maternum secuti conditionem dicimus, atq; ut illi ἀπειρὸν πλανήτων ab haeresi, sic nos a conditione conditionarium uocamus, quod sit eiusdem conditionis seu diurnae seu nocturnae. Quo circa si diurna genitura fuerit, et Sol in Tauro sit inuentus, domini Taurinae triplicitatis inspiciantur, et primo, ut dictum est, loco diurnus propter eandem conditionem. Quam nunc triangularitatem alibi etiam triangulum dicimus, Graeci τρίγωνον dicunt. recentiores quidam e nostris triplicitatem propter trium signorum connexionem, quem nos dominum triangularitatis, Graeci uero uerbo τρίγωνον πάτωρα dixere, nec nos fortasse inconcinne triangulatorem diceremus. Iubemur autem quae sunt educationis a triangulatore ascendentis quaerere, quod cum ascendens principium uitae nostrae sit, iure principium educationis ad triangularitatis eius dominos spectet. Quae uero ad totam uitam si longior conferatur pertinent, a triangulatoribus signorum per quae Sol ac Luna feruntur quaerere docemur. cum uterq; planeta uitae hominum praecipue domnetur. Siquidem Solem uitalis potentiae, Lunam naturalis fontem esse constat.

PTOLEMAEVS

LXXIII

SOL VBI repertus fuerit cum capite Gorgonis, si neq; aspiciatur a benefica stella, neq; benefica octauo loco praest, dominusq; conditionarij luminaris Marti opponitur, aut eum e quadrangulo percutit, ei qui natus est, caput truncabitur. Quod si luminare culminabit, corpus eius sauciabitur. Sim copulatio a Geminis aut a Piscibus fuerit, manus ac pedes eius amputabuntur.

PONTANVS

sequuntur de mortibus uiolentis obseruationes quaedam, et primo quidem loco de Gorgonis capite. Hoc caeli signum quod fabulose caput Gorgonis uocatum est a Graecis, a Babylonijs Algol, infelix et periculosum est, uideturq; fabula illa qua fertur, Medusae caput gladio abscisum a Perseo, non ab re signo hinc fuisse accommodata, quod qui nascens Solem una cum eo sydere habuerit, securi percutiendus sit nisi beneficae stellae obstiterint, quae aut octauum locum qui mortis est corpore suo tueantur, aut mali gnami Solis ac Gorgonei capitis copulatio-

nem felici aspectu leniant. Hac tam infelix mors tunc futura decernitur, cum ad solis cum capite Gorgoneo copulationem illud etiam accesserit, ut dominus signi in quo luminare conditionariū inuentum est, Martem hostiliter aspiciat, neutra beneficia Solem aspiciēte, aut mortis locum tuente. Copulationem dicimus eam quæ Græcæ est *συζωή*, recusamus autem dicere coniunctionem, ne quis solam coniunctionem intellexeret, quæ corporalis est, nomine enim copulationis intellegi uolumus aspectus quoscunq; Nec me fallit codices non nullos eosq; præsertim qui è Caldæorum lingua traducti sunt, non de Sole sed de Marte dicere, hoc est ut Mars cum Gorgonis capite reperiat. Quod cur probem, efficit primum quod Mars & Saturnus sunt uolentiarum mortuū authores, deinde quod Ptolemæus ipse in quarta apotelesmatum inquit, si stella Mercurij Marti configurabitur a piratis aut latronibus grassatoribus uel dilacerari facit in signis etiam mutilatorum membrorum atq; imperfectis, siue iuxta Persei stellas quæ sunt capitis Gorgonei, aut caput eius abscindet, aut membra mutilabit. In hac etiam genitali configuratione si luminare culminauerit, id est medijs cœli culmen tenuerit, nati eius corpus sauciabitur, multisq; uulneribus afficietur. Cum luminare tantum dicat, nec Solem aut Lunam exprimat, dubitari potest de utro sentiat, cum ante conditionarium luminare dixerit, utrumq; complectens, & genitura ipsa tum diurna tum nocturna esse possit. Sol & Luna cum medium in natiuitate cœlum possident, iuxta Ptolemæi sententiam efficiuntur Græco nomine ἀπυρῆς, Babylonico illeges, nostro id est Latino nominè radiatorum emissores, seu iaculatores, aut etiam proiectores. Quo circa cum medium cœli utrumuis ipsorum luminarium occupauerit, siue Sol fuerit, siue Luna, efficitur illegis hoc est emissor. Quodq; ascendens è summitate mundi loco quadrangulariter ferit, uidetur nati corpus cuius fabrica atq; compactio, uita etiam ipsa ab ascendente præcipue significatur, miserabiliter afficere. Sed esto ut Sol hoc efficiat, an Luna etiam hoc idem præstabit? cum uideri possit ex uitiosis potius humoribus aut ex suffocatioe mortem allatura. mihi quidē uidetur tam de Luna quàm de Sole intellegi debere. siquidem hoc idem Lunam quoq; præstare, in eodem apotelesmatum libro cum de mortis qualitate loqueretur, Ptolemæus docet, cuius uerba sunt hæc. Violentæ atq; insignes mortes decernuntur, cum ambo malefica planetae in locis letalibus hoc est interimentibus dominantur, aut coniuncti aut in quadrangularibus oppositis uel locis collocati, aut cum alter ipsorum, aut uterq; Sole Lunam uel, aut utrumq; luminare affliget. Et mortis quædam iniquitas

ab utriusque conuentione statuatur, magnitudo autem à luminarium testificatione. qualitas uero ab aliorum planetarum aspectu, & a signis maleficis in se planetas habentibus. & paulo post. Mars autem cum Soli Lunæ uel præter conditionem, aut è diametro aut è quadrangulo aduersabitur, in humanis quidem signis constitutus, in ciuilibus seditionibus aut in prælijs facit interficere. Vides mortis uolentiam maleficis a stellis afferri, magnitudinem uero à Solis Lunæq; aspectu. Sextum quoq; ac septuagesimum enuntiatum in quo de mortibus Saturninis fit mentio, cum utrumq; luminare complectatur, hoc ipsum confirmare uidetur. Quia uero signa etiam ipsa qualitate mortis decernant, ut paulo ante dictum est, recte subditur, hominis eius pedes manusq; præcidendas, in cuius genitura ad ea quæ scripta sunt illud accesserit, ut Martis copulatio id est oppositus aut quadrangularis eius aspectus ad quadrangulatore id est dominum signi conditionarij luminaris à Geminis aut Piscibus proficiat. cum Geminarum signum manibus, Piscium humani corporis pedibus præsit. Atq; ut ad Martem Solemq; cum capite Gorgonis inuentum redeamus, siue de Sole intellegendum sit, ut Græci codices, illi quidem quos ipsi uidimus habent, siue de Marte quemadmodum. Ptolemæus ipse alibi tradit, & supra ostendimus, certe sic sentiendum est, eam mortis uolentiam & ut ita dixerim, carnificianam à Marte inferri non à Sole, quando, ut dictum est, Mars Saturnusq; uolentiarum ac truculentarum mortuū authores perhibentur. Quod autem aliàs monuimus nunc quoq; monemus omnia diligentissima pensanda esse, cum fieri possit ut beneficia aspiciat, ac nihilominus imbecilla sit ac male collocata, contra ut Mars ipse sit in sinibus beneficæ stellæ positus, ac beneficia ipsa potens sit, feliciterq; constituta. quæ res de Martis iniquitate plurimum detrahet. beneficia enim integras uires retinens beneficiendi naturam retinet, ac sua iura, suosq; fines strenue tuetur.

PTOLEMÆVS

LXXIII

RVICVNQVE Martem ascendentem habet, omnino cicatricem in facie habebit.

PONTANVS

Martis stella cum malefica sit, ac uulnerum illatrix, ascendens uero cum sit prima natalitiæ figuræ pars, atq; iacit primam hominis partem id est faciem significet, eiq; præsit, pro natura sua, proq; ascendens significat

tionem, si partiliter in horoscopo inuenta fuerit, hoc est in primis exorien-
tis signi partibus, faciem hominis eius cuius ea genitur a fuerit, vulnere
foedabit, & cicatricosam reddet. Non me praeterit in Graecis quibusdam
codicibus scriptum etiam hoc esse, praeterquam si Mars signi dominus
fuerit. quod siue additum fuerit, siue ita Ptolemaeus scriptum relique-
rit, ratione non caret. siquidem Mars domum suam tueri dicitur, quam
cum tueatur, non foedabit os eius in cuius genitura in Ariete horo-
scopabit. Quod quidem ab ijs quae in sequenti enuntiato dicuntur,
plane confirmari uideatur.

PTOLEMAEVS

LXXV

CVM Sol ascendens domino coniungitur in Leone, nec Mars ali-
quam in ascendente praerogatiuam habet, nec benefica in octauo lo-
co est, qui natus est exuretur.

PONTANVS

Quibusdam in codicibus non Sol sed Mars legitur, quod magis probo
propter praepositas rationes, neque ratioe hoc caret. uidetur enim Martis
rabies Leonis feruore magis magisque accensa non ad ferrum ac uul-
nera, sed ad ignem incendiique se conuertere. Cum Leo maxime ignem
signum sit, ac Mars in eo collocatus mirum in modum incendatur, atque
ob ardorem acerrime sauiat. Sed ad Solem redeamus. hic in Leone,
in domo sua, atque in flagrantissimo caeli signo positus si ascendens si-
gni dominum secum coniunctum habuerit, eum sic radijs suis com-
buret, ut nati corpus urendum portendat. Nam cum ascendens signi domi-
nus uratur, nati quoque corpus urendum significat, nisi in octauo loco be-
nificata, ut dictum est, fuerit collocata. Mars etiam ipse si dominus ascen-
denti fuerit, aut in ipso ascendente praerogatiuam habuerit, cum iura
rationesque suas tueatur, ne comburatur prohibebit. sed utrum casu aliquo,
an praetoris sententia natus ille comburendus sit, aliorum etiam planeta-
rum aspectus indicabit. Haec enim omnia exactissime consideranda sunt.

PTOLEMAEVS

LXXVI

CVM Saturnus caeli medium tenet, opponiturque ei conditionarium
luminare, ac terrenum signum est in imo, qui natus est aedificiorum
ruina interibit. Quod si humidum signum est, aquis suffocabitur.
Si uero

si uero humanum, ab hominibus strangulabitur, aut laqueo flagellis
ue peribit. Verum si benefica octauo in loco est, propior his erit, non
tamen morietur.

PONTANVS

Hoc siue praecipuum siue observatio ad uolentiam quoque mortem perti-
net, atque ad eos qui βιοθάνατοι, ut Graeci dicunt, moriuntur. Vt autem
mors ex ferro ad Martem refertur, sic mors ex ruinis, naufragijsque ad
Saturnum referenda est, pro signi tamen qualitate. Post Martialis igitur
mors, cum uolentiarum mortium Mars Saturnusque auctores
sint, consequenter Saturninae subiunguntur. Qui inquit nascitur Saturno
caeli medium tenente, Luminari conditionario e diametro illum per-
cutiente, aedificiorum ruinis obrutus interibit. si in imo id est in car-
dine caeli subterraneo signum aridae qualitatis, & ut hodie dicunt,
terrenum constitutum fuerit. Quod si aqueum hoc est humidae natu-
rae fuerit, aquis submersus extinguetur. At ubi signum id humanum
fuerit, hominum manibus occidetur, aut enim manibus laqueo ue strā-
gulabitur, aut flagris ac uerberibus ad necem caesus interibit. Quod
si benefica stella in octauo loco bene collocata fuerit, natus hic licet
uerberibus caesus, licet ruinis obrutus, ac fluctibus iactatus, licet collo-
laqueum acceperit, non tamen morietur, beneficae stellae praesidio tu-
tus, atque ab ijs periculis liberatus, quae stella primo mortis locum praesentia
sua tueatur, deinde in uicium coelum triangularibus, medium se-
xangularibus, hoc est amicis radijs aspiciat, quibus e rebus fit, ut si pe-
riculum prohiberi nequit, mors tamen ipsa prohibeatur. Illud praeter-
eundum non est, luminare diurnum, id est Solem non posse iuxta
conditionem suam diurno tempore in diurna genitura opponi, Satur-
no in caeli medio collocato, nisi caeli medium etiam pro imo caelo po-
natur, ut sit caeli medium tum superius tum inferius, Quae ratione atque
uia Sol in diurna genitura in superioris caeli medio collocatus ex op-
posito loco Saturno aduersabitur, in medio inferiori, atque in aduersa cae-
li parte constituto. aliter enim luminare conditionarium id est Sol in
diurna genitura, Saturno caeli medium tenenti opponi non potest. ac
tamen si, μαρτυρία plerumque pro superioris caeli medio Graece accipi-
tur, tamen etiam pro imo id est inferioris caeli medio aliquando capi-
tur. μαρτυρία (ut uerbum uerbo reddamus) est caeli medium Latine,
siue caeli culmen. Et Graeci quidem a uoce hac uerbum etiam formant
μαρτυρίαν quod significat caeli medium tenet. Nos uero, cum structurae

uerborum huiusmodi parum apte in lingua cadant Latina, a uoce simplici hoc est a culmine deduximus culminare sicuti a fulmine ductum est fulminare, & a nomine nominare, ut sit culminare culmen tenere, id est in caeli medio constitutum esse. Num autem beneficia stella prohibere quod dictum est possit, uidentum est etiam atque etiam. multa enim sunt quae stellam ipsam imbecillam & minus potentem reddere soleant.

PTOLEMAEVS

LXXVII

ASCENDENTIS profectio pro ijs quae corporis sunt facito, partem fortunae pro ijs quae sunt externa, Lunae pro corporis animaeque conuersione, medium caeli pro actionibus.

PONTANVS

In praedicendis ijs quae inter uiuendum homini euentura sunt, primum consideranda est ualitudo, sanitas, & quae tum mala, tum bona corpori accidunt. deinde ea quae ad rem familiarem atque ad diuitias pertinent, hoc est bona malaque externa, quae fortunae dicuntur. post ea quae ad corpus animamque simul pertinent, hoc est quales affectiones habiturus homo sit, cum contingat nunc dolore, nunc uoluptate, nunc tristitia, nunc gaudio, & aliter, atque aliter pro tempore ipsum affici. hos affectus ac passiones Aristoteles non animae, sed hominis potius qui ex anima constat & corpore, iure putat esse. cui sententiae Ptolemaeus accedens ait, haec ad corporis animaeque conuersionem spectare, id est ad tertium quod ex ea conuersione constituitur. Deinceps consideranda sunt hominis ipsius actiones, & ea quae exercitaturus atque administraturus est in uita. Quae omnia ut distincte atque expresse intellegi possint, haec a Ptolemaeo seruanda traduntur. Ac primum quidem ut bona malaue corpori obuentura facilius cernantur, ascendens gradus profectio facienda iubet, per quam inspecta prius genitura, ad cognitionem eorum quae corpori accidunt, & quo etiam tempore accidunt, peruenietur. Progressio enim gradus eiusdem ad loca perniciosa & aduersa, occursusque atque obuiationes maleficorum ac nocentium planetarum indicant morbos, aegritudines, quaeque alia mala corpori accidunt. Nec te illud moueat, quod planetarum apheticorum, id est ilegaliu, proiectiuumque profectioes grauissimos morbos, mortem denique obnuntiare habeant. Leniora enim mala, morbi que remis-

siores, quaeque aliae passiones corpori clementius accidunt, etiam ab ascendente significantur. Siquidem minores etiam magistratus ex parte aliqua exercere solent iurisdictionem, quam etiam maiores magistratus exercent. licet iudiciorum ac rerum summa penes maiores magistratus sit, quorum est de uniuersa quoque re publica statuere, ac pro arbitrio de rerum summa decernere. Deinde quid seu prosperi seu aduersi externis in rebus euenturum sit, quo apertius intellegatur, profectio nem gradus partis fortunae id est loci in quo geniturae tempore pars fortunae inuenta est, obseruandam docet. cuius accessus ad loca felicia infeliciaue, occursus quoque fauentium aut nocentium planetarum rerum familiarium accessionem iacturamue, externorumque bonorum felicitatem aut infelicitatem indicabit. Tertio loco profectio nem gradus Lunae quo geniturae tempore ferebatur inspiciendam monet, ex cuius progressionem atque ex maleficorum beneficorumue planetarum occursibus atque affectibus indicentur luctus, mærores, iræ, tristes cogitationes, curaeque grauissimae aut uiuendi hilaritas, gaudia, uoluptates, animi tranquillitas, ac securae mentis cogitationes. Quarto loco ut de actionibus atque administrationibus certa ferri posset sententia, profectio nem gradus culminantis. id est caeli medijs geniturae tempore inspiciendam praecipit, ut ex eius qualitate, ac planetarum naturis quales actiones futurae sint coniectura capere possimus. Huiusmodi enim profectio nobis significabit, an quae magistratus fungendi, dignitatesque consequenda hoc uel illo anno sint, an potius repulsa ferenda, deponendusque magistratus ante gestus, quaeque alia sunt generis eiusdem. Quonia autem quatuor haec loca praecipue in hominum genituris obseruanda sunt, ascendens, caeli medium, pars fortunae, ac Lunae locus, itaque Ptolemaeus horum profectioes inspiciendas suadet. siquidem ex ijs profectioibus pronuntia ri poterit quicquid obuenturum sit in corpore sanitatis uel aegritudinis, in re familiari prosperi uel aduersi, in passionibus iucundi, uel acerbi, in administrationibus ac dignitatibus honoris uel inhonorationis atque infamiae. Haec enim maxime sunt in uita consideranda, quippe cum in ijs uita hominum praecipue uersetur. In libris est Babylonico translatis uideo de Solis et loco fieri mentionem, quam in Graecis uoluminibus nullam esse intellego. Neque hoc tantum loco, sed copluribus et locis Babylonij mathematici ad Ptolemaei dicta non pauca addidere, quae translationes ipse quae nunc habentur cum Graeco exemplari collatae docent. Sed, ut dixi, quatuor illa in hominum uita praecipue consideranda sunt. Ex loco autem Solis indicari uolunt dominum uoluntate eroga hominem ipsum cuius natiuitas inspiciatur, hoc est sit ne a domino beneficis an maleficis afficiendus. Quod si ulteriora libet quae

COMMENT.

vere, cur non et faciendā erit profectio partis filiorū, partis amicorū atq; inimicorū, partis uoluptatum, et aliarum quæ in uita et genituris hominum consyderantur. Sed, ut dixi, quatuor illa ut uitæ principalia inspicienda traduntur a Ptolemæo.

PTOLEMÆVS

LXXVIII

E X E R C E T Sæpe uires stella quo in loco nullas habet uires, lucrum inexpectatum nato afferens.

PONTANVS

Iulius Maternus singularis uir discipline obscuram et maxime utilem uiam et cognoscendis et pronuntiandis cœlestibus decretis aperuit, cum antisciorum, dodecatemiorumq; scientiam nobis aperuit, quam Ptolemæum arte quadam classe ipse auctor est. de quorū cognitione et usu hæc tradit. Si quæ itaq; stellæ in ordinanda genitura se non uiderint, querendum est, an sibi per antiscium sociata radiatione iungantur. Cum enim antiscium sic emiserint, ut trigonica per antiscium uel quadrata, uel diametra, uel hexagona radiatione iungantur, sic stellæ ipsæ decernunt, ac si sint simplici ordinatione constitutæ. qđ cum inspexeris oia quæ in fatiis hominum queruntur facile poteris inuenire. Dodecatemioris quoq; tantam fidem adhibendam censet, ut Aegyptios dicat ad explicanda stellarum decreta is potissimum usus, q̄ppe qui existimarent ex dodecatemioris omnem uitæ substantiam inueniri posse. quorum ratio sic traditur, ut inuento gradu in quo planeta collocatus est, eum gradum duodecies ducas, summamq; inde constitutam, ab eo signo in quo planeta positus est incipiens, per sequentia signa distribuas. In quo enim gradu summa ipsa desinet, ille ipse gradus dodecatemioris locus erit. quo loco inuento, e cuius planetæ finibus gradus ille sit, cuius etiam decuria a quibus planetis aspiciatur, et finium dominus quomodo sit collocatus uidebis. Etenim si dodecatemiorion Lunæ præsertim crescentis in finibus Martis inuentum fuerit, malum portendit, quod nocens Martis uis afferat. Huius supputationis non aliud exemplum afferemus, quam quod ab Materno ipso allatum est. Esto Sol in Arietis parte quinta, et minutis quinque, ipsæ quinque partes duodecies multiplicatæ sexaginta partes constituunt. Simili ratione ex quinque minutis sexaginta constituuntur minuta, quæ partem unam id est gradum unum implent. uniuersa hæc summa

LIB. II.

summa constituit gradum unum et sexaginta, quos sic distribuas, ut ab Arietis principio incipiens cui triginta gradus tribues, moxq; per Taurum progrediens reliquos triginta gradus Tauri annumeres. unus ille reliquus dodecatemioris locum ostendit, usq; Gemmarum primus gradus erit, qui gradus cum sit e Mercurij finibus, si a Mercurio ipso hexagona irradiatione aspiciatur, id efficiet ut uideri possit sexangulari aspectu Sol Mercurio iunctus esse, ex qua copulatione ea significabuntur quæ significari solent, cum planetæ sexangulariter se aspiciunt. Quin etiam ut Mercurius ipse locum eum non aspiciat, tamen ratione finium societas et familiaritas quædam inter eos imitur. ex quo fit ut si tunc Sol bene collocatus fuerit, et locus ille bene illustratus, ex eo gradu bonum aliquod ob Solem offeratur in speratum quidē, quando nullo id aspectu portendebatur. Ac licet Aries Geminaq; hexagona radiatione conuincti sint, tamen etiam si nulla se radiatione aspicerent, bonum illud dodecatemioris ratione futurum esset. Mars in aduerso geniturae loco positus, etiā ex loco dodecatemioris minuitur. namq; ut feliciter collocati planetæ bonum, sic infeliciter constituti malum portendunt e dodecatemioris gradu, quod et augetur et minuitur pro qualitate irradiationis. multum in utranq; partem conferet finium dominus, in quibus dodecatemiorum reperitur, cum uel bene uel male in figura geniturae constitutus est. Nomen ipsum dodecatemiorion ductum est ab eo quod est Græce δώδεκα id est duodecim et μείωσις pars, quod pars una duodecies supputetur. Latine uno tantum e duobus compacto nomine parum commode exprimi potest. quocirca fortasse non insignificanter a nobis duodena-ria uocabitur. ac de dodecatemioris hætenus. Antisciorum ratio et difficilius et occultius est, eaq; e graduum æqualitate proficiscitur. Constituamus hinc Cancrum, hinc Geminos, prima pars Gemnorū in uigesimam nonam Cancri partem mittit antiscium, secunda in uigesimam octauam, et sic deinceps. Rursum Cancri pars prima mittit antiscium in uigesimam nonam Gemnorū partem, secunda in uigesimam octauam, et deinceps eodem ordine. quod uicissim etiam faciunt Taurus ac Leo, Virgo et Arietis, Libra et Pisces, Scorpius et Aquarius, Sagittarius et Capricornus. Idem etiam usuueniet, si ab his ultimis Sagittario et Capricorno incipies, et in Cancrum Gemnosq; ordine contrario regrediare. Planeta igitur in primo Gemnorū gradu inuentus magnam sibi in uigesimo nono Cancri gradu prærogatiuam uendicat, propter antiscij auctoritatem. et quauis gradū illū non aspiciat, tamen aliquando pro natura figurationis ac

qualitatis suae non expectatum ex eo loco bonum aut malum afferet. quod graduum aequalitas praestat propter suam ipsorum affinitatem. Siquidem Solis Lunaeque et planetarum caeterorum eadem est super terras mora, cum in alterutro graduum horum fuerit. Par enim dies est Sole peragrante primum gradum Geminarum ei diei qui est Sole uigesimam nonam Cancrī partem tenente. Idem namque interval- lum ab aestiui solstitij atque utriusque aequinoctij punctis ad hos gradus inuenitur. nec alia diuersitas est, nisi quod dies primi Geminarum gra- dus etiam crescit, contra uigesimi noni gradus Cancrī dies decrescit. Pari tamen portione et planeta in primo gradu Geminarum consti- tutus ad solstitium accedit, at in uigesimo nono Cancrī positus a sol- stitio recedit pari etiam intervallo. Hec aequalitas et cognatio graduum ipsos simul iungit, et quasi quodam affinitatis uinculo obligat. ex quo fit ut planeta in horum altero positus alteri amicus efficiatur. Nam et hospes in domo nostra acceptus hospitij iure, etiam cognatis nostris domesticus efficitur. Haec ratio multos planetarum effectus significa- tionesque ab aspectibus non indicatas patefacit, quod ipse est expertus affirmauerim. Habuit aliquis cum nascitur in caeli medio Virginem, Iouem in Ariete. Iupiter itaque ex Ariete in Virginem antiscaum mit- tens occulto hoc praesidio natum ad magistratus adipiscendos adiuuat. Interturbabit autem Iouis praesidium et magistratus administratio nem Mars antiscaum Iouis hostilem in modum aspiciens. Contra Ve- nus ad Iouis beneficium adiuuenti plurimum conferet, et admini- strationem felicem efficiet, si antiscaio illi beneuolus est locus suffragum suum contulerit. Occultissimas has planetarum significationes, quaeque est dodecatemorijs, antiscaijsque proficiuntur, Ptolemaeus inuuit, cum ait planetas saepenumero bonum aliquod et quidem non expectatum, hoc est ab aspectibus non denuntiatum afferre ex locis in quibus ius non habent. nam nec uires auctoritatemque ijs in locis habere uidentur nullam, cum neque loca illa intueantur, neque in signis ijs aut altitudi- nem aut dominatum habeant, nihilominus antiscaiorum dodecatemo- riorumque beneficis ac meritis lucrum afferunt, et, ubi minaces stella offuerint, damnum atque incommoda. apud Meroen Aethiopiae, quae aequinoctiali circulo est subiecta, Sole ab ea ad nos progrediente, die- bus nonaginta Solares umbrae orbis nostri umbris contrariae iacum- tur, deciduntque in aduersum atque in sinistram partem. Unde populos eos Antiscios aetate sua uocatos Marcellinus refert. cum regionum no- strarum umbrae in dexteram ubique decidant. Itaque Antiscij nomen ab umbrae uidetur contrarietate dictum. Non tamen quod in hoc ipso

orbe, nostrisque in regionibus, ac sub hoc tractu caeli, aut in aduerso il- lo tractu gradus Geminarum Cancrī gradibus contrarias umbras iaciāt, aut Sagittarij gradus Capricorni gradibus aduersentur. Neque quod primus alicuius signi gradus umbram mittat contraria umbram quam uigesimus nonus alterius signi gradus mittat, sed quod alterum signum mittat umbram excrescendo, a Capricorno enim dies crescit usque ad solstitium Cancrī. Contra alterum mittat umbram decrescendo, siquidem a Cancro usque ad solstitium Capricorni dies decrescit. ac nihilominus idem contingit dierum ac noctium spatium, idem lu- cis ac tenebrarum tempus, quoniam partes ipsae aequaliter a solstitiali- bus punctis absunt. Ac de antiscaijs haecenus, quorum observationem maximarum, manifestissimarumque significationum esse ipsi saepenu- mero experti sumus.

PTOLEMAEVS

LXXIX

MARS cum in undecimo est loco, qui hunc sic habet, domino suo non dominatur.

PONTANVS

Superius duobus in locis ante oculos Ptolemaeus nobis posuit genituras eorum siue clientium, siue subiectorum, qui heris dominisque suis non modo patri acceptique futuri essent, uerum tantam apud illos auctoritatem habituri, ut imperare eis uiderentur, illorumque uoluntates pro suo ar- bitrio moderari. Hoc uerbo quando contrarium futurum sit, nobis ostendit figura proposita, ex qua clientis studium aduersus dominum, rursumque domini in clientem beneuolentiam mutuamque inter se conuenientiam non modo nullam futuram intellegere possimus, sed rixas potius et odia contentionesque. Atque ut ad rem ipsam ueniamus, decimus figurae locus, quod non semel dictum est, heris ac dominis attribuitur. undecimus ipsorum domesticis atque clientibus. Mars igitur cum sit dissidiorum auctor, ac discordiarum excitator propter uehementis- simos cholerae cui praest motus, uidetur id efficere uti natus ille in eius genitura ipse in undecimo loco fuerit inuentus, parum fideliter concorditerque sit cum domino suo uicturus. Quin immo simultates, rixas ac discordias etiam manifestas Mars sic collocatus inter herum mini- strumque excitabit, ac si quando in certamen uentum fuerit, ministri partes longe imbecilliores ac deteriores reddet, cum locus undecimus decimo longe sit auctoritate ac uiribus inferior. Mars enim cum rapax et incotines

Et audax sit, natum illū rapacem futurum indicat et infidelē et profusorem et temerarium, quibus uitis qui præditus fuerit non modo in administrandis rebus domino satisfacere non poterit, qui nil prius maiusq; a ministro exigit, quàm ut fidelis et continens et ingenij maxime moderati sit, sed illum in odium iramq; prouocabit, cum propter audaciam temeritatemq; in certamen cū domino descendere dubitaturus non sit. Hæc Mars in undecimo loco genituræ clientis positus præstat, qui locus cum domini etiam substantiam ac res familiares indicet, uidetur ob Martis præsentiam significare ministrum illū domini pecuniam infideliter administraturum, ac rebus illius familiaribus incommodo futurum. quibus è rebus ea quæ dicta sunt necesse est proficiantur.

PTOLEMAEVS

LXXX

C VM Venus Saturno coniungitur, habetq; hospitatorem aliquem in loco septimo, qui natus est sordidi coitus erit.

PONTANVS

A ppetitus libidinis, et ea uis animæ quæ hodie concupiscibilis dicitur, Veneri attribuitur, ut ante docuimus. Sed cū alij in coeundo sint elegantes mundiq; alij sordidi atq; inquinati, hoc unde proficiatur Ptolemæus ostendit, docens sordidi coitus Saturnum authorem esse, si Veneri in genitura misceatur. Non solum autem Venus Saturno coniuncta, uerum in Saturni finibus inuenta genituræ tempore spurcæ libidinis cupiditatem mouet. Quocirca natus ille qui Saturno Venerem commixtam habet in genitura, foedissimè coitus erit propter Saturni squalorē ac sordentē naturā, cuius cōtactū Venus ipsa licet elegantia rum habeatur dea, mirum in modum inficiatur ut pote contagione corrupta. quod tunc omnino continget, cū hospitor hoc est dominus signi aut finium in quibus Venus posita est, aut planeta qui plures in signo eo prærogatiuas habet, in septimo collocatur, qui locus nuptiarū et rerum Veneris est. Cum enim hæc omnia simul cōuenerint, fieri non poterit quin homo is sordidæ libidinis futurus sit. Ipsa uero coeundi sordities ac turpitudine unius generis non est, sunt enim qui puellas oderint, uetulas sequantur, alij q; relictis ingenuis ancillas ac seruas depereant, alij qui nisi foedissimas atq; abiectissimas meretrices nolint cognoscere, nō nulli qui manibus obscena patrent, aut cognatio-

nis iure uiolato sanguini id est filiabus neptibusq; non parant, aut mulieribus ipsis obsceno more utantur. Quocirca hospitatoris natura qualitasq; signorum consyderanda est, uidendusq; planetarum ipsorum hoc est Veneris, Saturni et hospitatoris status ac figuratio, ut uitia ipsa notiora fiant, cum fieri possit ut coeundi turpitudine sit etiā diuersi generis.

PTOLEMAEVS

LXXXI

T EMPORA modis septem deprehenduntur. ab intervallo duorum dominatorum, ab intervallo configurationum inter se, ab accessu alterius ad alterum, ab intervallo inter se alterius ipsorum, et loci re quæsitam significantis, ab ortu stellæ cum additione atq; ademptione, et a mutatione dominatoris, et ab accessu planetæ in locum suū.

PONTANVS

Quaratione quibusq; regulis obseruandis cognoscamus quo tempore perficiendum aut quando euenturum sit id de quo mathematicus consultatur, quod uel iam coeptum aut animo destinatum est, Ptolemæus hæc in parte docet. Et prima quidem regula est, uti ambos dominatores hoc est ascendentes et loci in quo collocata est significatio rei consultæ siue inceptæ aut iam inapiendæ, animoq; destinatæ diligenter inspiciamus, et illorum configurationes statimq; consyderemus, hoc est quemadmodū sint in coelo collocati, quibus et planetis copulentur, et ad quæ loca quas uel stellas ferantur, quæ habeat præsidia, sint ipsa uel uiribus an imbecillis, quæq; alia multo studio uidentia sunt. quæpe cum ex hac inspectione euentus qualitas intellegatur, sit ne res ipsa facilis an difficilis factu, uentura ad finem destinatū, an in ipso principio siue in medio cursu desituenda, et si quibus adiumentis fulcienda, aut contra impedienda. quorum omnium ipsa coeli figuratio diligenter consyderata index erit. Sed nec obliuisci debemus eorū quæ supra de Luna, deq; Solis Lunæq; coniunctione ac de domino reuolutionis anni præcepta sunt. Nec prætereundum est id quod de Lunæ obseruatione traditum est id est an sicui planetæ corpore aspectu uel non copulatur, forte per aliquas stellas fixas qualitatis eiusdem copuletur. Quibus omnibus consyderatis atq; in bilance, ut ita dixerim, suspensis, quæretur rei ipsius tempus, hoc est quando res incepta destinata uel perficienda sit. quod quidem tempus colligetur ex dimensione graduum inter ipsos dominatores interiectionum. quam interiectionē

kkk ij

Græci διασπορίν uocant. nos & interuallum & intercapedinem et interstitium dicimus. recentiores distantiam uocant. Gradus igitur interlabentes seruata lege ascensionum, tempus demonstrabunt. atq; hæc quidem prima inspectio est. secunda contemplandi temporis uariatioq; est, uidere qui tunc inter dominatores sit aspectus, atq; ubi nullus, aut non dum perfectus fuerit, quot interiecti gradus sint, dum ad coniunctionem aut mutuū ad aspectum ueniant, numerare. Quin etiam ut rei facilitas difficultasq; intellegi possit, sit ne etiam res illa consumanda? dum ipsi dominatores aut coniunguntur, aut se inuicem afficiunt, uidenda est tum configurationis huius collocationisq; planetarum aliorum tum etiam signorū qualitas ac natura. Frustra enim tempus quæritur, ubi destinatum opus in cassum susceptum est. Tertia regula temporum inueniendorum, siue anni siue menses diesq; futuri sint, hoc præcipit, ut obseruato dominatorum inter se interuallo, uideamus quo tempore alter sit ad locum alterius peruenturus, siue dominator ascendens ad locum dominatoris rei quæsitæ aut destinatæ, siue dominator rei ad locum eius qui est ascendens dominator, siue ambo coituri sint, quo tempore eadem illa quæ diximus consideranda sunt. Quartus colligendi temporis modus hic traditur, ut iuxta legem ascensionum dimetiamur spatium quod est inter locum rei quæsitæ et alterum dominatorum, quos duos esse dictum est. Ipsum enim spatium, id est gradus interiecti annos menses, diesq; planè significabunt. Quinta obseruatio docet inspicere, uter dominatorum prior ad occasum sit peruenturus, is enim cardo rerum exitum indicare cum primus creditur, quo inspecto uidendum est quanto tempore id est post quot menses annos uel ad occasum id est ad locum occidui cardinis proficiet. Et per hunc maxime modū efficiendæ rei celeritatem tarditatem uel mediocritatem intellegemus. quod tempus ut exactius definiri possit seruandum est, quod in uitæ spatio dimetiendo seruari debere à Ptolemaeo præceptum est. Siquidem uidendæ sunt stellarum configurationes, et quid quisq; planeta uel addat uel demat, quamuis fortasse non eodem modo & hic & in spatio uitæ temporum ratio habenda sit. Nequaquam etiam signorum qualitas relinquenda est in obseruati, quando & ipsa quoq; ad tarditatem celeritatemq; non parum collatura uidentur. cum signa ipsa alia tarda, alia festina, alia mediocrius motus esse perhibeantur. Sexti modi ratio est ut cum dominator regrediens & ut hodie dicunt, retro gradus fuerit, quod uires ad præstandum aliquid parum ualidas tunc habeat, non ante sententiam de pollicitis eius, si quid polliceri uidebitur, feramus, quam recto cursu

progredi coeperit. itaq; interualli eius nullam rationem habebimus, donec recto cursu ferri incipiet. sed regressionis stationisq; tempore prætermissio, interuallum distantiamq; ex eo loco capiemus unde reuertus progredi coeperit. Gradus enim directionis progressionisq; interualli principium erit, quo interuallo cognito, temporis quoq; interuallum cognoscetur. Idem seruandum erit, cum dominator solaribus radijs occuletur & ut hodie dicunt, combustus fuerit. quid enim oppressus ac latitans præstare dominator potest? quocirca expectandum est dum solis euadens radios, suiq; iuris factus, atq; aliquanto longius ab illa digressus oriri incipiat, ac matutinus appareat. tunc enim ab eo gradu in quo matutinus efficitur, sumenda distantia est, qua sumpta de tempore ipso sententia ferri poterit. Septimo præcepto docemur uidere quo tempore dominator qui significantior est, in locum suum peruenturus est, & domū exaltationem uel suam, aut locum in quo prærogatiuam obtineat ingressurus. Ex duobus enim dominatoribus significantior præferendus est, siue is rei consumationem promittat, siue contra difficultatem inceptumq; ipsum frustrari uideatur. Is enim domaliū suum ingressus, uiribus auctus, tunc quid futurum sit decerneret. Quod ut manifestus fiat. cœli figuratio inspicenda est, cum domum ipsam aut exaltationem ingreditur. Præceptis his etiā præcepta illa pro rei natura uidentur accommodanda, quæ supra tradita huic inuestigationi utilia erunt. Quid enim aut difficilius est, aut exactiore diligentia indiget, quam non solum qualis rerum euentus futurus sit prædicere, uerum etiam euentus ipsius certum tempus dicimq; præscribere?

PTOLEMAEVS

LXXXII

CVM figuræ æquales erunt nouilunij aut plenilunij, horoscopus inspicæ, quæ si etiā æqualis fuerit, ad ferendā sententiā ne properes.

PONTANVS

Hoc præceptum & generale uidetur, quippe quod rebus omnibus accommodari potest, de quibus mathematicus consulitur, & singulare cum regulis quæ de perscrutando tempore traditæ sunt, recte annecti queat. Atq; ut generaliter traditū intellegamus, referamusq; ad ea omnia de quibus cōsulimur, quæq; an futura sint, et qualia futura sint ipsi perscrutamur, sic mihi uidetur obseruandū, uti figura cōstituta, planetarū sitū,

kkk iij

prærogatiuas, conditionem, aspectus, defluxionesq; inuestigemus, & cardines, cardinumq; ipsorum, ac rerum significatores, de quibus cõsulimur, quasq; agendas suscipimus obseruemus. Quibus reliquisq; necessarijs probe inspectis, qui planetæ ad rē perficiendā conducant, qui ne fiat obstens, diligenter animaduertemus. Vbi enim & ualidiores & plures maximeq; superiores planetæ adiumento ac præsidio esse inuenerimus, contra qui aduersentur pauciores imbecillioresq;, licet aliquo cum impedimento ac difficultate rei illius euentus futurus sit, incommodiq; aliquid in medio interim cursu aut in ipso initio aut deniq; propè exitum passura sit, ex sententia tamen eius qui rem ipsam agendam suscepit, conficiendam pronuntiabimus. Quod si æquales uires auxiliantium aduersantiumq; uiderimus, eademq; utriusq; partis authoritas fuerit, tunc ne incerti huc atq; illuc feramur interlunium, seu plenilunium antecedens considerandum est. ad quod ubi confugerimus, cœli figuram constituemus, & cardinum dominos, figuræq; dominatorem, et planetarum aspectus, collocationesq; contemplabimur. Qua in figura si amicos inimicosq; paribus uiribus munitos, equaliq; potestate præditos inuenerimus, sententiam differemus. Quod autem Ptolemæus dicit festinandum nõ esse ad prædictionem, innuere nobis uidetur, adhuc quærendum atq; expectandum esse aliquid, quod tamen pro natura rei fieri non semper poterit. Nam si res ipsa eiusmodi est, ut si nunc omittatur, fieri amplius nequeat, nescio quid ultra quærendum expectandumq; relinquatur. Sin eiusmodi est quæ alio tempore suscipi, aut suscepta intermissaq; instaurari ac rursum, ut ita dixerim, resum queat, non frustra expectandum esse præcipitur. Quam ob rem in negotijs huiusmodi, ubi post æquale figurarum librationem uiderimus non multum temporis abfuturū, dum aduersantes illi planetæ in loca depressa atq; abiecta corruant, suamq; omnem authoritatem amittant, contra ut planetis auxiliari bus maiores uires et amplior potestas accedat, in id tempus iudicium nostrum reseruabimus. Sed nec obliuisci debemus quid genitura, quid anni conuersio, quid temporum dator promittat. Si uero præceptum hoc ut particulare superiori regulæ adiciemus, hoc seruabimus, ut si figuras ipsas, interualla accipiamus, ex quibus tempora colliguntur, ac si septem quas tradidit uias secuti, eadem tempora inuenerimus a pluribus atq; potentioribus significari, tunc ore libero pronuntiemus. Sin ea differentia fuerit, ut cernere nequeamus in quam potius sententiã eundem sit, ad figuram Lunaris cum Sole coitus, aut oppositionis, ut dictum est, confugerimus, quæ ubi æqualis fuerit, ancepsq; apparebit,

prudens est mathematici nihil pronuntiare. In hac uero plenilunij seu nouilunij figura, ut in alijs, obseruandus erit numerus graduum, qui inter horoscopum & dominatores de quibus ante dictum est, intererunt.

PTOLEMÆVS

LXXXIII

TEMPVS impetrationis inter impetratem ac regem affectionem indicat. Cathedra autem indicat ea quæ actionis sunt.

PONTANVS

Hoc enuntiato monemur quid obseruandum, imo quid iudicandū sit, cum magistratus, præfectura, sacerdotium, potentatus uel aliquis confertur, ut cum a regibus dono aut uirtutis gratia conferuntur oppida, tetrarchiæ, & qui hodie baronatus dicuntur. hora inquit qua quis a principe, magistratui, muneris uel, aut baronatus præficiatur, id est cœli figuratio quo tempore rex, princeps, pontifex uel sacerdotium, administrationem, præfecturam uel confert, declarat animum atq; affectionem et eius qui confert, et eius in quem munus ipsum confertur. Fieri enim potest, ut eiusmodi collatio, aut magistratus designatio ab inimico potius quam ab amico proficiatur animo, aliumq; q̄ qui existimatur finem respectet. quod planetæ tum beneficia tum malefica, eorumq; configurationes, cardinumq; hoc est ascendens ac culminis qualitates, eorumq; dominatore significabunt. Tempus igitur designati magistratus aut sacerdotij aut collati muneris diligenter a mathematico inspectum, animum mentem atq; affectionem dantis atq; accipientis quales inuicem tunc sint, quales etiam sperari post debeant declarat. Cathedra id est tempus quo is qui magistratui præpositus est sedere pro tribunali aut in sella curuli primum coepit, aut collati muneris sacerdotij aut tetrarchiæ, dynastiæ uel possessionem adipiscitur, demonstrat quales futurae sint actiones eius, qui tetrarchiam, sacerdotium, magistratum uel gesturus atq; administraturus est. sit ne etiam administratio ea futura cum laude, quæstu, ac subiectorū populorū beneuolentiã, an contra? Sed in ipsa possessione adipiscenda illud considerandū est, quod non una est ubiq; tradendæ accipiendæq; possessionis ratio. alibi enim insignia quædã traduntur, quibus acceptis per urbem ornatus incedit is qui magistratui præfectus est, alibi ascenso prætorio in solio sedet, alibi alius atq; alius mos seruatur. Hoc præceptum plane decla

rat errare illos q ad prædicendū qualis administratio futura sit, ho-
ram concessi magistratus capiunt. neq; enim magistratus designatio
gerendi eius principium est, neq; ante rei cuiuspiam dominus quis di-
citur, quam rei ipsius possessionem ceperit. Quæ Græce *καθῆδρα* di-
citur, hodie nouo quodam & Græcico nomine inronizatio uoca-
tur. Cathedra autem nomine possessionis adeptio intellegenda est, qua
cunq; ratione possessio capiatur. dum illa sit tradite administrationis
principium. Ipsa cathedra commodissime a nobis solium dici posset,
quod solium dignitatis sedes sit. non minus commode diceretur etiam
sella curulis, quamuis sella curulis non omnium magistratum sed
maiorum olim esset. Quæ a nobis dicta est impetratio, Græce dici-
tur *προσβολή*, a recentioribus uocari solet obtentio. Sed de uerbo so-
liciti ne sumus, dum res ipsa plane intellegatur. Impetratio igitur siue
obtentio intellegatur actio illa regis principis uel, qua subiectum, fami-
liarē, uel amicum præfectura, tetrarchia aut dominatu aliquo donat,
aut prætorē designat. Cathedra autem actio illa, cum ipse prætor desi-
gnatus præturam init, aut præfecturam, aut collata ab rege tetrar-
chie primam & solennem illam possessionem de morē patriæ capit.
Sunt etiam qui *προσβολήν* non impetrationem obtentionemq; intel-
legi uelint, sed petitionem, sicq; transferendum censeant. Tempus pe-
titionis inter rem petitam ac regem affectionem indicat. quod mihi nō
placet. nam cum subdat cathedram, id est tempus captæ possessionis in-
dicem esse futurarum actionum, nec possessio sequatur, nisi impetra-
tio concessioq; antecesserit, de impetratione prius mentio faciēda erat,
præsertim cum petitiones sæpenumero uanæ sint, frustraq; susceptæ.
Adhæc de affectione regis non erga rem petitam, sed erga eum cui cō-
cessa est, dubitari ac quæri magis conuenit.

PTOLEMAEVS

LXXXIII

MARS cum est ascendens dominus tempore captæ possessionis, præ-
estq; secundo loco, aut copulatur domino secundi, multum damnum af-
feret.

PONTANVS

Cum dixisset tempus cathedrae significare qualis futura esset admini-
stratio eius qui magistratum iniret, aut gubernandæ ciuitatis habenas
acciperet, subdit præceptum quod arbitramur à Ptolemæo traditum
tanq; re atq; usu ipso comprobatum. Quod ut clarius fiat, non ab re

fuerit ea repetere quæ superius dicta sunt, cum de malitia undeci-
m ac secundi loci loqueremur. Dictum est autem in creandis princi-
pibus ac regibus locum decimum ipsis regibus attribuendum, quod
idcm fit in creandis magistratibus, præfectis, ac baronibus, quiq; ciui-
tatibus ac prouincijs imperitant. Primum uero locum subiecto popu-
lo attribuendum. Dictum est etiam locum undecimum attribuē-
dum censui principis ac regis, nec nō præfecti, dynastæ, ac tetrarchæ
qui creatur, secundum autem subiectorum populorum censui, dome-
sticisq; facultatibus, quod undecimus locus decimo, secundus primo suc-
cederet. Tempore igitur cathedrae decimus locus præfecto ac baroni,
primus populo qui eius temperationi, imperioq; committitur, secundus
populi censui attribuitur. Quæ e re fit ut populi census, subiectorumq;
facultates a præfecto ac tetrarcha illo diripiendæ ac uexandæ sint, in
cuius cathedra Mars ascendens dominus fuerit, atq; in secundo loco
collocatus, aut saltem domino loci ipsius aliqua ratione copulatus. Sig-
dem malitia secundi loci rerum familiarium populi detrimentum in
eiusmodi creationibus cathedrisq; decernit, quæ direptiones eo sæuio-
res erunt, quo Mars ipse ualidior fuerit. Etenim Martis qualitas ut
igneæ feruensq; cum admodum uiolenta sit, arguit præfectum, tetrar-
cham, & principem illum uiolentum, rapacem, et iniurium fore, cuius
animus manusq; temperare a rapinis nequeant. Copulatio autem
ipsa intellegenda est non modo cum Mars ac secundi loci dominus con-
iuncti eodem in signo fuerint, uerum etiam cum se aspexerint, aut
si quo conuenientia ac societatis genere mutuo se complectentur. Inscit
præfecto Mars locum secundum, siue illum corpore suo insideat, siue
domino eius aliqua irradiatione societateq; misceatur. Cumq; ascen-
denti signo imperet, cuius quidem dominus est, imperium graue, ad-
ministrationemq; uiolentam portendit. Porro imperandi acerbita-
tem atq; in administrando uiolentiam, improbitatemq; necesse est po-
pularium diuitiarum direptio sequatur. Quod si a contrarijs argu-
mentari licet, facilis & æqua gubernatio futura decernitur, quoties
tempore quo præfectus primum in solio sedet, aut rex regni habe-
nas suscipit, Iupiter ascendens dominus est, ac secundo in loco collo-
catus, aut secundi loci domino copulatus. Arguit enim moderato-
rē iustum et temperatum, ac popularis boni studiosum, iuxta naturæ
sue benignitatem ac moderationem. In ferenda autem sententia præ-
cipue uidendum est cuius naturæ sit planeta secundi loci dominus
cui Mars copulatur, atq; in qua cœli parte positus, & a quibus aspi-
ciatur, & quo etiam aspectu, ut sententia ipsa undiq; sibi constet, et q

COMMENT.

eam laturus est, sciat illam ratione temperare, ubi uidebitur ob radiationem quampiam temperanda.

PTOLEMAEVS

LXXXV

CVM ascendens dominus secundi loci domino configurabitur, sponte princeps multas impensas faciet.

PONTANVS

Et haec & quae antecedit observatio cathedris id est magistratibus, praefecturis, regnisq; auspicandis accommodatur. Nam si configurationes huiusmodi in alicuius genitura contigerint, alia ratione contemplandae sunt. Et superiori quidem uerbo de Marte tantum locutus est, hoc uero quod sequitur de planetis omnibus. In auspicando inquit magistratu praefectura, dominatu, ac regno, hoc est quo tempore quod primum magistratum, praefecturam, dominatum, regnum si ascendens dominum secundi loci domino configuratum habuerit, is siue praefectus siue princeps pecuniam multam sponte erogaturus est. Quid si Mars fuerit, ut est dictum? ne autem in hoc ipsi peccemus, aut Ptolemaeum ut sui ipsius oblitum accusemus, sic interpretabimur, ut superior observatio ad populum subiectum referatur, considereturq; ut ad aues ipsos pertinens, quippe qui sint male, impotenterq; habendi, ac domini praefecti ue manibus diripendi, haec uero non ad subiectum populum, sed ad ipsum tantum principem referatur. Fieri enim potest, ut urbium rectores rapaces sint, & nihilominus quod rapiunt ad splendorem ac munificentiam conferant. contra ut abstinentes sint, commodorumq; publicorum studiosi, ac nihilominus propriae pecuniae nihil parcant, sintq; de suo liberales ac magnifici. Quoties igitur qui magistratum inquit, aut regnum, dominatum ue auspicatur, planetam ascendens dominum secundi loci domino coniunctum, aut utrunq; inuicem se aspicientem habet, cum domini locorum uires auctoritatemq; communicent, & alteri alter commisceatur, ita quidem animo afficietur, ut in sumptus magnificentiam, splendoremq; suam conferre pecuniam uelit, & sumptus quidem faciet propter dominum loci qui est census atq; pecuniarum, ac iuxta loci ipsius proprietatem, sponte uero propter dominum ascendens qui animi commotionem eam non aliunde magis quam a se ipso excitat. Quales autem futuri sint sumptus, & quibus pro rebus, ex ipsa figuratone querendum

LIB. II.

79

querendum est. Fieri enim poterit ut futurae sint profusiones in conuiuia, resq; amatorias & uoluptarias.

PTOLEMAEVS

LXXXVI

SOL est fons uitalis potentiae, Luna naturalis.

PONTANVS

Hactenus de cathedris magistratibusq; ineundis, dominatibusq; capiendis. Quoniam autem Solem Lunamq; animato corpori praesse satis constaret, hac in parte Ptolemaeus explicat nobis cui potentiae animalis ipsius quod ex corpore & anima constat, praesit Sol, cui etiam praesit Luna. Quam ad rem aperiendam antequam uenio, placuit prius uerbum ipsum quod potentia a nobis traducitur, quod Graece sit declarare. Id nomen Graece δύναμις est, quod nomen tum potentiam, tum uim, potestatemq; significat. Sed quia nomen uis genituo singulari caret, ideo potentiae uitalis dicimus, loco uitalium uirium, quod Graece sit genituo singularis non pluralis. Sed haec uis potentiaq; id est δύναμις ab his qui nunc philosophantur etiam uirtus appellatur. Et quanquam uirtus sit animi, atq; assuescendo comparatur, sitq; eius contrarium uitium, uoluerunt tamen scriptores quidam hanc quoque uocem ab animo ad alia transferre, ut cum dicunt uirtutes haerbarum uirtutes generandi ac nutriendi, & stellarum quoque atq; elementorum uirtutes. Quod fecisse pluribus in locis M. Virruuium, qui Augusti temporibus scripsit uidemus. nam & aquarum & materiae & arborum uirtutes dicit. Quod ideo hic attigimus, ut qui a grege philosophantur, sciant nos potentiam uitalem dicere eam quae ab ipsis uitalis uirtus dicitur. Virtus igitur potentiaq; ac uitalis uis siue potestas, a qua est, ut per generationem uita utamur, ad Solem referenda est. a Sole enim tanquam a fonte quodam manat, cum sit princeps ac moderator luminum reliquorum, sit dator lucis, unde & qui nascuntur, in lucem uenire dicuntur, author etiam generationis, quippe cum calore suo & moueat, & mota uiuificet. Quid enim aliud uita est quam uiuificati corporis continuus motus? quod ita esse mors ostendit. Et quia caeterae uires uirtutesq; atq; potentiae, nisi uiuificatum corpus sit, inesse corpori, ipsiq; animali ne queunt, ideo uitalis potentiae fons Sol esse dicitur, quod ab eo tanquam a fonte & uita et caetera alia ueluti a principio manent ac fluant. Naturalis uero uis potentiaq; per quam corpo-

ra uigent, & (ut hodie dicunt uegetantur) ad Lunam referenda est. quod ea ipsa in frigido humectoq; dominatur. & cum à Sole illustratur, Solis ipsius ministerium adiuuans, materiam ipsam & conciliat, & à Sole uiuificatam uegetat, illa etiam quæ uegetandis corporibus necessaria sunt ministrans. Quid autem sit uegetare omnes intellegunt, qui arborum atq; herbarum corpora contemplatur, quæ quidē sine ira, cupiditateq; ipsa per se fouentur ac uigorem retinent. Vnde Sol ipse spiritus, id est uitalitatis, ut sic loquar, Luna corporis domina uocatur. Sed ad Græcæ nomina atq; ad translationem ipsam redeamus. Græce φύσις natura est, & φύσις naturalis, item φύσις planta seu stirps ac germen, & φύσις uegetatiuum. Hoc propterea dicimus, quod sunt qui arbitrentur Ptolemæum potius scriptum reliquisse φύσις per literam. T. hoc est uegetabile, quàm φύσις per literam. S. naturalis. ac dixisse Lunam fontem esse potentie uegetabilis potius quàm naturalis. Illud etiam omittendum non est, & huic enuntiato & compluribus alijs Chaldaeos tranlatores multa ad didisse quæ Græce scripta non sunt, & ipsis quoq; Ptolemæi uerbis à Græcis interpretibus etiam aliquid adiectum, dum non nulla quæ à prioribus explanationis gratia adiecta sunt, sic à posterioribus accepta fuere, ut ea Ptolemæi esse crederent. Adiecta sunt igitur loca huic, quod Saturnus esset fons eius potentie quæ retentua dicitur, quæ uis sint qui rationalem ad Saturnum referant, Iupiter eius potentie ad quam incrementa referuntur. Mars potentie irascibilis. Venus concupiscibilis. Mercurius differtiuæ, quod logistica hoc est differtiuæ uis ac rationalis ad eum referatur. Mihi uidetur Ptolemæus de Sole Lunæq; tantum enuntiasse, ut quoniam in rebus cunctis prædicandum, Lunæ Solisq; coniunctionem oppositionem uel inspiciendam in primis præcepisset, hac sententia mirum id uideri nequaquam debere ostenderet, cum alter uitalis potentie, altera uegetabilis origo sit, ab ijsq; uita & uitæ alimentatio fluat & ueluti suis à fontibus deriuat.

PTOLEMÆVS

LXXXVII

MENSIVM conuersiones fiunt ex diebus uiginti octo, horis duabus, ac minutis circiter decem & octo. Quidam autem à peragratione Solis iudicant, cum partiliter exæquatus est gradui ac minuto quod in initio obtinet.

olim annus qui nunc è duodecim constat mensibus, non eam quam hodie rationem habebat, propter paruam enim cognitionem rerum celestium diuersus erat, aliusq; apud alios populos habebatur. Et Romæ quidem primum decem fuit mensium, post duodecim Numa Pompilio auctore. ac ne tum quidem ipse sibi constabat, donec Iulius Cæsar eum probe constituit, unde Iulianus annus dicitur, cuius menses ita quidem distribuit, ut alios è pluribus, alios è paucioribus diebus statueret. adiecta post quadriennium die una. Quæ Cæsaris distributio (tam esimensis à Lunæ cursu uocatus putatur) Solari rationi magis conuenit, cum diebus tantum uiginti octo, horis duabus ac minutis circiter decem & octo cursum Luna suum conficiat. siquidem hoc tempore à gradu signi ubi cum Sole conijt. digressa, perq; alia signa progrediens ad eundem illum gradum reuertitur. Atq; hic quidem est mensstruus Lunæ cursus, qui (ut dictum est) ex uigenis octonisq; diebus, horis duabus & minutis circiter denis octonisq; constituitur, quot diebus, horis ac minutis cæli duodecim signis peragrat, ad locum unde moueri cœperat Luna partiliter redit. Quò circa mensis Lunaris solari minor est mense, nec iuxta Cæsaris constitutionem capiendus. Ptolemæus igitur ne in reuoluendis mensibus errarem, dierum nos admonuit, è quibus Lunaris mensis constaret. siquidem mensium profectioes finito tempore (quod dictum est) incipiunt, neq; trigessimus aut trigessimus primus dies expectandus est, iuxta cuius mensis constitutionem. Atq; hæc quidem de reuolutionibus mensium faciendis Ptolemæi opinio est, quanquam alij non nulli sentire aliter uiderentur, qui non à Lunæ sed à Solis cursu mensem reuoluendum putabant. Nam cum annus ad Solem referatur, menses quoq; ad Solis cursum referendos iudicabant, tuncq; insequentem mensem incipiendum esse, cum Sol ad eum partiliter gradum ac minutum insequentis signi peruenisset, à quo gradu minutoq; antecedentis signi præteriti mensis initio discedere cœperat, ut à quot partibus prioris signi antecedentis mensis initio Sol moueri cœperat, à tot etiam partibus signi posterioris insequentis mensis principio motus sui seriem inchoaret. Super hac re queri multa possent, & fortasse in ijs quæ ad Lunam maxime pertinent, Lunaris mensis profectioes, in ijs autem quæ ad Solem, Solaris mensis profectioes seruandæ potius sunt. quod nos in medio relinquimus. Menses autem Lunares propè tredecim Solari anno continentur, quod supputatio ipsa docebit, si dies trecentos ac sexaginta

quinque in dies viginti octo, horas duas & minuta decem & octo terdecies partiare.

PTOLEMAEVS

LXXXVIII

CVM partis fortunæ profectionem in toto reuolutionis anno facere uolumus, à Sole in Lunam, ac tantundem ab ascendente capimus.

PONTANVS

Cum de mensibus reuoluendis sententiam suam tulisset, & quot diebus constituti essent Ptolemæus docuisset, ne in inuenienda parte fortunæ titubaremus, et hoc quoque docere nos uoluit, quod huiusmodi est, ut inuento gradu, quem Sol peragrat, ab eo gradu profecti, omnes gradus insequētes dum ad Lunæ gradum peruenerimus numeremus. quibus probe numeratis ab ascendētis gradu exorsi tam diu subsequētes gradus numerabimus, donec summa illa finiatur, in quo autem gradu finita fuerit, is gradus partis fortunæ locū nobis ostēdet. Hæc regula superiori regulæ conueniēter subijatur. illa enim mensū cōuersiones facere, hæc in annorū reuolūtiōibus partē fortunæ inuenire nos docet. In toto autē id est uniuerso reuolutionis anno ideo mihi dixisse uidetur, ne singulis mēsis partē fortunæ quæreremus, quod locū illū totius anni significationē habere cōseat, hoc i loco ut cō pluribus alijs in locis quædam de genitura sunt adiecta. Sed qui Græce sciunt, ac certe intellegent Ptolemæum de sola anni reuolūtiōe mentionem facere id est de parte fortunæ in reuoluendis annis inuenienda. Inuento autem partis fortunæ loco, diligenter inspiciendum est quibus irradiationibus & à luminaribus & à planetis illustretur, qualis sit status ac natura domini signi in quo fortunæ locus repertus est, seu domnatoris qui plures dignioresque in eo prærogatiuas habet, nec nō hospitatoris id est domini signi, quod damnator ac domnus signi partis fortunæ peragrat. signorum quoque ipsorum qualitas consideranda, uidenturque cum profectio mensura peruenerit ad id signum in quo est pars fortunæ collocata, qualis sit coeli totius status. Quandoquidem bonum malumque quod portendi uidebatur, si tunc coeli configuratio perniciosior, aut fauorabilior fuerit, pro natura configurationis uel ac cumulabitur, uel minuetur. Sed ad opinionem Ptolemæi de fortunæ parte redeamus, præsertim cum plerique astrologi noctu à Luna in Solem proficiscendum arbitrentur. quod ipse in libro apotelesmatum sic improbat.

tum sic improbat. Pars quidem fortunæ die noctuque semper à numero Solis in Lunam colligenda est, ipseque numerus per totidem gradus ab horoscopo in subsequētia signa producendus, ut quam Sol rationem figurationemque ad orientem finitorem habet, eadem ad fortunæ partem habeat. Luna, sique perinde ac Lunaris horoscopus. Pari autem eodem modo se habet, ut ab antiquis scriptum est, si quis nocturnis in genituris uoluerit à Luna in Solem per signa præcedētia numerare, qua ratione idē fortunæ locus, eademque figurationis ratio inuenietur. Hæc Ptolemæus. Sed quæ ueteres illi de parte fortunæ colligenda senserint, alienum non est referre, aliter enim quam nunc sentiebant. Siquidem Petosiris ac Necepsō in quos omnis fere astrologiae laus referebatur, noctu à Luna in Solem numerandum censere, non tamen per signa progrediendo subsequētia, ut fit cum à Sole numeramus, sed per ea quæ antecedunt signa, contrario quam fit cum à Sole numeramus modo. quod cum fecerimus, nimirum idem utroque modo partis fortunæ locus inuenietur, aut à Sole in Lunam per signa subsequētia, aut à Luna in Solem per antecedētia proficiscendo. Verbi gratia. In diurna genitura ascendit Arietis gradus primus, Luna quidem in primo Cancrī, Sole autem in uigesimo gradu Piscium collocatis, si à Sole in Lunam numerando progressus fueris per signa quæ insequuntur, inuenies Solem à Luna gradibus centum abesse. hoc factō à primo gradu Arietis per insequētia signa proficiscere, donec summa centum graduū desinat. desinet autem in decimo Cancrī gradu, qui partis fortunæ locus erit. Sit rursus nocturna genitura in qua primus etiā Arietis gradus ascendat, habeatque Solem in uigesimo gradu Tauri, Lunam in primo Virginis constitutam, si tunc à Luna in Solem proficisceris per signa quæ antecedunt, à primo gradu Virginis per Leonem, Cancrum, Geminos, ac Taurū recedēdo, inuenies à Sole Lunam gradibus centum abesse. quem rursus numerum inuenies, si à Sole in Lunam per signa subsequētia progredieris, tunc ab ascendente principio capto, fortunæ locus in decimo gradu Cancrī eadem ratione comperietur. Quæ causa Ptolemæum adducit, ut die noctuque in Lunam à Sole numerandum censeat. Iulius tamen Maternus & plerique omnes nostri temporis nocturnis in genituris à Luna in Solem per signa quæ subsequuntur eundem iubent. Nos tantam rem atque inter tantos aucthores in medium relinquemus. Iudicat autem Ptolemæus horoscopum ipsum diurnum ac Solarem, locum autem partis fortunæ nocturnum ac Lunarem esse, & quam Sol ad horoscopum rationem habet, eandem habere ad partem for-

COMMENT.

tunæ Lunam. Cum enim Sol ac Luna uegetare ac uiuificare animan-
tia uideantur, & horoscopus quidem qui nati corpus, uitalemq; eius
qualitatem significat, Soli ascribatur, iure pars fortunæ cuius locus
eandem ad Lunam quam ascendens locus ad Solem proportionem
habet, Lunæ ascribenda est, ut sit quodammodo Lunaribus quidam ho-
rosopus, & quemadmodum horoscopus statum qualitatemq; animati
corporis & eorum quæ corporis sunt significat, sic pars fortunæ ue-
luti Lunaribus alter horoscopus externas res, quæ scilicet exterius aci-
dunt significet, unde fortunæ pars dicta est. Cum igitur Solem uitales
potentiæ, Lunam uegetabilis fontem esse dixisset. conuenienter duo hæc
quæ præcedunt enuntiata subiunxit, quorum altero ostendit in reuo-
lutionibus annorū quæ quidem in hominum uita significationes ua-
lidissimas habent, menses ad Lunam referendos esse, altero partem
fortunæ quæ ualidissimæ etiam potestatis est, a Sole capiendam esse.

PTOLEMAEVS

LXXXIX

Quæ sunt aui septimo a loco, quæ autem patrum, a sexto uide.

PONTANVS

In constituendis geniturarū figuris quartus patri locus, fratri tertius ascri-
bitur, atq; ut tertius locus fratris, sic quartus patris statum & quali-
tatem demonstrat. Quod circa si quartus genituræ locus patrem, tertius
fratres indicat, pater enim unus est, fratres esse plures (sepenumero co-
tingit, interdum etiam nullos, quid mirum est si locus septimus aui,
sextus patrum, patrumq; significare habet? Si enim quartus genitu-
ræ alicuius locus in loco horoscopante constituatur, tunc locus q. erat
genituræ septimus in locum quartum concessisse inuenietur. Itaq; si lo-
cus quartus in genitura nostra patrem nostrum indicat, locus septi-
mus qui est ab eo quartus, patris nostri patrem, qui aui noster est
indicabit. simili modo si tertius genituræ nostræ locus fratres no-
stros significat, sextus quoq; patrum nostrorum fratres qui patrum
nostri sunt significabit. Vterq; igitur locus sextus ac septimus be-
ne diligenterq; inspectus, alter patrum, alter aui statum qualita-
temq; declarabit. Planetæ enim loca illa insidentes aut aspicientes,
signorumq; qualitates, & illorum domini qui & quales sunt si-
gnificabunt. Quod licet sit non omnino facile decernere, prudens
tamen mathematicus diligenti cura adhibita hoc etiam assequetur.

LIB. II.

82

PTOLEMAEVS

XC

Cum dominator ascendens uiderit, res quæ occultæ est secundum ascen-
dentis naturam erit. quod si non uidet illud, erit secundum naturam
loca in quo ipse est dominator. Et horæ quidem dominus colorem eius,
Lunæ uero locus tempus demonstrat, eritq; res noua, si supra ter-
ram, si sub terram, uetus. Fortunæ pars quantitatem eius, longam
an breuis sit demonstrat. Dominus finium, imi ac medij coeli, item
Lunæ, substantiam eius demonstrat.

PONTANVS

Si quando, inquit, tibi in mentem uenerit, ut aliquid quod absconditum,
occultum uel sit, aut quod alia ratione lateat perscrutari uelis, primo
dominatorem inspicere. Erit autem qui pluribus ac maioribus prærogati-
uis præditus est. Hoc inspecto contemplare an dominator is gradum
signi ascendens in figura a te constituta intueatur? Si enim primos illos
gradus horoscopantes intuebitur, quale sit id quod occultum nosse quæ-
ris, ascendens ipsius qualitas tibi significabit, ascendens enim natu-
ram sequetur. Quod circa signi illius qualitas, natura, ac propria eius
uis diligenter cognoscenda atq; examinanda est. Atq; ut rei illius qua-
litatem magis ac magis introspicias, signi eius domini naturam consy-
derabis, & quæ res planetæ illi attribuatur uidebis. Non solum autem
uidere oportet, sit ne signum illud humidum an aridum, sed potesta-
tes, uires, cæteræq; qualitates, tum eius, tum loci diligenter attendendæ
sunt, ut natura rei illius clarior fiat. Si dominator ipse ascendens non
aspexerit, locum in quo dominator inuenitur contemplaberis, cuius
naturam, uires, qualitatemq; cum probe consyderaueris, de qua-
litate rei illius, id est qualis sit, sententiam feres. siquidem res ip-
sa loci signiq; illius naturam sequetur. Ut autem res ipsa expres-
sior, & magis ac magis certa appareat, cum tot rerum similitu-
dines atq; affinitates sint, & color quidem magnum rei indicium
faciat, postquam hæc quæ dicta sunt, contemplatus fueris, rei quoq;
illius color inuestigandus est, quem horæ dominus indicabit. Singulæ
namq; horæ singulis planetis distributæ sunt. quæ distributio incipienda
est a planeta illo qui nomen dat diei. Si enim est dies Lunæ, hora pri-
ma Lunæ, secunda Saturno, tertia Ioui, ac deinceps ascribetur in cir-
cuitum ad finem usq; diei noctisq; progrediendo. Oportet itaq; te non
ignorare, quis color cui planetæ dedicatus sit. Quin etiam ubi horæ do-

III ij

minus id est coloris indicator alij planetae commixtus erit, ipsos quoque colores ut misceas oportet. Horae dominum dicimus eum, qui Graece *δίστωρ* est. Post haec ut quam diu res illa latuerit, aut quanto post tempore in lucem uentura sit, cognoscas, locum Lunae indagaabis. Quod si Lunae situs subterraneus fuerit, rei illius uetustatem, si superterraneus, hoc est ut Luna in superiori hemispherio feratur, rem ipsam recentem esse testificabitur. non nulli tamen in his cognoscendis non Lunae situm, sed dominatoris attendendum magis existimant, ut dominator ipse cum occiduus fuerit ac uespertinus, uetustatem praeseferat, cum matutinus, orientalis uel orientalem enim hodie dicunt, qui Graece est *ἀνατολικός*) rem ipsam nouam ac recentem esse significet. quod Ptolemaeus a Lunae tantum loco iudicandum decernit. Nam Luna sub terra constituta, quod ipsa a nobis absit, ueterem rem esse indicat. uetusta enim sunt quae a temporis huius praesentia remota sunt. Sed uetustas illa maior minor uel iudicari poterit a collocatione Lunae in hemispherio inferiori, quae cum in secundo loco posita est, propinquior nobis est quam cum in quinto aut sexto loco. Eodem modo nouitas, et, ut ita dixerim, recentia iudicabitur. in hemispherio enim superiori constituta cum ipsa praesens sit, rem praesentem id est recentem portendit, eaque recentior portendetur, cum Luna in loco undecimo, quam cum in octauo collocata inuenietur. Haec eadem consideratio palam nobis faciet, sit ne diutius res illa in occulto atque abdito futura, an citius manifestanda atque in lucem uentura? Verum si Ptolemaei uerba probe considerentur, locus Lunae tempus ipsum id est rei antiquitatem, nouitatem uel magis quam diuturnitatem occultationis, aut breuitatem indicationis significabit. Nam cum ait locus Lunae tempus monstrat, eritque res noua si super terram, si sub terram uetus, uidetur declarare tempus illud non ad diuturnitatem, breuitatem uel occultationis, sed ad nouitatem aut uetustatem rei referendum esse, ut si noua sit uetus aut uetus. Et quoniam rebus ipsis tum longitudo, tum breuitas accidit, quantitate enim continentur, ut ex hac inspectione res illa certius cognoscatur, pars fortunae considerabitur. cuius locus ac signum pro qualitate sua, naturaeque configurationis, sit ne res illa longa, an contra breuis, an fortasse mediocris staturae, spatij, aut mensurae manifesto declarabit. Hoc autem a parte fortunae quaeri debere, ratione non caret. Cum enim ascendens et locus partis fortunae praecipuae auctoritatis sint, et in rebus considerandis qualitatis quantitatisque praecipua ratio habeatur, et qualitas ipsa ab ascendente significationem accipiat, quae sequitur quantitas a loco partis fortunae iure significationem accipiet.

Ac ne te substantia rei lateat, neque enim res quae corporea est carere substantia potest, cum tria haec praedicamenta (sic enim a philosophis uocantur) substantia, qualitas, quantitasque res ipsas manifestent, ac nihil corporeum absque ipsis sit, ut substantia inquam ipsa rei deprehendi possit, fines inspicendi sunt tum medij tum etiam in caeli, et ipsorum quoque finium dominus qui a Graecis *ἀπὸ τοῦ πάρος* dicitur, ipse enim finium dominus siue unus siue duo fuerint (fieri enim potest ut fines medij caeli sint alterius planetae quam in caeli fines) rei tibi substantiam indicabunt. His praecipis, observationibusque tenendis rei substantia, qualitas, quantitasque deprehendetur. Sed uideamus quam conuenienter, appositeque haec dicantur. A cardine medij et in caeli, hoc est a domino finium qui cardines ipsos cum dominatu quodam tenet, substantia, a cardine ascendens caeli qualitas, a loco partis fortunae quantitas quaeritur. quae cum sint in omni consideratione primaria, primarijs figurae locis attribuuntur quaerenda. Domino enim finium medij caeli propter cardinis praerogatiuam merito substantia quae prima est ascribitur, dominatoris loco qualitas, si ascendens non aspexerit, si aspexerit, ascendenti. Loco partis fortunae qui Lunae ascendens esse perhibetur, estque secundus quidam horoscopus, quantitas cuius est tertia consideratio attribuitur. Ad haec quoniam res hominum quae hoc modo quaeri a mathematico possunt, principium aliquod habuere, et quae aliquando facta sunt, necesse est ut in tempore facta fuerint, ac si nuper fieri contigit sunt noua, si olim, uetera, haec inquisitio magna cum ratione Lunae delegata est, tum quia Luna propter continuas deflexiones et accessus celerrimos ad alium atque alium planetam, eorum quae fiunt excitatrix et princeps causa est, tum quia mensurae domina est, ex quibus anni constituuntur. Ac tamen si Sol dierum atque annorum auctor est, tamen nec quod annum latuit recte dicitur paulo ante latuisse, nec diu abditum fuisse quod diem tantum unum aut pauculos forte dies latuit. Quocirca rei occultae aut abditae uetustas nouitasque, et an res ipsa quae latet uetus an recens sit, a mensuram enumeratione rectius quaeritur. haecque inuestigatio Lunae loco iure deditur.

MALVM signum est, cum aegroti dominator combustus est, maxime si fortunae pars affigitur.

Planetæ sub Solis radijs constituti male se habent, quippe qui maiore a potestate superati perinde ut prostrati atq; attriti iacet. eos Sol exustos auctoritatem, prærogatiuamq; propriam retinere non patitur. Quid enim Solis radijs flagrantius? aut eius maiestate augustius? Quocirca male se res habet, si quo tempore ægrotare quis cœpit, significator ægroti ipsius aut in radios Solis iã incidit, aut parũ abest, dũ incidat. multo autem deterius se res habebit, si tum quoq; pars fortunæ natalitiæ, seu conuersionis anni illius, infeliciter affecta fuerit, a maleficis maleficarum stellarum cõfigurationibus exagitata, aut in loco abiecto reperta. est enim res hæc indicio, ægroti illius vires a morbo superatum iri. Græce ὑπ᾿αυγῶς dicitur planeta sub radijs Solis positus id est subradiatus, quod uerbum quia uideretur asperius, magis placuit recentioribus combustum uocare. Significator igitur hoc est planeta qui in figura ægrotationis pollentior inuentus est, combustus a Sole, ac si in carcerem coniectus esset, nullum ægro afferre posse auxilium uidetur. ut si pater familias aut dux exercitus in carcerem coniectus catenisq; uinctus sit. neq; enim aut pater familias laborantem familiarem, aut dux militem ab hoste circumuentum opera sua tueri poterit, cum sui iuris non est. Locus quoq; partis fortunæ cum sit tanquam locus opis, subsidij, atq; externi fauoris, hoc oppresso uidetur etiam auxilij atq; suppetiarum uia obstructa, quod signum nisi pessimum esse nequit. In circo autem futuræ mortis signum non dixit, quod tempus uitæ a genitura promissum inspiciendum sit, quod uidenda sint loca perniciofa, quod considerandus planeta emissor, quod item obseruandum quàm lato spatio planeta ipse ab æquinoctiali linea feratur, & quæ sit signi obliquitas, & alia etiam non nulla prius quàm de morte pronuntietur.

PTOLEMAEVS

XCII

SATVRNVS orientalis non adeo nocet ægro, sicuti nec Mars occiduus.

PONTANVS

Si inquit Saturnus in figura languentis dominator inuentus fuerit, recedatq; a puncto in quo Soli cohaeserat, non tamen ut omnino a ra-

dijs Solaribus se explicauerit, non adeo nocens atq; aduersus erit, nec tantum ægro periculum imminet, neq; morbus ipse usq; adeo perniciosus futurus est. Martis uero stella minus noxia futura est, neq; morbus tantopere grauis periculosusq; si tempore incipientis morbi aliquanto remotior a Sole fuerit, ut non dum Soli partiliter iungatur. Mars enim occiduus, Saturnus orientalis minus nocet. cuius rei ratio hæc esse uidetur, quod Saturni stella cum sit frigidissima, Solis radijs calefacta postquam ab Sole ipso sese explicauit, Solarẽ illam tepescitionem & quodammodo temperamentum aliquandiu retinet, quo temperamento cum frigida uis eius remissior facta sit, usq; adeo nocere non potest. Contra Martis natura cum sit feruentissima, Solis radijs perinde ac repressa, uimq; potentiozem sentiens non nihil remittitur antequam Soli iungatur. ex qua remissione quod feruor eius, temperationem quandam se adeptum sentiat, efferuescere minus poterit, nec tam noxius erit. Cuius rei facere fidem potest, quod si quando digittum prunæ aut carboni negligentiùs admouimus, ex qua admotione digittum torruerimus, si eum digittum flammis igniq; feruentiori admouerimus, admotumq; diutius reprimi ac retorreri ab igne siuerimus, tostura ipsa sedatur ac minus minusq; sentitur. Quin etiam si lucernam magno et persflagranti igni admoueris, suam flammulam conseruare non poterit. quando, ut inquit Aristoteles, magnus ille ignus exiguũ ad se rapit. Itaq; Mars potentissimos Solis aduentantis radios sentiens de suo calore plurimum amittit. Sed Ptolemæi uerba diligenter animauertenda sunt, nõ enim dicit eas stellas cum maleficæ suapte natura sint, non nocituras, sed minus noxias fore, quod, ut dictũ est, remissiores fiant. Ex quo fit, ut Mars Soli propinquior factus, nõ tamen coniunctus, Saturnus a coniunctione recedens non tamen ut omnino a Sole sit explicatus, in morbis ipsis minus graues inueniatur. Sunt qui alia ratione interpretentur, existimentq; tum ob celestium regionũ, tum ob Martis, Saturniq; conditionem sic accipiendũ esse, ut cum coelum in quatuor partes distributum sit, et pars quæ orientalis dicitur Saturno ascripta sit, Saturnus ipse minus aduersus ægro futurus sit, si orientalis hoc est in parte sua inuentus fuerit, Mars minus perniciosus, si occiduus id est in parte occidua sibi attributa incipiente morbo collocatus inuenietur. Quæ opinio causa fuit, ut tamen si in codicibus Græcis de maleficis tantum id est de Saturno, Marteq; fiat mentio, additum tamen a Babylonijs sit, Iouis benignitatem accumulari, cum in parte septentrionali, item Veneris cum in parte meridiali incipientis morbi tempore reperiri contigerit. Me non mediocriter reddit dubium, quod

plerumq; quos matutinos seu uesperinos planetas nos dicimus, Ptolemaeus ἀπλιωτιμὸς & ἰσπερίους dicit, quos autem nostri, orientales et occidentales, ipse ἀνατολικὸς et ἀβυμὸς sive δυτικὸς uocat. Plerumq; tamen, ut dixi, non semper, cum non nunquam promiscue apilionicam & anaticam capiat. Atq; hæc quidem observatio superiori recte subjicitur cum utraq; ad morbos pertineat.

EX figuris non ante iudicabis, quam coniunctionem feceris. Principia enim in una quaq; coniunctione transmutantur. quod utraque ambas misceto, nec errabis.

Non semel, uerum etiam sæpius Ptolemaeus nos admonet Lunaris cum Sole coitus contemplandi, nec profecto absq; summa ratione, cum enim Sol mediam mundi regionem teneat, eius in ipso mundo authoritatis potestatisq; est, cuius in corpore animalium est cor. atq; ut corpori uniuerso cor, sic caelo ac mundo Sol praest. Luna quoq; qd̄ terris finitima, non modo Solis uerum etiam caeterorum planetarum radios atq; in fluxus ab illis acceptos terris refundat, ac cursus sui pernitate singulis mensibus eisdem coniungatur, iure etiam potestas eius secundo loco habetur, iure utriusq; coniunctio cum primis obseruanda praecipitur. Monemur igitur cum de re negotioq; quopiam suscipiendo consulimur, licet interrogationis figuram constituerimus, licet planetarum configurationes collocationesq; probe inspexerimus, licet etiam coniunctionem Solis ac Lunae quae praecessit questionem considerauerimus, ne ante quid caelum promittere uideatur iudicemus, aut negotium de quo quaeritur suscipiendum censeamus, quam coniunctionem etiam Lunae ac Solis proxime futuram contemplati fuerimus. quod principia singulis coniunctionibus mutari soleant, id est quod significatio illa caelestis quae ab antecedente coniunctione portendebatur, influxusq; caelestes in elementis, rebusq; elementaribus, a coniunctione in coniunctionem mensuram mutationem suscipiant. hoc autem eiusmodi est. Querit scire ex nobis Marcus, an commodum futurum sit, si ipse cum familia rus migrat. Nos constituta consultationis huius figura, quae ab ipsa figura portendantur, primum uidebimus, deinde ne decipiamur, figuram etiam Lunaris cum Sole coitus qui proxime antecessit inspicimus, et

ipsas figuras significationesq; conferemus. Quia uero huiusmodi interrogatio paulo ante finem mensis facta est, & principia, ut dictum est, singulis Lunae cum Sole coniunctionibus mutantur, figuram etiam futurae coniunctionis Lunae cum Sole constituemus, quam cum praeterita coniunctionis figura conferemus, & secundum qualitatem collationis iudicabimus, significatione significationibus comparando. Hoc est igitur quod Ptolemaeus praecipit, ut utraq; figuram miscamus, figuram scilicet coniunctionis eius quae antecessit, & eius quae mox insequetur. Hoc autem propter principia quae singulis Lunae cum Sole coniunctionibus iuxta naturam qualitatemq; caelestis configurationis mutantur. Quibus figuris, earumq; significationibus inuicem comparatis, exacteque pensatis, in ferenda sententia errari non poterit. Sunt qui praecipit hoc ad principatus ac regna referant, nec Solis, Lunaeq; sed aliorum planetarum coniunctiones intellegendas censeant. quin etiam ubi nos principia transtulimus, ipsi transferant intelligantq; imperia. Graece enim ἀρχὴ utrunq; significat principium & dominatum. Iuxta quorum opinionem uerba Ptolemæi uertenda sic erunt. ex figuris non ante iudicabis quam coniunctionem feceris. Imperia enim in una quaq; coniunctione mutantur, capiendo coniunctionem non Solis Lunaeq; sed caeterorum planetarum coitum. quod huiusmodi est. Imperia, regna, & pontificatus maximi non ante coeperunt quam a potenti aliqua & maxime ualida planetarum coniunctione significarentur. quibus inceptis ac permanentibus, necesse est post alia atq; alia et quidem diuersae planetarum coniunctiones sequantur, ac pro figurarum coniunctionumq; qualitate dominatores mutantur, ac nunc hi nunc illi dominatum suscipiant. Quamobrem in rebus principatum, regnorum, ac pontificatus maximi praedicendis, non semper primi illi dominatores attendendi sunt, sed potius qui pro tempore fuerint, cum mutari eos contingat. Fieri enim potest, ut dominatus qui principio Saturni aut Iouis fuit, transferatur in Mariem propter authoritatem coniunctionis post insecutae, ex qua mutatione Saturnini aut Ioui in Martium dominatus, necesse est, rerum regni, pontificatusq; mutatio sequatur, pro natura rerum significationumq; quae a Marte portenduntur. Ne igitur (si de ijs iudicaturi sumus) aut sponte nostra, aut consulti ab rege, pontifice ue, inconsultius aliquid pronuntiemus aut respondeamus, figuras constituerimus tum coniunctionis quae regno pontificatusq; initium peperit, tum coniunctionis quae post insecuta causam praebuit initij cum ipso dominatore mutandi. Figurasq; ipsas probe constitutas inuicem conferemus, collatasq; miscbimus, atq; alterius signifi-

ationes cum alterius significationibus miscendo temperabimus. Quibus temperatis, rebusque de quibus praedicturi sumus pro natura sua pensitatis, vix fieri potest, ut in pronuntiatio respondendoque labamur. Hanc nos opinionem ut sanam etiam atque etiam probamus, ueremur tamen ne non satis huic Ptolemæi enuntiationi conueniat, consuevit enim Ptolemæus quoties συνόδον id est coniunctionem dicit, Lunæ Solisque coniunctionem capere. cum autem planetarum aliorum coniunctionem significare uult, quorum ea coniunctio planetarum sit, nominatim exprimit. Quocirca cum hoc in loco synodum tantum dicit, Solis ac Lunæ synodus intellegenda uidetur iuxta consuetudinem eius. Adhæc ubi dicit ambas misceto, si de coniunctionibus planetarum aliorum, quam de Solis Lunæque coniunctionibus intellegeret, ambas non dixisset. Nam ex quo regnum principatus uel coepit, cum alias atque alias planetarum coniunctiones fieri contingat, singulisque coniunctionibus initia (ut ipse ait) mutantur, non ambas id est duas tantum diceret, sed quod fuisse contigisset. Sin duas tantum postremas intellegi uellet, non dixisset ambas misceto, sed duas postremas. Verba ipsa Græca sunt ἀμφοτέρωθεν χύματα id est ambas figuras, siue utraq; figurâ. Igitur cum συνόδον tantum dicit, nec cuius sit addat, sitque mos Ptolemæi Solis Lunæque coniunctionem significare, quoties συνόδον tantum dicit, adhæc cum ambas, non omnes nec duas postremas dicit, et planetarum coniunctiones plures ac diuersæ sint, ac regno principatusque permanente, multas fieri contingat. Contra cum interrogationes ipsas necessario proxima una Solis Lunæque coniunctio antegrediat, altera item una proxime sequatur, hæcque tantummodo sint duæ, iure cum ambas dicit, duas has Solis Lunæque coniunctiones dicere uidetur, quarum altera, ut dictum est, proxime antecessit, altera proxime sequitur, ipsaque Ptolemæi uerba sic erunt intellegenda. Ex figuris scilicet interrogationis ac nouilunii, quod nouilunium interrogationem ipsam proxime antecessit, non ante iudicium ferens quam figuram nouilunii mox insequentis feceris propter principia quæ in uno quoque nouilunio mutantur, atque ubi coniunctionis utriusque et antegressæ et futuræ constitutionem, feceris, simul utranque miscebis et conferes, significationesque inuicem comparabis, quibus mixtis, comparatisque errare non poteris. Poterit autem qui hæc uiderit suum quoque iudicium utraq; de opinione ferre.

LOCVS potentioris ex dominatoribus ea quæ in cogitatione sciscitantis sunt, indicat.

PONTANVS

Qui ad nos consulturus uenit, de re profecto aliqua quam aut destinauit facere, aut destinaturus est, ut consulat uenit, forsitan etiam tentaturus uenit. Vt cuique sit, non sine animi sui motu uenit ad consulendum. Qualis autem motus eius, quæque consultoris mens sit, et quam in rem intendat, dominatorum princeps monstrabit. Cum enim interior animi motus causa sit quæ illum ad interrogandum adducat, cognito atque inspecto planeta, qui motus eius excitator est, mens uoluntasque consultoris ipsius apparebit. Prima igitur motus illius causa ab dominatorum principe, ubi plures dominatores erunt, id est qui ex omnibus maxime pollens est, quaeretur. Pollentissimus autem erit qui in cardine collocatus et plures et digniores prerogatiuas habebit ac feliciter illustrabitur, et quacumque parte consideratus maiore auctoritate praeditus erit. Hoc autem inueto, loci quoque et signi in quo positus est qualitas animaduertenda est. Namque si decimo in loco erit, mens, cogitatio, propositumque eius de istis rebus erit, quæ loco decimo ascriptæ sunt, puta de gerendo magistratu, de dignitate, de magisterio, de regno, deque actionibus ad hæc ipsa pertinentibus. Quin etiam ut propositum consultoris et id in quod ipse intentus est magis magisque introspectatur, natura dominatoris illius qui cæteris præest probe examinanda est, ac uidenda res quæ potestati significationisque eius attributæ sunt. Nec ab re fuerit, aspicientium qualitates considerare, ut una miscere, siquid miscendum uidebitur possis. Oportet enim mathematicum solertem esse, cuius solertia in miscendis temperandisque signorum ac planetarum qualitatibus, eorumque significationibus potissimum perspiciatur. Hoc enunciatum cum ad interrogationes plane pertineat, sitque superiori subiectum, uideri fortasse poterit non nihil opinionem nostram sustentare, ut quæ superiori tradita sunt præcepto, de Solis Lunæque non de aliorum planetarum coniunctionibus intellegenda sint. Consuevit enim Ptolemæus eiusdem materiae præcepta coniungere.

QVAE cum singulis oriuntur decurijs, ea nati uoluntatem ad artem quam tractat comprobant.

PONTANVS

Quanta mathematici cura & quam intentum studium esse debeat, singula Ptolemæi non modo præcepta, sed prope uerba nos docent. sunt enim tum multiplices, tum maxime difficiles eius consyderationes. Atque ut ad rem, qua de agitur, quæ quidem obstrusissima est, ueniamus. Vetusissimorum mathematicorum sententiæ conuenere, ut in singulis decem gradibus signi cuiusq; quos decem gradus Græci δεκάουs, ego sæpius decurias uocauit, recentiores satis inepte facies appellant, imagines quædam atq; simulacra cum ipsis quidē decurijs orientur. ea Græce dicuntur παρατάλλουτα, a nostris hodie, ut dixi, uocantur imagines. ego libentius uocarim simulacra. Hæc inquam simulacra in genituris, natalitijsq; stellarum decretis cum primis sunt consyderanda, quod ad imaginariam uim imprimendam plurimum conferant. Quamobrem ut intellegere possimus quas ad res natus ille cuius mores, ac fatum quærimus, propensior futurus sit, non parum profuerit perscrutari, quod cum ascendente nati eius simulacrum exortum sit. siquidem in orientis cardine constitutum, ac uim suam in imaginaria illius imprimens, magis ac magis nati phantasiam excitabit, qua excitata uoluntatem etiam ingenerabit, atq; a planetis signisq; ingeneratam etiam augebit, ut eas artes sequatur, atq; in ipsa uersetur, illis demum ipsis delectetur, quæ a simulacro ipso significantur, ad quæ exercenda ab insita ui simulacri commouetur. Ausimq; affirmare secretas quasdam appetitiones, animorumq; propensiones ab his potissimum simulacris defluere. Dicitur autem cum prima Arietis decuria nigri hominis simulacrum oriri stantis quidem & albo induti, præcantisq; atq; irato similis, magno quidem corpore, rufis oculis ac ualidis uiribus. In secunda decuria mulieris simulacrum cuius uestis exterior quidem rubra, interior alba est, & ipsa pedem alterum protendere uidetur, ac si ornatum, uestem, ac filum inquirat. In tertia simulacrum albi hominis, cæterum rufi capillo, ac uestitu rubente, ipse inquietus atq; irato similis, aureamq; armillam manu gestans, ligneum baculum præferat, eo mentis acuminè,

acuminè, ac nouorum artificiorum studio, ut uideatur bona multa præstare uelle, quæ tamen ut cupit implere nequeat. Hæc de Ariete attigimus, ut ex his lector intellegere aperte possit quæ sint hæc simulacra de quibus Ptolemæus præcipit, atq; ut ex simulacri cuiusq; habitu quid nato portendatur conijciat.

PTOLEMAEVS

XCVI

SIGNIFICANTIA eclipsis decreta sunt eius quæ propius cardines. Consyderanda etiam naturam stellarum simul consistentium tum erraticarum, tum fixarum, ac etiam simulacra coorientia, & secundum hæc pronuntia.

PONTANVS

Luna Solisq; obscuratio Græce ἐκλειψις, a maioribus nostris deliquium & defectus indifferenter dicitur. Eius uires rebus his inferioribus afficiendis potentissima et, ut ita dixerim, principalissima sunt, quandoquidem luminaria ipsa corpori spirituiq; id est uitæ dominantur, ac radijs agitationibusq; suis elementa ipsa, quæq; ex elementis constant, sic moderentur, ut rustici etiam id intellegant. Iure igitur a mathematicis quoties contigerit, diligentissime obseruanda est, siue ea Solaris, siue Lunariseclipsis fuerit, atq; eo magis quod docti indoctiq; eclipses ipsas mirum in modum formidant. Quid enim horribilius quam fulgentissima illa corpora tenebris atq; obscuritate obducta, repente oculis eripi? Ipsorum autem defectuum significationes maiores minoresue tum pro ipsorum magnitudine aut exiguitate, tum etiam pro cæli locis in quibus fieri eos contingit, esse consueuere. Cardinales enim pollentiores sunt, ac uehementius afficiunt, quippe cum cardines sint prima mundi loca, in quibus planetae collocati cum maiestate præsideant. Quo circa recte Ptolemæus dixit, eclipsis decreta illa quædem significantia id est admodum potentia esse, quæ propius cardines sunt, uidelicet quæ significantur portendunturq; a defectu qui fit in gradibus cæli angulo proximis, aut in loco cardini finitimo ea fore maioris efficacis. Verum ad significationes ipsas exactius cognoscendas duo in primis a mathematico uidenda sunt, spatium defectus, id est quantitas obscurationis, & cardinum propinquitas. Quibus uisis restat etiam consyderare quæ stellæ siue fixæ, siue erraticæ cum Sole Lunaue simul sint, dum ipsa luminaria deliquescunt. Simulacra quoq;

quæ diximus Græce uocari παρατάλλαοτα quæ uidelicet cum horo-
scopo atq; ascendente decuria exurgunt uidentia. Quibus uisus, inspe-
ctisq; pro natura loci & stellarum coniunctionum, proq; simulacri
significatione iudicium proferemus. Atq; (ut distinctius pronuntiare
possimus, quibus in regionibus significationes illæ casuræ sint, aut qui-
bus inueniuntur urbibus) mundi declinationes, quæ Græce dicuntur κα-
τάματα considerabimus, nec non cardines id est ortum, occasum, mediū
& inum, conuersiones etiam regnorum & urbium & geniturarū,
ut intellegamus quibus regibus, regnis, populis, nationibus, ciuitatibus,
hominibus deniq; ea quæ portenduntur immineant, quibus etiam in
rebus damna sint obuentura, in domesticis ne facultatibus, an in di-
gnitatibus, an in uxore, liberis, prædijs, rebus uel alijs, an deniq; in
uita, pro natura loci quem signum illud obtinebat in genituris ho-
minum, in foundationibus urbium, in creationibus regum, in figura
conuersionis anni, quo in signo defectus factus est. Tempus autem quo
significationum effectus manifesti fient ex præceptis quæ superiore li-
bro tradita sunt, intellegetur. Horæ namq; & horarum minutæ par-
tes annos, menses, ac dies indicabunt. In primis autem considerare
nos oportet, an cardo eclipsi proximus, sit cardo diei noctis uel, qua de-
liquium fit, an figuræ conuersionis anni, an creationis regis, an funda-
tionis urbium, an genitura, & si est cardo diei noctis uel, quem locum
signum id tenebat in genitura, in foundatione, in regis creatione, ut iu-
diciū quod ferendū est, constare sibi possit. cum errare necesse sit, ubi
hæc fuerint neglecta. Quod reliquum est, quodq; aliàs diximus, nos
indifferenter pro arbitrio atq; ut locus ipse magis suadet. nomen ἀπο-
τέλεσμα conuertimus nunc effectum, nunc significationē, nunc de-
cretum, ut hoc loco, nunc iudiciū, nonnunquam operationem, actio-
nem, efficaciam.

PTOLEMAEVS

XCVII

R E S de qua est sciscitatio, breui perficitur, cum nouilunij seu plenilu-
nij dominus cardinalis est.

PONTANVS

Hoc præceptum ad quæstiones hoc est interrogationes tantum pertinere,
authoris ipsius uerba declarant, & ipsum per se quidem patet, Tā-
ta autem uis autoritasq; cardinū esse perhibetur, uti negotiū de quo

consultumur, non solum faciendum, sed breui etiam perficiendum de-
cernat, si dominus nouilunij, plenilunij uel in cardine sit inuentus. Li-
cet autem dominus ipse cardinalis sit, uidendum tamen ne in depres-
sione sua langueat, ne uel a maleficis stellis hostiliter irradietur. hæc
enim negotium ipsum non parum impediunt. Quod autem ad tran-
slationem ipsam pertinet, Græce ubi a nobis dominus dicitur est νύ-
πιος. ne quis pro domino accipiat dominatorem, qui Græce dicitur ἐπι-
κράτωρ. Et dominator quidē est qui pluribus maioribusq; præroga-
tiuis præditus est, dominus qui signo præest. uerbi gratia. Mars est do-
minus Arietis, Sol Leonis, Mercurius Gemnorum. Vbi etiam Græ-
ce est πρῶτος nos res transtulimus. Nam & rem & negotium Græ-
ce πρῶτος significat. Memnisse etiam debemus superiore libro di-
ctum esse. ubi dominator nouilunij cardinalis esset, significare quæ
toto essent mense futura. quod quidem non mediocriter confirmat hoc
quod nunc de negotio conficiendo dicitur, sed illic de dominatore tan-
tum nouilunij mentionem facit, hic de domino etiam plenilunij. In
enuntiato sexagesimo secundo, item sexagesimo quarto nullam de ple-
nilunij dominatore mentionem facit, præ se ferens aliam in re-
bus ac negotijs alijs considerationem habendam esse, & nouilunium
quidem principalius est, plenilunium secundæ cuiusdam authorita-
tis, cum nouilunium mensis cursusq; seriem inchoet, plenilunium nõ
ab se, sed ab nouilunio principium trahat. Dominum hunc plenilu-
nij nouilunijq; non putamus intellegendū qui signo dominetur, in quo
coniunctio oppositio uel facta est. nam de more suo dominum loci noui-
lunij aut plenilunij dixisset, sed potius signi dominum, quod coniunctio
nis oppositionis uel tempore horoscopat. Vidēdus est igitur dominus ple-
nilunij, si plenilunium antecessit interrogationem, sin nouilunium præ-
cessit, dominus eius inspicietur. Huic enuntiato adiecta etiam non nul-
la sunt in libris qui ex Chaldaeo conuersi sunt, quæ & si uana non
sunt, a Ptolemæo tamen hac in parte non traduntur, neq; Græcis in
codicibus leguntur.

PTOLEMAEVS

XCVIII

T R A I E C T I O N E S atq; crinitæ secundas partes in iudicijs fe-
runt.

PONTANVS

Cum dixisset maximas ac ualentissimas eclipsiū significationes esse, hoc

in loco docere nos uoluit, quam & cometarum & traiectionum habere rationem debeamus. Eclipses enim in caelo fiunt, cometæ in aëre. Et cometæ quidem cum stellæ non sint, ita tamen ignescunt ut stellæ putentur, contra Sol ac Luna cum sint stellæ & quidem luminaræ, fulgore repente ablato ac si deficient, obscurantur. quæ obscuraciones eclipses uocantur. Eam inquit de crinitis traiectionibusq; cū in aëre cernentur, rationem habere nos oportet, quæ habenda de ijs est, quæ non proprijs sed alienis, non primis sed secundis potestatibus nituntur, uiribusq; utuntur minoribus. Et secundaria quidem, sic enim uocari par est, ab stellis excitata, ac sursum ducta, raptaq; in corpusq; obdensata, in aëre cernuntur, quæ stellarum ipsarum opera, ut ab illis effecta merito dicuntur. At stellæ caelo feruntur, suntq; efficientes causæ. Itaq; primæ ac potissimæ illarum partes ad significandum atq; efficiendum sunt. quam ob causam prima maximaq; tribuenda ijs authoritas est, secunda uero auctoritas et, ut ita dixerim, mutua titia potestas secundarijs. Quæ autem sint quæ dicuntur secundaria Ptolemæus docet, crinitas & traiectiones nominans, quas ipse *κρίνις* traiectionis, & *κρίνις* sua id est Græca lingua uocat. Et cometæ quidem qui sint omnes intellegunt, traiectiones uero sunt, quas transcurretes stellæ nouo nomine quidam uocant, quales sunt ignitæ trabes & faces et titiones et iacula, quæ a iaciendo sicuti traiectiones a traiciendo nomen traxere, de quibus a phisicis cum de meteoris agunt, multa dicuntur. & nos ea uersibus complexi sumus. Hoc loco memores esse debemus etiam terij decimi enuntiati, quod est, cum coelestis affectio quippiam significauerit, adiuuicibus etiã corruptiuis stellis, hoc est secundarijs utere. Nā nec propterea secundarijs utendum est, quod primæ significationes earū sint, sed quod causæ primitiue cū nō tam sint in promptu, sitq; mathematico coniectura opus, ut in ipso initio dictum est, secundaria ipsa ut effectus quidā ex causis primitiuis manantes, signa quædam sunt, quæ causas ipsas indicant. Ea signa secutus mathematicus de causarum significationibus iudicium ferre certius poterit, quemadmodum medicus, qui & ipse quoq; signa sequitur de morbis. Sunt enim secundaria ipsa, indicia quædam coelestium causarum, sicuti signa quæ in morbis obseruantur, indicia causarum, unde morbi ipsi generantur. Igitur & hoc ipsum et quæ sequuntur enuntiata, cum traiectiones, & crinitæ secundæ quædam stellæ sint, post præcepta obseruationesq; de stellis quæ caelo feruntur traditas, conuenientissime obseruanda traduntur.

Ptolemæus

TRAIECTIONES aëris siccitatem indicant, quæ si ad unam partem feruntur, ab angulo illo uentum indicant. Sin in diuersas feruntur partes, aquarum immutationes, aëris turbationes, & exeratum incursiones indicant.

PONTANVS

Consentaneum erat, ut traiectionum crinitarumq; significationes quas secundas esse uult in iudicando, distinctius explicaret. Cum autem Ptolemæus ipse alias traiectionum, alias crinitarum significationes esse cerneret, primo loco de traiectionibus, secundo de crinitis præcipit. Traiectiones igitur quod a traiciendo dicuntur, ipso nomine declarant cuius naturæ sint, quodq; nunc in hanc, nunc in illam, nunc in aliam atq; aliam mundi regionem traiciantur, siquidem ab uno caeli tractu uersus alium impetu quodam actæ feruntur. unde etiã a quibusdam discursus uocantur. Quoties itaq; ab uno caeli tractu alium uersus feruntur, uentum ab eo a quo discedunt tractu flaturū denūtiant. uerbi gratia. Cum ab occiduo cardine orientem uersus discurrunt, futurum indicant ut ab occasu uentus paulo post oriatur, quod tractus ille unde traiectio ipsa labitur, uaporū abunde plenus sit. Quod sentiens Plinius ait, Fieri uidentur & discursus stellarum nunquam temere, ut non ex ea parte truces uenti exoriantur. quod nos carminibus quoq; testati sumus nostris.

Quin etiam qua se incandens nocte extulit ignis,
Ille quidem claro signans liquidum aëra tractu,
Inde ruet portis quam primum uentus apertis.

Vbi uero diuersis è mudi regionibus, pluribusq; simul è partibus traiectiones rapiuntur, uenti quoq; plures ac diuersi erupturi sunt, ipsaq; uentorum uarietas aërem turbabit. Inducatur etiam aquarum penuria ac raritas pluuiarum. Cum enim è uarijs traiectiones partibus ferantur, necesse est ut partes illæ sicis aspirationibus admodum abundent, è quibus traiectiones ipsæ constant, cuius etiam qualitatis uenti sunt. siquidem aridos halitus eos esse phisici uolunt. quin etiam aëris turbationem sequi necessariū est. multitudo enim exhalationum uarijs aëris tractibus impulsæ, cum & uenti & ipsæ sibi inuicem exhalationes aduersentur, turbas ut exatet oportet. Tanta hæc aridarū exhalationum copia, sine pluuiarum raritate et aquarum penuria esse nequit. Pluujs enim cessantibus, ac terra ipsa exhalado exucta

m m m

exicataq; ad apertis terræ foraminibus, cum aër inclusus exaleat, necesse est fontes quoq; ipsos arescere, quorū generatio est ab aëre in intimis terræ locis concreto, qui frigore addensatus in aquā conuertitur, qua manante fontes scattent, ac fluij labuntur. Atq; hæc quidem in aëre terrisq; a traiectionibus significantur. Quod uero ad homines qui in terris uiuunt, atq; ex aëre spiritum ducunt attinet, sic se habet. Traiectiones hæ præsertim ubi frequētiore atq; maiores fuerint, hostium incursus obnuntiant. Cuius rei ratio hæc uidetur esse, quod exhalationum harum cause sint stellæ calidæ siccæq; temperatura, quæ non aërem solum inficiunt, illum aresfaciendo, sed calefacto atq; exicato humani corporis sanguine, rubram bilem quæ cholera nunc dicitur magis ac magis incendunt, cuius proprium est propter insitam effervescentiam ad impetus uiolentos ac rapaces ferri. Quo fit, ut homines impellente cholera, sanguinis freno abrupto ad rixas, discordias, rapinas, demum ad arma rapiantur. quarum quidē rerum traiectiones sunt significatrices. Cæterū cause penes stellæ sunt, quarū motibus agitationibusq; elementa in diuersas qualitates ita uertuntur, ut nunc hæ, nunc illæ qualitates exuperent, de quarum exuperantia hæc ipsa quæ quotidie uidemus, efficiuntur. Ex his traiectionibus eæ quæ trabes dicuntur a multis, emicuisse referuntur, cum Lacedæmonij classe superati Græciæ imperium amisere, Fuluisse etiam in cælo sanguinea quedam species, quo tempore Philippus Græciæ urbes afflixit. Generantur autem et trabes et faces et iacula, quæq; alia sunt eius generis hac ratione et uia. Terra Solis radijs calefacta cum uaporum multorum plena sit, eos emittit foraminibus apertis atq; a calore dilatatis. Quod nostris etiam corporibus accidit, ut calore atq; aestu sudorem plurimum mittant. Ipsa terræ exhalatio duplex est, altera humidior, quippe quæ uaporosior est, altera siccior, quod exicato terræ humore qui exhalat spiritus fumidus est. Igitur halitus hic a calore sursum raptus, ubi ad altiores aëris partes perlatus est, assiduus exhalationibus auctus, tandem incenditur, incensusq; emicat, et pro ipsius longitudine latitudineq; nunc in facis speciem, nunc trabis, aliàs iaculi, aliàs etiam draconis ignescit. Ex eadem arida aspiratione et uenti generantur. Si quidem uentus (ut Aristotelicæ definitione utamur) est agitata quedam circa terram aridæ è solo aspirationis multitudo. Quocirca cum arida ex aspiratione et traiectiones et uenti fiant, naturale est, ut è qua parte traiectiones impelluntur, ex eadem et uenti perflent. Fit enim significatio, regione illam siccis halitibus refertam esse.

COMETAE quorum intercapedo est undecim signorum a Sole, si apparuerint in cardinibus, regni alicuius rex, aut ex principibus regni aliquis morietur. Sin in loco succedente, bene se habebunt quæ thesauri eius sunt, suum tamen gubernatorem mutabit. Quod si in loco declinante, morbi ac repentinæ mortes erunt. At si ab ortu mouetur ad ortum, externus hostis regiones incursabit, sin non mouentur, prouincialis hostis erit.

PONTANVS

Stella crinita, quam comatam non minus recte diceremus, quia nocturna quidem conspicitur, ea matutino tempore in orientis cæli parte primum apparere, nisi undecim a Sole signis remota nequit, si tamen a Sole in crinitam per signa subsequencia numerando progrediamur. quemadmodum fit in querendo loco partis fortunæ tempore diurno. Hac enim ratione undecim signis a Sole enumeratis, si comata stella in horoscopo fuerit, inuenietur Sol triginta sub terram gradibus auerter ab horoscopo distare. quoniã si propinquior esset, cerni cometes non posset, quippe quod Solari splendore afflatus, ac tanti luminis maiestate uictus omnino delitesceret. Eadem comata stella in parte occidui cardinis uespertino tempore apparere nequit, præterquam undecim a Sole signis remota, si tamen a Sole in crinitam, quemadmodum fit in querendo loco partis fortunæ nocturno tempore, per signa quæ antecedunt numerando pergemus, propter eandem quæ dicta est causam. Sol etenim triginta gradibus a crinita remotus, ac sub terras ab ortu præcipitatus oculere nobis illam nequaquam potest. uerbi gratia. Si cometes est in ortu atq; in ultimo Arietis gradu cerni mane poterit, Sole primū gradū Geminorū in hemispherio inferiori tenente, cū integris triginta gradibus a Sole absit. Poterit et uesperis in ortu cerni ubi in primo Libræ gradu fuerit, si in Sol in ultimo gradu Leonis constitutus triginta gradibus fuerit sub hemispherio nostro præcipitatus. Eadē etiam ratione uespertino tempore crinita stella in principio octauis loci qui succedit ortu, uidendam sese nobis offeret, si triginta gradibus a Sole distet, hoc est si eius intercapedo sit undecim a Sole signorum, numerando a Sole in cometen, per signa antecedentia, ac Sole prius sub terras delato, Necessē est igitur cometes ipse in

octavo caeli loco conspectus, primasq; Cancrī partes insidens, quo uideri possit, uti Sol ultimas Tauri partes peragrans, sub terris feratur. Item in loco declinante hoc est in duodecimo, matutino tempore cometes positus oculis se nostris subtrahet, nisi triginta saltem gradibus sit ab Sole remotus, hoc est ut undecim ab eo signis Sol recesserit, ab ipso Sole in cometen per signa subsequētia facta dinumeratione. Aliter enim in ipso Sol oriente, aut propinquiore in parte splendens, uisu nostro hebetato, cometen occultet, qui ut matutino tempore atq; in duodecimo loco et ultimo gradu Piscium constitutus appareat, necesse est saltem ut Sol in principio Tauri constituatur, dum tamen horoscopus non attingat. Haec est ratio, cur dixerit undecim signorū a Sole atq; in loco succedente ac declinante, non autem succedentibus ac declinantibus. Quoniam locus succedens in parte caeli superiore praeter octauū alius nullus est. Neq; locus declinans nisi tantum duodecimus intellegi potest. In loco enim nono qui a cardine medij caeli decidit, conspicia cometes nequit, Sole undecim signis, ut ante dictum est, ab eo remoto, hoc est locum caeli undecimum tenente. siquidem necesse est meridiano penè tunc tempus esse. Cardines plurali numero protulit, quod in occasu et in ortu hoc contingeret, qui duo sunt cardines. Haec ita sunt accipiēda, ut de matutino ac uespertino cometæ ortu dicta intellegatur, utq; in locis his cometes mane aut uespere oriri nisi undecim ut dictum est, signis inter Solem cometēq; interiectis non possit. Sed iam loquendi obscuritate discussa ad iudicia significationesq; ueniamus. Stella igitur crinita si ortum matutinum uespertinumue in cardinibus faciet, matutinum in gradibus orientis caeli, uespertinum in gradibus occidentis, mortem ob cardinum dignitatem regis regni eius quod signo in quo apparet subiectum est indicat. sin minus, magni certe alicuius principis ex ipsi principibus qui in regno illo dominatus habent. Quae mors citius accidet, ubi crinita matutinū ortum faciet, ferius cum uespertinum. Siquidem matutini exortus otius agunt, uespertini tardius. Eadem crinita cum exortum uespertinum in succedente hoc est octauo loco fecerit, mortē indicat regij administratoris, eius uidelicet, qui thesauris, ornamentis, regiaeq; supellectili praepositus est, et cuius curae est illa gubernare. Cum enim cardo regem denuntiet, qui cardinem ipsum sequitur locus, quod is locus censum denuntiet, et crinita quoq; eius qui regij census hoc est thesauri, ornatus, supellectilisq; curam gerit, mortem denuntiabit. Matutinus crinitæ ortus in declinante hoc est duodecimo loco morbos mortesq; ignobilium hominum decernit. Locus enim duodecimus cum ab cardine

declinet nec horoscopus uideat, sitq; hac ratione ignobilis, ignobilium hominum morbos, atq; ex morbis mortes et quidem repentinas, quamdoquidem eius repentinus exortus est, significat. Cum igitur crinita in cardinibus orientis aut occidentis caeli apparens regis mortem, in octauo regionum thesaurorum, ornamentorumq; praefecti, in duodecimo ignobilium hominum mortes denuntiet, argumentari ex his possumus crinitas stellas ortus matutinos, uespertinosq; quos diximus facientes, mortes semper portendere, ac nihilominus bella, bellorumq; casus significare. Sed bella ipsa ab externo mouebuntur hoste, si crinita in caelo mouebitur, ut appareat in ortum ab occasu ferri, quæ motus manifestior erit in ortu uespertino. siquidem hoc pacto crinita incedens a Sole magis recedit, quam cum est in ortu matutino, quod tunc Solem uersus feratur. Ex quo fit, ut breui deliteat radijs Solis umbrata, ut interdum diebus septem conspiciatur non amplius. Sin crinita ipsa steterit, ac perinde ut fixa manserit, bellum non ab peregrino et longinquo sed finitimo ab hoste inferetur. Motus enim ille crinitæ stellæ a loco in locum, motum quoq; hostilem ab una in alteram regionem indicat. Licet autem non moueatur, bellum nihilominus portendit, ipsaq; stabilitas atq; immotio hostem non aliunde moturū, sed in eadem regione finitimusq; locis rebus nouis studentem bellum excitaturum significat. ut non nunquam domesticus hostis futurus sit, ut cum ciuile mouetur bellum, non nunquam finitimus, ut cum finitimus populus in finitimum populum armatus insilit. interdum ex natione eadem, ut cum duæ nationis eiusdem gentes simul concurrunt. Quibus è rebus hoc quoq; argumentari licet uespertinos matutinosq; harum stellarū ortus non solum mortes sed bella quoq; semper portendere. Vnde nō temere ab docto illo Poëta dictum est, nunquam caelestium impune cometen. Virgilius quoq; Iulij Caesaris moriē quæ ciuile bellum peperit, cometen ait antecessisse.

Non alias caelo ceciderunt plura sereno

Fulgura, nec diri toties arsere cometae.

Quid quod uulgus gentesq; in eandem hanc sententiam conueniunt?

Ac de his haecenus. Quoniam autem diximus crinitum sidus nisi

noctu conspici non posse, uideamus quid Plinius ex Imperatoris Augusti

uerbis referat. His ipsis meorum ludorum diebus sidus crinitum

septem dies in regione caeli quæ sub septentrionibus est conspectum,

idoriebatur circa undecimam horam diei clarumq; et omnibus terris

conspicuum fuit. Quomodo igitur nisi noctu conspici comata stella

nequit, quæ circa undecimam diei horam conspicta est? An hoc sic

accipiendum est, ut dies non pro Solari, sed pro toto lucis ac tenebrarum spatio, quod est horarum viginti quatuor, accipiatur? atque undecima illa hora non diurni sed nocturni temporis fuerit. Namque corona et circuli qui circa Solis orbem cernuntur, quod nisi diurno tempore non fit, in numero crinitarum de quibus diximus, non habentur, neque de his auctor hic noster sentit. Illud omnittendum non est, cardines et locum succedentem, declinantemque accipiendos hic non esse aut genituræ, aut creationis sed figuræ ortus crinitæ ipsius, hoc est iuxta positionem ac cæli situm tempore quo conspici cœpta est, iuxta quam figuram iudicare debeamus. Nequid autem omissum a nobis videatur quod ab Ptolemæo ipso de crinitis stellis secundo apotelesmaticum libro traditum est, illud statim subiiciemus, quod est huiusmodi. Observandæ autem crinitæ stellæ siue illæ eclipsi tempore siue quancumque conspectæ sunt, generaliter etiam, ut quæ dicuntur trabes, lituæ aut doliæ, quæque huius generis, quippe quarum naturæ sint, ea facere quæ Martis ac Mercurij propria sunt, bella et æstus, quæque ex quibus hæc significatur, eorum ciendorum vim habent. Earum significationes capiuntur a partibus signiferi in quibus conspiciuntur et a figuris comæ innotibus loca, quibus mala imminet. Species, euentus et genus rei eius in qua detrimentum accidet, a signis in quibus sunt, a mora temporis malorum productio, et ab habitu ad Solem initium eorum. Etenim crinitæ in oriente plerumque apparentes celeritatem designant, uespertinæ tarditatem. Ne autem quæ remotissima sunt a nostra memoria, semper referantur, prius quam Tamyris siue ille Tamorlanus uocatus est, Scytharum ac Parthorum rex, cum innumerabili manu Asiam inuaderet, longinquus è terris mouens in orientis cæli cardine ingens cometes conspectus est, qui ortum uersus ferretur. hunc haud multo post ingens Asiæ penè totius clades secuta est. Nobis adolescentibus insignis etiam cometes ad orientem in Cancris Leonisque reginibus multis diebus fulsit, tantæ longitudinis ut amplius quam duo cæli signa comæ suæ tractu occuparet. Eum secuta est Alphonsi regis mors quæ Aemiliam, Sabinam, Campaniam, uniuersumque regnum Neapolitanum et longo et graui bello implicauit. Secuta est et pestilentia aliquanto diuturnior. Annis his superioribus cometes alius tenui primo capite, comaque admodum breui conspectus est, mox miræ magnitudinis factus, ab ortu deflectere in septentrionem cœpit, nunc citato motu, nunc remisso, et, quod Mars Saturnusque uterque repedabat, auersus ipse prægrediente coma ferebatur, donec ad ipsas arctos peruenit. inde cum primū Saturnus ac

Mars recto cursu pergere cœperunt, in occasum iter flexit, tanta celeritate, ut die uno ad triginta gradus emensus sit, atque ubi ad Arietem ac Taurum peruenit, uideri desijt. Hic et dies plurimos fulsit et quæ initio breuior uisus est, adeo creuit, ut quingenta gradus atque etiã amplius occuparet. Non multo post Vssonus Cassanus Parthiæ atque Armeniæ rex, ad Euphraten profectus eo consilio ut Asiam inuaderet, collatis signis cum Mahometo Turcarum rege ita dimicauit, ut qui in gentem et inferret et acciperet cladem. Duo enim potentissimæ exercitus, duo maximi duces in paucis diebus bis conflixere. Eodem tempore Alphonsus Portugalliæ rex satis magna classe in Africam traiecit duas nobilissimas urbes Tingin et Argillam uic cepit, oramque Tingitanam armis subactam imperio suo adiecit. Sensim usque temporibus uniuersam Hispaniam quassari bello, et Erricum regem diem obijisse, Carolum quoque Burgundiorum ducem aduersus finitimos quosdam populos regulosque eo impetu mouisse arma, ut multorum etiam annorum bellum excitauerit, quod nuper eius morte uix finitum est. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto a natali Christi die, mense Augusto crinita stella in orientis cæli parte uisa est, quæ ab ortu ipso ad medium cæli crines diffunderet, fulsitque circiter mensibus tribus, nec ante desijt uideri, quam Urbanus Pontifex Maximus diem obijt. Quid etiam secutum est? Mouit è Gallijs cum exercitu Carolus, superatoque Manfredi regnum Neapolitanum occupauit. biennio post Poeni in Hispaniam traieciunt, magnasque clades inferunt, tandemque fugati ac caesi. In Hetruria quoque magni tumultus excitati, ac prelia facta sunt. Anno tertio ab comete Banducar Babyloniorum atque Assyriorum rex Armeniam ingentibus copijs inuasit, Antiochiam expugnauit, stragemque ingentem Christianorum edidit. Anno post Corradinus uictus captusque a Carolo rege de quo dictum est, ac securi percussus. Anno sexto ab comete Ludouicus Gallorum rex in Africam traiecit, Carthaginē uic cepit, nec ipse multo post mortuus est, magna parte exercitus pestilentia absumpta. Cuius morte cognita Carolus de quo dixi cum in Africā traiecisset, Pœnorum regem ad tributa quotannis pendenda compulit. Anno post Scythæ quos Tartaros hodie dicimus, Armenijs opem ferentes, Assyrijs hoc est Sarracenis fugatis uictisque Asiam liberauerunt, quam Christianorum concessu diutius tenuerunt. Atque ut quæ etiam uia crinitæ stellæ fiant pateat, ipsa rerum natura contemplanda est. Terra ut grauiissima, sic etiam infima et media est eorum corporum, quæ quod sint rerum principia, elementa dicta sunt, in quam ut mediam et infimam cuncta

ferantur. Nam & coelestium corporum radij in eam rectissimo lapsu descendunt, & quicquid substinere diutius aer nequit, suoque impulsu decidens terrae sese infundat. Ipsa uaporis & halitus nutricula, Solis radijs calefacta quos accipit humores, quos etiam aut sibi insitos celae aut extrinsecus acceptos vapores utero suo fouet, assidua uicissitudine remittit, quos rursus ab aere ipso remissos, atque ab Sole stellisque discussos, moxque dissolutos accipit ultro citroque nunc illos exorbentes, nunc contra euomens, alternis his uicibus assidue usa. Cuius alternae uicissitudinis cum Sol generationis auctor potissima causa sit, tam diu ipsa remittendi accipiendique alternatio constabit, quam diu coelum ac coelestium sex stellarum moderator ipse ac princeps Sol terram circumuehetur. Et quoniam quae è terra euolant, in aliquem necesse est locum euolent, neque è densissimis atque infimis locis praeterquam ad ea quae minus rara & supraposita sunt, euolare queunt, qualis aeris natura & situs est, qui & terram & aquas ambitu suo complectitur, nimirum aer ipse receptaculum est omnium quae è terra aquisque euaporant, halant, aspirant, sursumque subleuantur. Dicere de singulis uaporibus halitibusque & quid de quo fiat uapore halitusque, atque unde himbres, niues grandinesque & quomodo generentur, loci huius non est. Et illa quidem humidis è uaporibus sursum perlatis, paulatimque coactis mox solutis fuit. Contra comata sidera è siccis aspirationibus ad superiores aeris partes raptis. Duae namque sunt in aere ipso regiones & tanquam cellae promptuariæ, altera humilior, sublimior altera, pro natura eorum quae ibi recipiuntur. Et humilior quidem frigidaria quod ibi conueniant quae mox coacta, concretaue frigore in pluias, grandines aut niues abeunt. Sublimior altera calidaria dici recte potest, in qua quae aridioris, calidioris uel natura sunt plata, & quae maxime arida sint incensa, diuersa specie in unum tamen compacta cernuntur. Sed minime frequens & maxime admirabilis species cometarum est. Namque ubi aridae terrestresque illae aspirationes, diuturniores atque maiores fuerint, tunc in calidariam cellam rapti, effumantes illi halitus, pauciores primo ac rariiores, mox accedente multitudine densiores facti, post magis ac magis coacti ariditate, atque spissitudine sua & quodammo do in fuliginem uersi coelestium corporum radijs percussi, incensesque inflammantur. Quodque uniuersa illa materia momento eodem in corpus illud non cogitur, sed paulatim coalescendo, sibique inuicem inherendo, ita ex quo coepit crescit, alimenti incendio subministrante halitu, post exuperante incendio, deficientibusque alimentis euanescit. Antequam quam euanescat conglomeratio illa coalescendo, inherendoque in-

feriore a parte, quod ascensus ab inferioribus fit, quaedam quasi comata cernentibus uidetur. Cum sit coacta simulque inherens materiae tractus longior, quod in apibus uidemus, quae ramo arboris suspensae dependentesque uuarum racemi speciem reddunt, & in mulieribus incendentibus cum uestes posterius trahunt, quanquam pro materia suffumigata compactione non unam semper sed aliam atque aliam speciem praefertant, ut ab iis qui de meteoris tractant distinctius tractari solet. Nobis satis nunc sit & causam et uiam qua comata stellae generantur ostendisse. Quae quauis ab ortu occasum motu eo quod diurnus dicitur rapiantur, tamen nunc aduersae, nunc obliquae, nunc etiam sumosae, & alias celerius, alias tardius mouentur. Cuius rei causa est tum materiae copia maior minorue, tum stellarum radij uel trahentes eas, uel impellentes pro qualitate aspectus & uirium efficacia.

FINIS.

PONTANI DE REBUS COELESTI
BUS LIBRI XIII.

EIVSDEM LIBER DE LVNA
IMPERFECTVS.

P. SUMMONTIUS ANDREAE MATTHAEO AQUIVINO,
Hadriensium Duci S.

Etsi statueram, editis iam Pontani carminibus ac dialogis, eos deinceps, quos ille de Philosophia scripsisset libros, potissimum edere. Tamen cum a Syncero ac Pudrico nostro nuper essem admonitus, te praeter egregias alias tum pacis, tum belli artes, quibus ipse a puero floruisse, Astrologiae quoque studio mirifice delectari, mutavi sane libenter consilium, ut ad eam conuersus, tibi praecipue gratificarer. cui siue ob antiquam generis nobilitatem, siue ob integritatem uitae, raramque illam (ut alia omittam) animi mansuetudinem, nihil omnino est, quod ab omnibus non debeatur. Valent enim haec (ut scis) plurimum ad beneuolentiam conciliandam. quae ut uehementior tibi exhibeatur, illud etiam est in causa, quod ex principibus uiris, ac regulis nostri temporis, quos quidem colere ipso dignitatis iure solemus, aut nulli omnino, aut perpauci sint, tantum ab antiquorum institutis degenerauimus, quos aequae ac te literarum studia commendent. ut mirum non sit, si praeter multa fortunae ornamenta, plurimamque animi bona, quibus abinde clarus, atque omnibus carus es, literarum quoque ac doctrinae fama ad amoris atque obseruantiae cumulum tantam faciat accessionem. In illis namque ita cupide uersaris, atque ita eas rebus plane omnibus anteponis, ut dicente non semel multi audierint, si e duobus malis (quod longe absit) eligendum forte minus esset, malle te cunctas simul opes, quam literas amittere. O uocem generosam, o rarum nostro hoc tempore exemplum. Sed iam ad Pontanum. Huius tibi nomine, quicumque ipsius ex academia sumus, magnas iure gratias habemus. Ea enim prosecutus es mortuum pietate, ut, dum a tenebris scripta eius uindicarentur, neque pecunia nobis, qui haec curauimus, neque ulla re alia defueris. Quamobrem accipe nunc magnum hoc Pontani tui opus de rebus caelestibus, iam pridem tibi auctore ab ipso dedicatum, atque una exquisitissimas in centum Ptolemæi enūciata commentationes, cum exactiori etiam ipsorum è Græco in Latinum sermonem conuersione. Sed de rebus caelestibus illud in primis testatum uolo, non licuisse scriptori summam operi manum imponere. qui ppe qui et recogniturus adhuc esset singula diligentius, et libros quoque alios his quatuordecim (ut ipse pollicebatur) duos aut tres de climatum ratione additurus.

Vale.

95
IO ANNIS IOVIANI PONTANI AD
ANDREAM MATTHAEVUM AQUIVIVVM HADRIENSIVM DVCEM DE REBUS COELESTIBVS LIBER PRIMVS.

RISTOTELES rerum naturae indagator solertiss. Andrea Matthæe, manare caelitus tradit generationis nostrae primordia, indeque tanquam potiore a natura proficisci. Coelestia enim ac superiora illa sempiterna quidem esse censet, immortalisque conditionis sorte praedita. At inferiora haec nasci, augescere, nunquam profus consistere, numeratumque interire, tametsi sua quaeque a specie conseruantur. Qua ratione et ipsa quoque aeternitatem sint adepti, conditione autem longe inferiore. Quando illa ipsa agendi, ut superiora, haec autem, ut inferiora, patiendi sunt naturam consecuta. Et altera quidem inducendae formae prerogativa auctoritateque oritur, altera uero subministrandae tantum materiae seruiant, peculiariter ministerio huic apposita. Ut tantum prope quidem, ne examinatus loquamur, interesse uideatur, si comparatione, hac in parte ut liceat, quantum mares interest ac foeminas, in ipso hominum genere, quos natura ipsa, sexu quoque suo discreuerit. Quippe quae perfecti imperfectique rationem discriminatim esset habitura. Rursus eos ita simul in generatione ad procreandum conaliat, ut ex illorum conaliatione et copula, generatio passim substituatur. Qua in conaliatione et coitus eo apparet agnosciturque praestantior, auctoritatisque magis perspectae, quod ei ut mouenti ratio inest, et cum ratione simul forma. Secus autem usuuenit in foemina, cui materiae unius indita est tantum suppeditatio. Siquidem motus ipsius principium, omnisque auctoritas penes marem existit, cui ut auctori, quod dictum est, ratio inest ac forma, cuius ipse moueatur gratia. Quam etiam utranque inesse fabro in aedificandis nauigijs, et figulo in fingendis amphoris certum est, motu ipso hoc praestante. Quod igitur inest artificij in effigiandis statuis, in consuendis uestibus, in generanda prole maribus, an non inerit et caelo, a quo, ut certum est, generationis

rerum ducantur primordia? Siquidem coelum per se ipsum mouetur, ceteraq; mouet omnia. Inde nanq; defluit sempiterna illa quidem agendi ac procreandi facultas, inde calor ipse animalibus insitus ac seminibus, a quo rerum foecunditas, et ea quam proliferationem appellare placet, proueniunt, inde suscitatio spirituum, omnisq; animalis commotionis existit causa atq; origo. Hic etenim ipse calor alimenta in usum corporis ac uitae sumpta ita concoquit, ut in sanguinem uertat, per quem decoctum defecatumq; ac per uenas meatusq; digestum, & tanquam instillatum, generatio existit ac uita. Eius etiam sanguinis modificatione & habitu, corporum status, animorumq; applicationes et studia, mores item ipsi hominum proficiuntur. Perinde uidelicet ut sanguis ipse tenuis aut crassus fuerit, liquidus aut turbulens, syncerus aut corruptus, fluidus seu lentus, rufus aut forte albidus, feruētior aut remissior, proq; alijs affectionibus uariauerit. Hæc autem ipsa uarietas est motus temperatione, atq; excrementorum qualitate manat, deq; solis cum primis euectione, stellarumq; erraticarum, per coeli partes ac signa. Siquidem uti domicilium sanguinis est cor in corpore animalium, quæ sanguine quidem constant, suusq; idem ipsum existit uitalium spirituum fomes, sic sol ipse quidam quasi fomes ac fons est caloris, ut uitæ quidem ipsi & author et constitutor. Atqui fabrile æs & exciditur & informatur ferrario a fabro, pro mensura tum caloris, utq; ignitum illud et candens fuerit, tum pro magnitudine ac modo ictuum, fibrilisq; uersationis, hoc est pro quantitate motus, motorisq; temperamento. Coelestes igitur agitationes (si de coelo celestibusq; actionibus in hunc loqui modum fas est) procreando in homine, marium quidem partes obeunt, inferiora uero hæc corpora foeminarum. Ac quemadmodum cor, quod primum est in animali constituendo, partes corporis reliquas procreat ac disponit, pro affectione quidem sua, proq; insita ui ac potestate, sic sol ipse coeli cor, mundi q; totius, perinde atq; affectus fuerit, inferiora hæc, seruitioq; apta corpora mouet ac disponit, quæ quidem ipsa materiam illi subministrent, perindeq; ut mulier uiro subseruiant. Ne autem ab hominis ipsius generatione recedamus, qua ratione, quaq; uia uirile semen in menstruum foeminae sanguinem sese insinuat, insinuatumq; atq; immixtum, sensim eum afficit, affectumq; paulatim informat, eadem utiq; ratione sol horum (ut sic loquar) excrementis corporum insinuat, suisq; in illa illapsus radijs, motu caloreq; ea suo afficit, affecta temperat, temperata fouet, animamq; per quam quidem ipsam, animata hæc uocantur, & quorum ipsa substantia est, il-

lis pro natura excrementorum, proq; obiecta sibi materia indit. Ut mihi quidem iure maximo dixisse uidear, si dixerò terram hanc aquis oblitam mundi totius uterum esse, in quam ueluti in mulieris uterum excrementa generationi accommodata conueniant, quæ de solis calore facta, post concipiant, ac si genituali a semine calefacta, & pene dixerim fermentata, suosq; tandem conceptus, tempore etiam suo proferrant. Atq; ut minutulae illæ, & quidem non pauca corporum ipsorum uenæ passim duabus a uenis, quæ maiores dicuntur, deriuantes, ad uterum pertendunt, foetuiq; sufficiunt alimenta, sic a sole Lunaq; (nam & Luna tanquam foemella materiam & ipsa humectando comparat ac sufficit) errantium maxime stellarum radij digredientes, mixtimq; ab utroq; temperati, atq; ut ita dixerim, imbuti, alimentum quasi quoddam de utriusq; aspectu copulatione uel mutuati, foetui illud exhibent. Eius ipsius affectione & qualitate corpus quoq; afficitur. Nam & capellæ & oves & buccellæ, quem salem, herbarum ante pastum delinixerint, eius salis (ut Virgilius inquit) occultum post in lacte saporem referunt, Et mella delibati ab apibus roris gustum pro florum natura herbarumq; representant. Ad hæc in ipso corde ut in principe atque authore constituendi corporis membra insunt etiam omnia, partesq; informandæ, quæ in initio quidem nullæ apparent, sensim tamen & disponuntur distributum cunctæ, & in uniuersum suo & loco constituuntur & ordine, pedetentimq; coalescendo perficiuntur. Idem quoq; contingit in solis calefactione ac radijs, quod in rerum seminibus, e quibus post erumpunt uiuentia, atq; eo quidem magis, quod sol ipse seminum est omnium altor & disseminator, atq; (ut Virgilius eidem assurgens canit) Terrarum flammis opera omnia lustrat. Quod quidem ipsum non tam mihi pertinere uidetur ad lucem per orbem terrarum a sole diffusam, etsi pulcherrimum hoc quidem est, quam ad opera ipsa terrarum, id est ad res e terra prouenientes, atq; in lucem editas, quas irradiatione sol sua inuisens excitat, fouet, animat, animataq; tuetur ac conseruat, nec patitur aut pereuntes prorsus interire, aut intercadentes nusquam quidem resurgere. Quin etiam terra ipsa ut parens animantium, utq; illorum alitrix, cum ea ex anima constituantur & corpore, corpora quidem sponte sua, suaq; ex alimonia illis tribuit. Etenim plena est materia atq; excrementorum, quæ usui sunt tum fingendis, tum augendis conseruandisq; corporibus. Quippe cum uterus ea sit mundi (ut dictum est) totius, id quod foeminae quoq; ipsius quo cumq; in genere proprium est genuendis atq; alendis foetibus.

Corpus enim foetus ipsius maternum quidem munus est. At uero maris officium ac suum eius omnino munus est, foetus sensum indere, a quo indito existit ac nominatur animal. Quo circa coeli quoque suum ac peculiare opus est, animam uegetabili adiungere, eam scilicet que sensu suo praedita moueatur, seque etiam gerendis rebus peculiari ingenio et instituat et accomodet. Quam ad rem seruitio aeris ac ministerio uehementer utitur, quando necesse est animal ipsum, quod sensu diuersis quoque utatur modis, etiam spirare. Spiritus autem ipse calidus et humens est. Ut igitur natura haec inferior coelesti ab illa tantopere degenerans, cuius ipsius proprium est generare, et corrumpere, magisterio utitur ac principatu cordis unius ad animalem procreationem. Sic natura illa superior, inferioribus his fouendis Sole utitur, in cuius quidem motu atque calore insunt haec ipsa omnia, quamquam alio modo, perinde ut in corde membra insunt, partesque omnes corporis dum formatur. Quin etiam ut cor ipsum postmodum officio utitur operaque praecordiorum, ab se ipso auctore ac magistro constitutorum, simili Sol modo utitur errantium stellarum ministerio, afficiendis ac uariandis rerum inferiorum qualitatibus, eiusdemque diuersa etiam ratione ac uia temperandis. Quarum est temperationibus inferiora haec constant sibi, ac ne intereant earundem stellarum praesidijs est prospectum. Quo circa sapientissime quoque, atque est re ipsa dictum est, generationis nostrae primordia a caelo duci, et tanquam fundamenta ab eo iaci. Quid? quod ut est sanguine atque a corde ortus noster, id est hominis ducitur procreatio, et quo etiam modo sanguis ipse in initio affectus fuerit, futuri etiam sunt hominis cuiusque affectus, animorumque propensiones ac studia. Item sanguis ipse futurus est, quo modo, quoque habitu, qua etiam mixtura ac fermentatione a Sole affectus fuerit, alijsque item a stellis temperatus. Haec autem ipsa stellarum, coelique actionum ac significationum cognitio, eius est disciplinae propria, quae a Graecis dicta est ἀστρονομία, est nostris quidam Syderalem uocauerunt, de qua quidem scribere aggressi sumus, tum propter cognitionis ipsius nobilitatem, omnis namque de caelo, deque syderibus, quibus nihil est in rerum natura nobilius, consideratio est, tum etiam ob utilitatem, et eam quidem maximam. Futurarum enim rerum euentibus cognitus, infelices ubi portenduntur, licebit multo prius instituire animum ac confirmare ad ferendos casus fortiter, si euitari forte nequeant, aut si euitabiles ipsi fuerint, uel prouidentia lenire eos, uel solertia omnino fugere, ac tanquam elabi ex insidijs. Sin felicitas promittitur, consiliu, industriam, operamque illi propriam adiungere,

adiungere, an est aliud quam adhortari atque excitare currente? Quod in agro quauis fertili usuenit, ut uberiores ex eo segetes proueniant, ubi diligens cultus accesserit, rei que rusticae studiosa procuratio, ac uigilans cura. De necessitate uero coelestium significationum, deque illarum euitatione et fuga differere argutius, magisque expresse atque enucleate, in aliud tempus locumque differimus. Illud in parte hac tantum admonemus, coeli syderumque decreta, alia prorsus esse inuitabilia, alia quae non facile euitari queant, quaedam etiam quae facillime, ac propria tantum uoluntate cohibita. Ac tamen si cognitio haec parte sui non exigua coniecturalis est, ut Medicina, ut Oratoria, ut militaris, ac naualis res, Nihilominus quantum ingenio assequi ac labore possumus, quatenus etiam disciplina ipsa patitur, significationibus ipsis naturales adiungere causas nitimur, eoque naturae abditis ratione eruere, et qua etiam uia proficiantur ostendere, id quod scriptorum nullus, quorum memoria habeatur, hactenus praestitit. Quorum siue rerum naturalium ignorantia, siue lagore animi ac negligentia factum est, ut admirabilis ac diuina res penes anilis ac ridicula sit effecta. E ueteribus autem qui Latine de his scripserint, qui quidem fuere permulti, et clari admodum uiri, hodie nullius scripta extant, praeter paucos et multis libros, eosque non integros, quos Iulius Maternus ad Mauortium scriptos reliquit, qui si omnes simul extarent (dicere hoc ausim) haud multum disciplinae huic defore ad perfectam cognitionem significationum ipsarum. Hortatu autem tuo effectum est Andrea Matthae, ut rem supra uiginti annos intermissam Regias ob administrationes, rerumque (ut scis) maximarum curam, senex iam et annis confectus ac curis, profligata Gallorum incursum, bellicisque impressionibus magna est parte re familiari, exutusque ipse honoribus, quos maximo labore, summa integritate, ingentibus periculis, meo tantum unius ingenio, propriisque animi uiribus mihi comparaueram, eam nunc ex integro susceperim, potius quam resumpserim.

P RINCIPIO satis constat inter philosophos et nascendi et moriendi causam esse motum. Mouendi autem et si nec principium nec finis est ullus, hic tamen atque ille motus et incipit et desinit suo tempore. Cum uero tempus fluat est motu, sitque eius observatio quasi quaedam, quin etiam cum sit utriusque naturalis quaedam

atq; orbiculata successio. Nimirum ut ex initio finis, sic occasus prouenit ab ortu, estq; ex alio in aliud ordinata quaedam, sibiq; ubiq; constans immutatio, atq; conuersio. Quando nec ab initio ad finem absq; medio est uia, nec in occasum ab ortu nisi per meridiem. A uere autem in autumnum nisi per aestatem, rursus in hyemem ab aestate nisi autumno intercurrente transitio nulla est. Has anni temporumq; conuersiones sequitur rerum, animantiumq; tum uita & mors, tum generatio & corruptio. Quaecunq; autem generantur, ea quatuor constant e principijs, igne, aqua, spiritu, qui Graece aer est, ac terra. Quae cum sint corpora, nihil ex ijs fieri nisi corporeum potest. Porro rerum prouentus atq; incrementa fiunt a calido, humido, frigido, & siccato. Neminus autem dubium est calorem ac siccitatem die atq; a Solis radijs augeri, humecta uero atq; frigentia noctis umbra foueri atq; excrefcere, tum propter absentem Solem, tum ob Lunae praesentiam, cuius motum naturamq; humida maxime sequantur, aestas quoq; et hyems, uer item atq; autumnus, dies quoq; ipse haec manifestissime declarant. Quare cum a motu sit procreatio, a quo ipso corporum cientur qualitates, ipsius uero motus dimensionem quasi quandam tempus esse appareat. Nimirum generatio ipsa cum primus uidetur ad Solem referenda, qui author est & temporis & caloris. Atqui cum Sol & ipse moueatur, sitq; alias aut propinquior nobis, aut remotior, atq; pro ea coeli regione quam peragrat, ipsum etiam coelum uel maxime conferet generationi.

Cur ab Ariete sit principium Zodiaci.

In eo autem coeli tractu quem Sol medium secat, Signiferq; a nostris est dictus, loca sunt quatuor sibi e regione aduersantia. Ad eum itaq; locum qui in septentrionem tollitur, sitq; terris nostris propinquior, Sol ubi peruenit, ardentissimos aestus e sublimi atq; imminente coeli parte excitat. Quocirca cum oporteat genitalem calorem esse moderatum, uidetur locus hic procreandis rebus minime idoneus, huic uero oppositus multo minus, quod in austrum recedens Solem ipsum e longinqua atq; obliqua parte nobis abstulisse uideatur. Efficiturq; ut frigora inde intemperantissima subsequantur. E duobus reliquis licet mundum aequis uterq; diuidat partibus, pariq; a nobis distet spatium, tamen alter cum in frigidum a siccato abeat, in mortem potius spectare quam in generationem ui-

detur. Quo fit, ut qui humidum calido temperat locus, is procreandis rebus sit quam accommodatissimus. Itaq; uere solum fieri rerum prouentum uidemus, contra uero quae autumno conseruerat, hyeme tandem confecta conadere, unde rerum naturae doctissimus Poeta inquit.

- Non alios prima crescentis origine mundi
- Illuxisse dies, alium uel habuisse tenorem
- Crediderim, uer illud erat, uer magnus agebat
- Orbis - Cur autem ita crederet, rationem hanc affert,
- Ver adeo frondi nemorum, uer utile syluis,
- Vere tument terrae, & genitalia semina poscunt.

De duodecim signis in triginta gradus singulatim distributis.

A b hoc itaq; loco, eius quem diximus Signiferi principium fecere rerum caeli periti, atq; in duodecim aequas partes dimensi singulas appellauere signa, unde singulus ipse a nostris Signifer, a Graecis ζωωνος est uocatus. Ac primum quidem signum in quo Sol ab austro regressus lucent tenebrasq; ex aequo diuidit, uocauerunt. Arietem. Singula autem signa in triginta sunt aequas dimensiones partiti, easq; a Solis gressu recentioribus placuit scriptoribus appellare Gradus, quas Latini ueteres Partes uocauerunt, cum a Graecis dicantur μορια. Et primi quidem illi stellarum inspectores cum die Solem, noctu Lunam tenere caeli principatum cernerent, sentirentq; quanta utriusq; in terra, aquis, atq; aere uis esset, Lunam nocti, Solem diei praefecere. Quodq; intellegent singulis triginta diebus una eos congregari & tanquam coire, illud omne caeli spatium quod interim dum Luna redit ad congressum, Sol ipse peragrasset, signum unum esse uoluerunt, a primo Arietis gradu exorsi. Quantum autem caeli die uno Sol inaccessu confecisset suo, hoc totum spatium signi partem uocauerunt. Quae e re factum est, ut ipsum illud interuallum quod appellare signum placuit, in gradus id est partes triginta aequa ratione diuiderent. Quam etiam cum obseruatio ipsa docuisset Solem ad Arietis initium partibus trecentis ac sexaginta peragratis regredi, omnem eum angulum in signa duodecim diuisere. Etenim triginta illae partes duodenario ductae numero, quam diximus summam omnium Signiferi partium integram faciunt. Hac igitur potissimum ratione uni-

versus ille orbis in duodecim ab eis est signa distributus. Id autem quod interlaberetur temporis, dum ad Solem Luna regreditur, ab ipsa Luna dictus est Mensis, a Solis uero ambitu, dum ipse ad locum reuertitur, unde duodecimo ante mense discesserat, interiectum illud tempus uocatus est Annus, utrunq; per apposite. Nec uero me præterit, Aegyptios quosdam scriptores existimasse eos qui primi coelum in signa duodecim diuisere, hanc fuisse rationem secutos, quod quatuor essent anni tempora, quorum singula tribus constarent mensibus, quo numero quatuor illa tempora semel ducta duodeuonarium numerum conficerent, Alios quod quatuor essent rerum principia, unde omnia fierent, eaq; tribus his, principio, medio, ac fine continerentur. Itaq; quaternarium illum numerum ternario hoc productum ad Zodiaci signa fuisse translatum. Atqui magis secundum rationem fuisset, antea considerare, cur signum quodq; è triginta ceteri momenti constitutum, quo cognito facilis quidem erat reliquæ constitutionis explicatio. Sed iam ad alia transeamus. Quando de motu, de Luna, de genitrali ardine, de Zodiaco cur in duodecim distinctus sit signa, cur etiam signa ipsa è triginta fuerint momenti confecta, abunde iam differuimus.

De Qualitatibus duodecim signorum.

Nec uero eorum quæ gignuntur quicquam fieri nisi è quoquam potest, materiam enim existere oportet aliquam, è qua quid efficiatur, Quod quidem in fabrilibus & ijs quæ manu fiunt artibus uidemus. Quocirca cum materię proprium sit formam suscipere, erit eiusdem quoq; proprium, hoc ipsum non modo pati, uerum etiam ad patiendum naturaliter affectam esse, quippe cum ut marem foemina, sic materia ipsa suapte natura formam appetat, cui suscipiendæ præsto semper est. Quocirca cum hoc ipsum pati materię proprium sit, nec forma nisi ab aliquo queat authore dari, cuius proprium sit agere, uidentur enim hæc uis propria. Requiritur enim id quod nec immutari, nec corrumpi ualeat, nullasq; sibi aduersantis uires sentiat, in quod nec aliud conuertatur, nec eius in aliud sit conuersio. Hæc autem ipsa uis & cœli & stellarum, quæ cœlo feruntur, propria esse uidetur, maxime uero stellarum earum, quæ terris sunt propinquiores, eiusq; cœli tractus, in quo stellæ ipsæ cursus suos errando conficiunt. Harum autem stellarum cum Sol princeps sit ac mo-

derator, a quo aliæ quidem abesse nisi breuibus quasi quibusdam deambulationibus nequeant. Aliæ uero ubi longius processere, quasi conspectum eius requirentes, retro ad eum conuertantur, Luna quoq; ipsa, cum lumen ab illo quotidianum mutuatur, Nimirum quem querimus authorem procreationis & tanquam parentem Solem esse manifestum est. Hinc ueteres Liberum eum patrem agnomnarunt. Quando autem nec cœlo, nec stellis frustra est motus a natura datus, ac motum ipsum procreationis causam esse constat, uidemusq; inferiora hæc corpora cœli ac syderum orbiculationes sequi, tantasq; fieri rerum omnium uarietates ac uicissitudines pro loco tamē ac tempore, dubitandum non est, aliquos esse cœli tractus, qui hæc quàm illa corpora, ipsorumq; corporum qualitates magis minusue afficiant. Ad quæ loca ubi Sol, Luna uel, aut stellarum aliqua, siue ipsa sola, siue alij coniuicta peruenerit, aut hostilibus ea radijs percussit, annis uel illustrauerit, tunc mirum in modum locorum uires augeti, præstidio addito, aut ab hostica configuratione imminui. Quam tum conuenientiam, tum dissensionem elementa ipsa, quæq; ex elementis constant, non in qualitatibus modo, uerum etiam in substantijs ipsis referant. Et alia quidē statim, alia uero serius, pro rerum, syderumq; natura. Etenim quatuor hæc corpora quæ ignem, aquam, terram, spiritum id est Græco nomine aërem dicimus cum rerum sint principia, nec præter ea sit aliud rationis eiusdem, sintq; tam subiecta motibus, quàm uidemus, necesse est etiam in cœlo a quo mouentur eiusmodi uim inesse, quæ quodammodo foueat, & tanquam astruat materiam in qua sese exerceat. Quocirca signa ipsa alia ignea, Arietem, Leonem, Sagittarium, alia aquea, Cancrum, Scorpionem, Pisces, esse comperitum est. Atq; ut Signifer ipse quadraretur, quoniam Taurum, uirginem & Capricornum terræ, Geminos, Libram et Aquarium aëris magis qualitates aëre, diuturna observatio docuisset, hæc quidem aëria, illa uero terrena esse dixerunt. Cum enim tantas fieri rerum uarietates, ac suo quodam ordine cernerent, eorumq; quæ effecta uiderent, causas cum requirerent, has ipsas principes esse causas comperiebant. Eadem ratio & Medicos mouit, u. calidum quippiam, aut frigidum dicerent, quod ita usus docuisset. Siquidem Medicina maxime constat experimentis. Usus enim non rerum modo plurimarum cognitionem, uerum etiam uiuendi rationem, quæ sapientia dicitur, hominibus attulit. Nec uero uis sumus, qui ut hæbas, elementaq; sic stellæ, cœlum uel humidum aut siccum dicamus. Corruptibilem hoc est corporum, ac uicissitudines subeuntium. quarum

profecto *caelum* penitus experis est. Itaq; ut res ipsa id est experientia magistra docuit, trahi a magnete ferrum, a qua quidem experientia ratio ipsa profecta ostendit uim eam a natura magneti insitam ferri attrahendi, sic *caelo*, *coeliq;* partibus, sic stellis ipsis suas quoq; uires inesse. Qua e re factum e, ut tales esse stellae, talia et signa dicerentur. Quod si et hanc et illam uim naturamq; et his et illis inesse primis corporibus atq; ex ijs constitutis dicimus, cur non hoc ipsum de *caelo* dicere deq; stellis debeamus? a quibus haec ipsa corpora uim eam aut accipiunt, aut si sua est cuiusq; propria, ab illis certe cietur. Quae qui negant, u uident, audiendi sensum negant, Vere florescere arbores, easdem crescere aestate, maturescere autumno fructus, terram ipsam hyeme ita quiescere, ut se se insituat ad uernam procreationem diffitentur, Lucem deniq;, ac dies et noctes tollere uidentur. Ad haec cum prima corpora, et qualitates primae sibi e regione aduersentur, sunt enim omnino contraria, quippe cum alia ratione principia rerum esse minime possent, pugnare inter se, et nunc cedere, nunc superare necesse est, ut existat rerum tum procreatio, tum corruptio, quaeq; tam multae eueniunt rerum uicissitudines. Quando autem similia conueniunt similibus, dissentiunt quae sunt dissimilia, consentaneum est in *caelo* utraq; ad res uires inesse. Quod si album nigrumq; in eodem simul esse loco nequeunt, nec humidi quidem nec siccis uis simul esse in eadem atq; una *caeli* parte potest. Quocirca recte accommodateq; alia humida signa, alia siccata esse dixere, id est hanc illam ue qualitatem magis minus ue fouere, auctare, excire. Quod quidem procreandis rebus, u uideq; ubi procreate sunt, nutriendis non modo peropportunum, uerum etiam omnino necessarium est. Quotidianae quoq; observationes eorum quae subinde contingunt, docere haec satis queunt. Siquidem Luna in humido aut arido signo constituta ea plerumq; excitat, quae signi eius naturam sequantur. Ac de primis signorum qualitibus dictum sit haecenus. Ut autem singula elementa binas habent qualitates, sic etiam signa, proq; natura elementi, cuius ipsa naturam excitant. Aeria enim signa humida sunt et calida, terrena siccata et frigida, quae ignea sunt, calida simul et arida, at quae aquea, frigida et humecta. Sequitur de masculinis et foemininis signis explicatio.

De Signis Masculinis seu Foemininis.

Cum autem gignendis rebus duae simul naturae conueniant, et quae agendi uim habet, et quae patiendi, hinc prior illa uis Actiua, posterior haec Passiua uocata est a Physicis. Quin etiam altera masculina dicta est, altera foeminina, exemplo animalium, e quibus mares agunt, foeminae patiuntur. est enim uniuersiusq; animalis plerumq; duplex genus, et masculina quidem atq; actiua uis plus in se caloris retinet, altera uero illa foeminina, et ad patiendum nata, ut caloris minus, sic humidi plusculum in sese habet, utraq; tamen qualitas foecunda et genitilis. Qua in re natura ipsa mihi uidetur temporis ipsius conditionem secuta, quod quidem ipsum cum diebus constat ac noctibus, dies calidiores, et ad agendum ualentiores, at noctes ut humidiores, sic ad patiendum magis aptae sunt. Ut autem tempus die constat ac nocte, sic animalium genus e maribus constituitur ac foeminis. Quocirca *caeli* signa cum non parum conferant generationi, placuit maioribus nostris haec etiam ratione ea inter se distribuere, ut alia masculina uocarentur, quod plus ad agendum uiriū haberent, alia quod essent ad patiendum accommodatiora foeminina, quodq; mascula uis naturaliter praeferenda esset, primum signum id est Arietem marem fecere, secundum foeminam. Ut enim diem nox, sic foemina marem sequitur. Quae propter certa et statuta successione masculino foemininum signum suo succedit ordine. Nam quae tertia natura sit, alia nulla est. Iure autem Aries quod ab eo dies, quod calor, quod Sol procreationis parens, uires sibi assumerent, quod etiam signum ipsum calidae, solarisq; naturae esset, masculum est dictus. Quodq; nox statim sequatur diem, Lunaq; ipsa lumen a sole mutuatur, ac perinde ut mulier uiro aluum, sic ipsa Soli materiam praestruat, habeatq; secundas ad procrandum partes, appositissime atq; conuenientissime Taurus quod signum Arietem statim sequitur, foemininum est habitus. Vnde (ut paulo post dicemus) in Ariete Solis altitudinem, in Tauro Lunae esse putauerunt. Quidam etiam rationem hanc e Pythagoreorum disciplina mutuati sunt, ut quoniam impar numerus haberetur masculinus, quod esset perfectus, impartibilis, efficax, par contra foemininus, quod imperfectus, diuisibilis, imbecillus, eodem pacto in dinumerandis signis masculina dicerentur, quae impari hoc est efficaci, foeminina, quae pari et imbecillo numero comprehensa computarentur. Quae ratione primum, tertium, quintum, septimum, nonum atq; unum

decimum signum, masculinum esse uirium, at quæ parilis ac partibilis numeri successione comprehensa essent, foeminarum esse uirium dixere. Ineptiuscule igitur ueterum quidam a Cancro exorsis foeminarum primo, deinde masculinorum explicauere signorum seriem. In qua struenda foeminam mari, materiam formæ, Lunam Soli a quo illustratur, noctis ac tenebrarum incrementum, quod a Cancro incipit, lucis ac dierum incremento, cuius principium est Aries, denique intemperantissimos æstui solstitij æstus, uerni æquinoctij temperamento anteponebant. Sunt autem masculina signa quæ ignis atque aeris qualitates excitant, Aries, Leo, Sagittarius, Gemini, Libra et Aquarius, foemina, quæ terræ atque aquæ naturæ opitulatur, Taurus, Virgo, Capricornus, Cancer, Scorpius, Pisces. Reliquum est ut de alijs signorum qualitatibus (ut ita dixerim) prærogatiuis explicemus.

De Signis Aequinoctialibus, Cardinalibus, & solstitialibus.

Accidit autem tempori, quoniam eo motum ipsum metimur, ut uere quidem dierum incrementum, autumnò autem noctium fiat. Et quoniam incrementis suis quoque statutus est modus, ut sicut excresecens diei terminus est quidam, sic etiam noctis, nec uero aut excessus aut defectus est ullus, nisi ab æquo & temperato, signa in quibus hoc ipsum contingit, ut ab æquali tenebrarum ac lucis spatio tum dies tum nox procedere incipiat, ex eo agnommata sunt. Nam quod in primis Arietis ac Libræ partibus dierum ac noctium æqualitas proveniat, tum æquinoctialia, tum æquidialia signa uocari placuit, & a primis quidem Arietis partibus ad primas usque Cancræ dies augescunt. Inde uero dierum fit ac lucis conuersio. Quantum enim ab Arietis in Cancrum dies creuerat, tantum post a Cancro in Libram mutatis uicibus noctes succrescent, dies imminuuntur. Siquidem a septentrione in austrum conuertere se sol incipit, a qua conuersione signum ipsum Græci τροπικὸν uocauerunt. At in Capricorno, quod signum huic aduersum est, secus accidit, namque ubi ad primas eius partes sol profectus fuerit, aquilonem uersus ab austro conuertere iter incipit, rursumque uersis uicibus dies augescunt, decrescunt noctes. Merito igitur, atque ex ipsa re utrunque tropicum est a conuersione agnommatum. Quin etiam cum sint quatuor anni tempora, eaque elementorum qualitates imitentur, ipsorumque quatuor temporum principia quatuor his

sumantur a signis, quod per ea fiat ad temporum mutationes aditus, & quasi iam a quædam patefiat, hinc Cardinalia sunt nominata. Itaque quatuor uisi sunt esse signiferi orbis cardines, primus ueris in Ariete, secundus æstatis in Cancro, autumnus tertius in Libra, Brumæ ultimus in Capricorno. Quia è re non parua signis ipsis accessit auctoritas atque prærogatiua. Cum altera id est æquinoctialia æquas temporum partes stateret quasi quadam suspendere uideantur, atque ab ipsis tanquam a principijs quibusdam nocturnæ diurnæque progressionis uicissitudines incipiant. Altera summos atque imos coeli uertices tenent, & tanquam finium inter austrum aquilonemque custodes, ac redentis a nobis aut aduenientis solis duces, frigoris claustra calorisque relaxent. Ex quo fit ut inter cætera signa id iuris habere uideantur, quod inter ciues ipsos, ciuitatis principes, quos ex eo tum pro æres, tum optimates uocamus. Ea dem hæc duo signa Cancer & Capricornus solstitialia dicta sunt, quod ubi sol ad ea profectus est, ante quam eius ad septentrionem euectio, aut in austrum declinatio manifestior facta sit, stare aliquandiu credatur.

De Signis Mobilibus, Fixis, & Communibus.

Nec uero ab re est, quod alia mobilia, alia fixa ac solida esse uoluerunt, alia quod utriusque naturæ partem retinerent, communia atque mediocria. quàm autem apposite atque conuenienter sic statuerint, pauca uideamus, Rei alterius in alteram conuersio nisi per motum non fit, neque enim hyemis in uer transitio, neque deinceps ueris in æstatem contingeret, nisi sol in orbe signifero moueretur. Hæc autem ipsæ transitiones temporum, atque conuersiones in signis his cardinalibus fiunt. Nam quanquam motus ipse continuus est, tamen euidentior tum apparet, cum qualitatum earum quæ tempora comitantur, fit immutatio. Locus quoque ipse hanc ad rem plurimum confert. Quo circa signa ea, in quibus mutationes hæc fieri manifestius apparet, mobilia a re ipsa sunt dicta. Quod autem tempus progrediendo procedit, & ab ipsa progressionem qualitas in quam mutatio facta est, incrementum suscipit, hinc efficitur, ut ea qualitas ubi maioribus uiribus aucta est, tunc firmitus consistere ac præsidere alijs uideatur. Loca igitur, ac signa, in quibus hæc eueniunt, solida stabiliaque iudicata sunt. Et profecto ita se res habet in circulo, ut in insequetem fieri qualitatem transitio nequeat, nisi quæ præcedit ad summum uirium prius sit euectæ.

An non in hominis aetate idem hoc contingit? quæ ab infantia in pueritiam, à pueritia in adolescentiam, ac deinceps suis vicissitudinibus mutatur. Motus enim ipse ab aetate in aetatem tum moribus, tum rebus alijs permultis intellegatur, in quibus secundum aetatis naturam diutius persistitur. Hoc ipsum et in febribus medici obseruant quæ ubi ita excreuerit ut ulterius nequaquam progrediantur, in statu esse suo illas dicunt. Ab hac igitur immoratione atq; in culmen prouectione et (ut ita dixerim) statu, qualitatis unius paulatim fit ad alteram declinatio, ut quantum illi demitur, tantum huic addatur, interimq; qualitatibus ipsarum communitas quasi quædam fit, atq; mediocritas. Quò circa signa, in quibus hoc efficitur, tum communia ac media, tum mediocria dicta sunt, Græci uocant δι'σωμα, hoc est bicorporea. Ex his effectum est (cum singula anni tempora, quæ quatuor esse è Solis constat euagatione per tria signa, habeant principium, immorationem, ac declinationem) ut primum quodq; signum sit cardinale ac mobile, secundum stabile et solidum, tertium commune ac participans, et Græco more bicorporeum. Sunt igitur Aries, Cancer, Libra et Capricornus mobilia signa. Quæ uero singula statim hæc sequuntur, solida, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Reliqua communia sunt, Gemini, Virgo, Sagittarius et Pisces. Quoniam autem actiones quoq; hominum in tempore fiunt, atq; ubi mobilitas est, ibidem et celeritas, ubi autem stabilitas illic mora tarditasq; quoties negotium aliquod coeptum est, fit significatio pro natura signi, quod tunc oritur, quæ sit agendi negotij eius futura qualitas. Ac de signis ipsis, quæ æquinoctialia, quæ uel tropica, ac solstitialia, quæ item mobilia aut solida, quæ etiam communia, satis dictum sit.

De Planetarum domicilijs.

Hinc de planetarum domicilijs, deq; eorum altitudinibus ratio explicanda est, ut plane nota sit omnis Signiferi constitutio. Quam partem ante quam aggredimur, de planetarum naturis pauca pro loco dicemus. Lunam frigidam atq; humescentem esse naturam, tum maria ipsa declarant, quæ motum eius ac uices sequuntur, tum alia plurima, in primis autem corpora ipsa nostra, et quæ uel pubescente illa uel senescente contingunt in cerebro ac uenis. Placet autem antiquis Astrologis institutoribus, ipsiq; Ptolemæo exhalantes è terra uapores ad altiores aëris partes trahi à Luna. Atq; hinc qualitates eas frigoris

atq; humoris ipsam suscipere. Quod fieri quomodo possit, non uideo. Neq; enim humidi est suapte natura sursum moueri, quando natum est ima petere. Sed à calore potius uolentia quadam sursum rapitur. Quò circa ubi ad mediam aëris regionem uapor ille sublatus est, à calore paulatim destitutus, coactusq; à frigore abijt in pluiam. At qui aërem quam spatiosissimum esse oportet, cum terras mariaq; operiat. Ignem quoq; cum locum id est orbem et ipse suum petat, quam potest, ad sublimem aëris ipsius regionem euolare necesse est. Quo fit, ut supremus ille aëris tractus qui calidissimorum atq; efferuescentium aspirationum plenus est, exæstuet. Quod ita esse et stellæ comatæ quæ illic incenduntur plane docent, et apud rerum naturalium studiosos liquido constat. Quod si est, ut quidem esse manifestum est, rationabilius profecto fuerit, Lunam ipsam (quod huic tractui sit stellarum omnium propinquissima) calorem ariditatemq; ab æstu proximo mutuari. Cum orbis ipse igneus loco ei uiciniore feratur, quod si naturam propinquioris ignis, æstuantisq; regionis non suscipit, humidi tam remoti, ac tam longinquo spatio subsidentis quònam modo suscipiet? Quæ suscepta necesse esset Lunæ corpus ea pati, quæ inferiora hæc corpora patiuntur. Quod si esset, siderum corpora, ut hæc ipsa nostra corrumperebantur. Quamobrem Lunæ effectiones humidas frigiditasq; uideri atq; existimari propter accedentes in sublime uapores sane ineptum est dicere. Etenim si solis est proprium calefacere, cur non Lunæ sit proprium humectare? Ad hæc quando calida uis solis nec est ab ignis orbe, nec ab æstuosis terræ aspirationibus, ne Lunæ quidem erit uel frigida uel humecta ab euaporationibus. Iisdem authoribus placet, Mercurium quod Soli sit quam proximus, torreri ab eo, quo quid dici potest inconuenientius? Nam quæ ratio ualet in Mercurio, cur non eadem ualet in Venere? cuius eadem ferè propinquitas est. Sed de Venere, Mercurioq; deq; tribus reliquis suo loco plenius dicetur. nunc unde abijt redeat oratio. Similia similibus conuenire ut nemini est dubium, sic minime obscurum est, duas simul conuenientis naturas ad agendum uiribus uti maioribus. Quò circa quia Cancer, ut dictum est, in humida frigidaq; corpora suapte natura influit, cum in eo Luna fuerit collocata, quod idoneam sibi nacta est regionem, quod in subiectas terras quodam quasi perpendiculari radios diffundit, multo maximas atq; acerrimas ad agendum uires tunc colligit. Quibus adducti rationibus Lunæ domicilijs in Cancro constitutere, quadam rerum ciuilijs similitudine usi, qui pæpe qui existimarent illam uires ac potestatem suam in Cancro, perinde

ut matrem familias in domo propria liberius exercere, atque eo magis, quod Cancer esset foeminae quoque qualitatis, naturaeque mobilioris. Eadem ratione Solis domicilium Leonem esse dixere, quod tum calidae arescentisque naturae, uiriumque masculinarum esset, tum quia nullo est signo conuenientis secum omni est parte naturae, stabilisque qualitatis in terras nostras Sol radios suos rectius ac propinquare est loco figeret. Aequum autem erat ut Soli ac Lunae quos uiderent in corporibus his dominari, in maxime propinquis inter se atque iminentibus signis domicilia constitueret. Quod si liceat in explicanda siderum maiestate nostrorum corporum uti comparatione, quod in corpore humano cor, quod etiam cerebrum iuris habet ad sensus ipsos citandos, idem Sol Lunaque in corporibus procreandis, fouendis, auctandis ius habent, uiresque perinde suas exercent, ut iis merito corporum spirituumque ius atque arbitrium sit a rerum naturae peritis attributum. Quibus etiam placuit post hanc domorum constitutionem Signiferum ipsum in duos partiiri semicirculos, alterum a Leone per signa subsequencia usque ad Aquarii principium, eumque Solarem nominauerunt, alterum a Cancro per signa antecedentia in finem usque Aquarii, quem Lunarem uocauerunt. Vtroque in semicirculo singulis erraticis stellis singulas domos attribuerunt, ea ratione ut in Lunari semicirculo erraticae stellae domus Lunari domui, in Solari autem Solis domui configurarentur, hostili amicaue irradiatione pro erraticae ipsius natura. Quando Saturni ac Martis stellas maleficas arbitrati sunt, Iouis ac Veneris beneficas, at Mercurium communem et uersatilem quandam naturam ad bonum malumque habere uoluerunt, de quibus plura post suo loco, nunc ad ipsam domiciliorum constitutionem reuertamur.

De Domibus Veneris.

Satis autem constat Venerem, Mercuriumque circa Solem ferri, quo fit, ut quam Martis, quam Iouis, ac Saturni stellae, terris sint propinquiores. Aequum itaque uisum est in signis propinquantibus utriusque semicirculi illorum sedes statuere, ac Veneris in Tauro, Mercurij in Geminis, quae signa Lunaris quidem sunt semicirculi, at in Solari, Mercurij in Virgane, Veneris in Libra domicilia collocare. Quid autem secuti etiam fuerint, diligentius est uidendum. Venerem bonam esse fortunam, ac radios eius felices, qui de stellis scripsere omnes, ut dixi, consentiunt. Ea felicitas ab astri ipsius temperantia ortum habet. Nam si Saturni, Martisque infelices sunt stellae, atque huius quidem propter uehementem feruorem aresfactionemque, illius uero propter

propter torpescentem naturam, hoc est ob intemperantissimos utriusque radios, Nimirum Veneris ac Iouis salubritatem a radiorum temperatione necesse est proficisci. Etenim est calido humidoque, est frigido item atque humecto aequaliter atque est portione temperatis uita constat. Quae ubi adeo excesserint, ut calor humidum exusserit, frigus extinxerit calorem, tum penitus aresfacta atque a calore destituta corpora statim occidunt. Temperandis autem radijs magnam habet uim locus. Sed quaeramus haec aliquanto etiam subtilius. Duae inuicem sibi aduersantes naturae coire in unum simul corpus nequeunt, nisi alia quapiam conciliante natura, quae aequabilem se se atque moderantem aduersus utranque praebet. Quod in uocum concentu, et ea quae harmonia dicitur, uidemus. Siquidem dissidentes secum graues atque acutas uoces mediae illae aequabiles et utriusque participes temperant. Quae est temperatione efficitur concinentia illa tam blanda et suauis. Age ipsam rerum naturam inspiciamus. A quam ignemque tam sibi inuicem obstentia principia medius coniungit aer, humoris atque caloris particeps, terra aeri media conciliat aqua, huic per humorem, illi per frigus cordi quodam nexu coniuncta. Quae est coniunctione, naturalique principiorum foedere omni haec quae uidemus, quaeque sentimus fiunt. Ac ne a nobis ipsis recedamus, uita ipsa nostra est rubra bili quae hodie est cholera, item est pituita hoc est phlegmate, contrarijs humoribus, temperate sanguine atque atra bili, quae a Graecis μελαγχολία dicitur, constat. Quae ubi aequaliter temperateque mouentur, tum existit corporum sanitas et incolumitas animantium ipsorum, rursus autem uocum in concinnitas, chordarumque dissonantia a contrarijs existit sonis, nullo medio temperamento eos moderante. Siquidem acuti et graues soni tantam facere in ijs consonantiam soli nequeunt, quin imo ijs commixtis, ubi maior in alio facta est accessio, fit dissonantia illa nostris auribus tam grauis. Ut si bili aut pituitae eiusmodi quoque fiat accessio, necesse sit corpora ipsa aegrotare. Quare ut uocum consonantia, ut uita, ut sanitas temperamento constant, sic radiorum felicitas ab aequalitate quadam, suaque moderatione, quibus, ut dixi, radijs si maior aliqua qualitatium earundem simul atque eodem tempore fiat accessio, necesse est tale ob additamentum fieri eos intemperatiores. Quam quidem ad rem coeli locus plurimum momenti habet. Quo circa fortunantibus id est moderati temperamenti sideribus Veneri quidem, cum sit humidiuscula, quando est mari nata est, ut Poetae iocantur, attributa sunt signa pro anni temporibus, hoc est uere scitum frigidumque, qualis est Taurus, cui per frigidum non inconueniens sit, autumno atque

in Solari semicirculo calidum & humectum, qualis est Libra, a qua propter communem humiditatem non dissentiat, Ioui autem, cum sit humectus & calens in Lunari semicirculo, atque in parte coeli ad nos iam uergente, post Pisces enim sequitur coeli pars humecta & calida, siquidem quod est signiferi ab Ariete in Cancrum ueris qualitates habet, frigidum atque humectum signum est attributum, quales sunt Pisces, quibus propter humectationem quadam quasi affinitate coniunctus est. At in Solari semicirculo, quae a Libra in austrum recedit quod ea pars sit remotior, Sagittarius est attributus, propter conuenientem simul caloris naturam. At Marti ac Saturno maleficis stellis, quae ob radiorum intemperantiam dictae sunt infelices, attributa sunt signa tum litem excitantia propter dissidentes naturas Scorpius et Aquarius, tum exuperantiam parientia propter accessiones similium qualitatum Arius & Capricornus. His hunc in modum explicatis ad rem ipsam proprius accedamus, ut quae dicimus omni sibi e parte constare uideantur. Temperandis itaque erratum stellarum radijs non modo coeli locus ut dixi, uerum etiam anni pars plurimum confert. Atque ut de Venere primo dicatur, eius natura humida est, habetque frigidulum aliquid, de cuius quidem qualitate ac temperatione alibi uberius differemus. Veris humida & calida temperatio est, Tauri siccata frigiditasque. Itaque per frigiditatem Tauro Venus conuenit, ueri per humiditatem. Ex hoc fit, ut habita temporis, signi, atque astri ratione, radij eius aequabilitatem suam retineant. Si quidem ueris humiditas ac frigida signi uis astri naturam adiunxerit, rursus calor ueris, ac Tauri siccitas obstant ne frigus atque humectatio syderis in aliquam intemperantiam excedat. Quod fieri necesse esset, ubi duae conuulsae naturae simul iungerentur, nulla uia alia eiusmodi quodammodo impetus moderante. Reliquum est ut ostendamus Venere nisi uerno tempore non posse Taurum permeare. Quo ostenso liquido constabit quam conuenienter in constituendis domibus Taurus ei in sortem cesserit. Satis autem certum est Venere ipsam siue ante Solem, siue post eum feratur, longius duobus signis ab illo uel, ut expressius loquamur, gradibus paulo pluribus quinquaginta non recedere. Sole igitur ultimas Piscium partes peragrante, si uespertina Venus fuerit, & a Sole quam remotissima, per Tauri medias extremas uel partes necesse est ipsam ferri. Rursus Sole in ultimis Geminorum partibus collocato, si matutina Venus est, & ab illo quam maxime abest, circa Tauri initia, aut medias eius signi partes diuersabitur. Quamobrem siue in Geminis, siue in Ariete aut Tauro Sol constitutus fuerit, non

potest Venus nisi uerno tempore per Taurum euagari. Si quidem omnino hoc tempus quo Sol quam diximus coeli regionem peragrante, a uere occupatur, quanquam & aliquando aestate iam incipiente Venus adhuc moratur in Tauro. E quibus satis apparet temporis, signi, ac syderis, ut est dictum, ratione habita, Taurum accommodatissimam Venere domum esse, e qua conuenientia constare sibi radiorum eius aequabilitas ualeat, quam nec praestare Arius poterat propter calorem, quippe qui & a uere & a signo auctus Venere naturam plusculum incendisset, ariditate etiam signi non parum adiuvante, sed nec Gemini, quibus tamen per humidum affinitate quadam iungeretur, tamen calore signi geminato a uere iam in aestatem declinate, radij eius nimio plus incanduisissent. In Libra uero quae Venere etiam domus est, diuersam ab hac rationem secuti sunt. Nam cum in Libra Venus esse nequeat, nisi anni parte maxime sicca, aut ea iam in frigus atque hyemem inclinante, placuit quod esset humectae, calentisque naturae signum ei discernere, cui per humidi naturam conciliaretur. Namque ut ueris autumnique contrariae qualitates sunt, sic Vernae Venere domui autumnalis erat domus opponenda. Vtque uere prospectum est in attribuendo domicilio Venere humens uis permadesceret, sic autumnone uis eadem nimio plus arefceret, ne uel illic ab exuperantia, hic a defectu efficeretur intemperantior. Huic constitutioni illud quoque mirum in modum conuenit, quod cum Venus beneficae naturae sit, eius domicilia Solis ac Lunae domicilijs sexangulari irradiatione coniunguntur in utriusque semicirculis. Sunt enim Taurus & Cancer in Lunari, Libra & Leo in Solari hexagonalia signa, ad haec foecunda sunt & genitalia, cum sit Venus ipsa foecundae naturae. Diximus de Venere domicilijs. Nunc de alterius beneficae stellae domibus explicamus.

De Dombus Iouis.

Iouis stella felix esse ac salutaris dicitur, cuius est natura eadem quae aeris ac sanguinis, humecta & calida, aequabili ratione temperata, huic domum in Piscibus Sagittarioque statuerunt, At uide quam conuenienter, quae apte, quod in parte signiferi remotissima, quae est prope hyemalem conuersionem, signum calidum siccumque delegerunt ei. Nam cum e remotissimo atque obliquo loco radios ad nos lentiores, & penes imbecillos mitteret, quod Solis ipsius radij declarant, qui ex eo loco obliqui feruntur, maximeque imbecilli, socio signi calore refocillandus

erat, uidenturque ne calida eius ui restincta, humido adaucto effice-
retur humentior. quod ne accideret, signi etiam ariditas prohiberet.
Contra in parte signiferi propinquiore, a qua in humidum calidumque
procedat annus, Pisces attribuerunt, ut ueris, aestatisque aduentibus
caloribus, signi frigore adiutus posset obsistere, ne arefacto humore, ca-
lida ui exaestuante, ureret potius quam foueret. Appositissime quidem,
quod cum sit ipse beneficus, beneficia id est triangulari configuratione
Sagittarius Leonem in Solari, Pisces Cancrum in Lunari semicirculo
intuetur. Quin etiam cum sit Iouis stella fecunda, uentorumque exa-
tatrix, uetosa ei signa et genitalia sunt concessa. Adde quod in Luna-
ri semicirculo Lunaris naturae signum, in Solari autem Solis naturae
consentientes signum, peculiare Iouis stellae decreuere. His explicatis de
maleficarum stellarum Martis ac Saturni domibus differamus.

De Domibus Martis, & Saturni.

Martis stella torrida & feruens est, Saturni autem frigens ac torpida,
magnaque in utroque ariditas, hinc infelices dicti, quod utriusque radij
sunt intemperatissimi, illius propter aridam atque urentem naturam,
huius ob torpescentem naturamque frigiditatem. Vtraque autem exuperan-
tia maxime noxia est, ad haec dictum est supra Lunam Soleque in coe-
lo dominari, & alterum die imperare, alterum nocte, ac Lunam
quidem humectare materiam et quodammodo praestruere ad res pro-
creandas, Solem calefacere, informare, & ut propere magis dixerim,
animare. Atque ut a calido humidoque est procreatio, sic contra a maxi-
me frigido atque arefacto mors, qualis est perniciosa Saturni natura. Qui
etiam coeli pars ea, quae ab Ariete in Libram porrigitur, uitalis est,
& generationi uitaeque accommodata, quae uero a Libra in Arietem
corruptioni ac rerum excidio. Haec igitur rationes impulerunt primos
illos rerum caelestium observatores, ut in Capricorno atque Aquario Sa-
turnum collocarent, quando ea signa Solis ac Lunae domos aduersis ra-
dijs impugnarent, qui minacissimus maximeque noxius esset aspe-
ctus, atque ex eo coeli tractu, qui ea quae genita essent, uitalibusque ui-
ribus praedita in interitum traheret. Quin etiam quod Saturnus a
Sole Lunaque quam longissime planetarum abesset omnium, ut do-
mus quoque eius in utroque semicirculo longissime ab illorum abesset do-
micilijs, prouiderunt. Et saluberrimo quidem Iouis syderi decre-
tae sunt domus, quae non unius prorsus eiusdemque, sed alterius tantum
participes qualitatis essent, pro illius aequabilitate conseruanda. Con-
tra uero

tra uero perniciosissimo Saturni numini, quod moderatissima Iouis
aequabilitati esset aduersum, domus decretae sunt, quae tum unius eius-
demque, tum aduersantis utraque parte qualitatis essent, quando in-
temperata uis eius foret, ut enim calidum calido additum mirum in
modum ignescit, sic frigidum frigido accedens mirifice retorpescit.
Eademque hac ratione inarescunt magis ac magis quae sunt siccata, eli-
quescunt humectata. Quocirca Saturni frigus Capricorni frigiditate
cumulata supra modum rigescit, & stellae siccitas signi siccitate am-
plificata, mira quadam inaequabilitate in arefactionem excedit. Eadem
enim, ut dictum est, qualitates simul iunctae in excessum atque intem-
perantiam abeunt, nulla media qualitate conciliante. Duo etiam con-
traria propere si statuuntur, nullo obsistente medio litem concitant.
Quare cum Saturno Aquarius contentionem exuscitat a contra-
rijs qualitibus nullo prorsus moderante. Vt autem miles bello con-
tentionibusque, grassator praeda ac latrocinij, sic ijs Saturnus lae-
tatur signis, quae tum intemperantiam eius augeant, tum dissidium
moueant ac litem, quae moderationis est concordiaeque inimica. Quae
in re illud mihi uidetur usuenire, quod in frigore matutino, aduen-
tanti die, ac calore, tunc enim frigus ipsum nocturnum suas in
se omnes cogit uires, insurgitque aduersus ingruentem hostem multo
acrius. Nam quod ait Aristoteles, per conatus illos aduersos, con-
traque obiectos, ac summe infestos, perque eam quam ipse ἀντιπαρ-
ιστον uocat, efficitur, ut frigus etiam urat, quod ignis est proprium.
His explicatis, de Martis domicilijs iam dicemus.

Quando igitur minacas, non cuique syderum aspectus duplex esset ratio,
& eius qui ab opposito loco, & qui a quarto irradiaret, ac Saturni
domos Solis Lunaeque opposuissent domibus, quippe qui esset Marte
perniciosior, relinquerebatur ut Martis diuersoria in quadrangulari-
bus collocaretur signis. Siquidem Aries in Lunari semicirculo quadra-
tis Cancrum radijs ferit, Scorpius Leonem in Solari, in quibus idem con-
tingit, quod in Saturni domibus. Aries enim Martis qualitates una co-
sentiendo uehementius accendit, Scorpius uero dum utraque ab illo qua-
litate dissentit, prouocando laceffit, atque irritat. An fortasse quod in Lu-
nari semicirculo ut perniciose naturae syderi, signum Lunari naturae
aduersum dedicare uoluerunt? in Solari uero, naturae Solis repugnans.
ut undequaque uis eius ad nocendum magis ac magis irritaretur, hic
Lunae naturae in peculiari semicirculo, illic Solis qualitati in Sola-
ri aduersans, quae e re lis, discordiaeque, quae Martis est propria, conc-
taretur. Siquidem, ut de Achille ab Horatio traditur, Mars ipse ira

cundus est, inexorabilis, acer, iura negat sibi nata, deniq; nihil nõ ar-
 mis arrogat. Sed quod de conatibus contra obiectis, deq; Aristotelica
 illa Antiparistasi supra in domestica Saturni ratione iam diximus,
 idem illud hac in parte dicendum est, atq; asseuerandũ. Feruor enim
 Martius magis magisq; in se se ipse cogitur, viresq; æstuosiores susci-
 pit ob aduersantem Scorpj naturã. Quemadodũ faber dum ferra-
 rius efferuescentibus in fornacula carbonibus aquam superinspergit.
 Quia è re ignis ipse cogitur, ampliusq; incãdescit intus, qui antea quã
 sparsim efflabat, nullo penitus aduersante. Illud etiam in hac consti-
 tutione & penè dixerim domorũ structura uel cũ primis considerã-
 dum uidetur quod in Muscis concentibus apertissime cernitur. In ijs
 enim temperandis necesse est nõ modo ut plurima, uerũ ut una oia
 concinnatim conueniant. Contra & uoces & numeri concentusq; uni-
 uersus statim uti dissentiat oportet, ubi nõ modo pauca inter se pa-
 rum consenserint, uerũ ubi eadem ipsa tum uox, tum numerus plu-
 sculum aut excesserit in altitudinem, aut se se contra demiserit, seu
 productior fuerit, ubi breuitas exigitur, seu breuior, ubi productionẽ
 ratio cõcentus exigit. Eadem itaq; ratione ac mensura in temperandis
 felicium stellarum radijs omnia uti conueniant necesse est, quæ ad fe-
 licitatem conducant. Secus autem in maleficis, siquidem perquam pau-
 cas siue in qualitatibus excessum inducentibus, siue aduersum nitenti-
 bus ijs excitatur, atq; ad malefaciendum procliuitas. perinde ut
 uoculæ, neruiq; unius dissensio omnem prorsus concinnitiam labe-
 factat atq; dissoluit.

De Mercurij domibus.

His explicatis ad Mercurium reuertamur, eius stella retorrída esse dici-
 tur, eaq; abesse a Sole longius uno signo, eoq; non integro nullo mo-
 do potest, cuius illud ingenium est, ut in alias se atq; alias facile na-
 turas transferat. Vnde Virgilius obseruandum præcipit,
 Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
 Eandem ob causam Deorum eum nuntium dixit antiquitas. Et uero ne-
 cesse erat inter stellas tã diuersarũ naturarum unã esse aliquam, quæ
 communitatẽ & ut ita dixerim, uersabilitatem quasi quandã habe-
 ret, quæ quidẽ inesse communitas minime posset, nisi nũc in hanc, nũc
 in illam, mox in aliã atq; aliam naturam transiret, facileq; conuerte-
 retur. Quocirca cum Soli in Leone, Lunæ in Cancro, Veneri in Li-
 bria Tauroq; domicilia essent constituta in ea signiferi parte, quæ pro-
 pius nos aspiceret, reliqua duo signa quæ Solis ac Lunæ domibus

adiuncta essent, Geminos ac Virginẽ Mercurio decreuerunt. Quãdo
 autem natura eius tam esset uersatilis, ipseq; Mercurius in Geminis
 esse nisi uere iam procedente, aut æstate incipiente nõ posset, quo tempore
 uires Sol genitales excitat, excitatasq; exuscitat, ac fouet, ut et uerni
 temporis, et Solis procreãtis naturam indueret, signum ei humidum,
 calidumq; attribuerunt. Calida namq; & humecta tum gignendis re-
 bus, tum ijs quæ genita sunt fouendis maxime idonea sunt. Etenim
 Aries ac Taurus retorrídã Mercurij uim magis magisq; excita-
 sent, cum etiam a Solis domo longius abessent. Ac tamen si Geminorũ
 humida uis naturalem Mercurij ariditatem quadam è parte
 immuueret, in quo generationi est consultum, ut dixi, tamen tum ab
 imminenti æstatis siccitate atq; calore, tum a Solis propinquitate, a
 quõ quãdã dixi longius abesse nequit, naturalem illam atq; arescen-
 tem eius uim foueri nihilominus intellegebant, Contra quod æstate au-
 tumnoq; nulla esset habẽda procreationis ratio, quo tempore quæ pro-
 creata essent, enutrita iam, ac plena in maturitatem inclinarent, di-
 uersorium Mercurio in arido & frigenti signo posuere, quod neces-
 se esset propter torridã anni partem ne uis eius magis magisq; in-
 censa atq; a reflecta deflagraret, admota frigiditate prohiberi. Quia è
 re id effectum est, ut uere quidem in signo ueris naturam habenti do-
 mũ Mercurio statuentes, ueris naturam imitari eũ facerent, autumnũ
 uero, ut autumnũ naturam sequeretur, in signo autumnalis qualitatis
 diuersorium ei collocarent. Ac de errantium stellarum domicilijs di-
 ctum sit hæcenus. Plura tamen siue Punicas, siue Arabibus ab autho-
 ribus in hac domorum distributione traditur, quæ referre nec neces-
 sariũ uidetur, et Physicis cum rationibus parum omnino conueniunt.

Quod Domorum constitutio sibi maxime consentiat.

Quam autem hæc domorum constitutio omni sibi è parte consentiat, il-
 lud docet, quod domorum ordo ipsorum quoq; planetarum ordinem
 ac situm sequatur. Nam post Solis Lunæq; domos gradatim hinc
 atq; illinc Mercurij primum, qui Solis propinquitate præ cæteris
 gaudet, post Veneris, hinc Martis, deinde Iouis, ultimo loco Sa-
 turni domicilia subsequuntur. Illud quoq; prudenter prospectum
 est, quod domicilia stellarum infelicium domos Lunæ ac Solis qui
 generationis authores sunt, tum ab opposita, tum a quadrangula cœ-
 li regione hostiliter lacessunt. Rursus felicium stellarum quæ genera-
 tionem ac rerũ prouentum adiuuant Solis ac Lunæ regias triangula-
 ri ac sexangulari aspectu irradiant, & tanq; uenerantur. Nã Pisces

triangulari, Taurus sexangulari aspectu Cancrum uident, Libra Leonem sexangulari, Sagittarius triangulari aspicit. Quin etiam cum perniciosissima Saturni stella radiatione maxime noxia, Martis uero quod minus esset perniciofa, minus etiam noxio è loco Solis ac Lunæ diuersoria oppugnarent, cautum & perspectum est, ut saluberrimum Iouis sidus aspectu maxime saluari, Veneris uero, quod lumen eius minus esset ualidum, è locis non adeo cognatis domos eas intuerentur. Quandoquidem ut maximo maxima, sic minori debentur minora, quod tum naturæ legibus, tum etiam ciuilibus est cautum. Sequitur post hæc explicatio ea quæ ad Altitudines pertinet, sic enim ueteres appellauerunt, quæ hodie dicuntur Exaltationes, Græce sunt ὑψόματα, unde recte dici possunt & Celsitudines, & sublimitates, quin etiam Subleuationes, quarum quidem rationes hæc traduntur.

De Altitudinibus planetarum.

§ Solem authorem procreationis esse, eamque signiferi partem, quæ ab Ariete incipiens sexto in signo desineret, uitæ consulere, ac tueri ea quæ nata essent, paulo ante diximus. Quo fit, ut exacta iam hyeme ubi sol è remotis Zodiaca partibus magisque corruptioni aptis ad Arietem peruenit, quasi in patriam, atque ad gerendam rem publicam redierit, lætetur, & tanquam gaudio exiliat, ut qui et generationis regionem, & conuenientis secum naturæ signum sit ingressus, in quo & augescere dies incipit, quem præsentia eius efficit, et calor qui est solus proprius singulis diebus incrementum accipit, Sole ipso sublimiorem iam cœli partem peragrante. Quando autem soli primus iure suo locus ut in generatione, sic in hac cōsitutione datus è, merito secundus Lunæ conceditur, quæ secundam post Solem auctoritatem iure sibi uendicat. Quocirca Lunæ altitudinem esse in Tauro uoluerunt, quod signum est à Solis altitudine secundum. Ad hæc cum Luna ipsa lumen à Sole, annus uero principium ab eodem Sole capiat in Ariete constituto, si cum Sole Luna in altitudinis eius parte coeat non ante, post coitum apparere incipiet, ac lumen suum terris diffundere, quam Taurum ingressa sit. Iure igitur altitudinem Lunæ constituerunt in Tauro. Quod si procreationis rerum parentes lætantur signis primum cardinem orientis plagæ tenentibus, par est, ut Saturnus qui generata ad interitum adducit, aduerso altitudini Solis loco, primoque occidētis cœli plagæ cardine lætetur atque exultet. Quapropter eius al-

titudini Libra est attributa, a qua, ut dictum est, motus in declinatio incipiat, progrediaturque in rerum interitum, decrecentibus diebus, frigoreque augescente. Cum etiam ut Saturni domus Solis domicilio, quod sit ipse maxime noxius, nocentissima irradiatione aduersetur, sic etiam Saturninæ altitudinis signum Solaris altitudinis signo perniciofa irradiatione obsistat, quo è loco etiam Aquarium domum suam triangulariter aspicit. At Iouis altitudini Cancer designatus est, ubi enim maxime salutaris stella lætari magis aut potest aut debet? quam in eminentissimo cœli loco, unde terras has rectis & sua se sponte de mittentibus radijs illustret ac foueat? Quo etiam è loco septentrionales uentos commodius excitet, quorum hæc stella maxime fecunda est, et Pisces domum suam trigonali radiatione tueatur. Cum autem, ut sæpius dictum est, rerum progenitarum conseruatio sit ab humido calidoque simul temperatis, è quibus etiam generatio ipsa constat, cuius quidem naturæ atque æquabilitatis est Iupiter, uique Saturni altitudo Solis altitudini opponitur, quando hic genialis est, ille perniciosus, sic Ioui uitæ custodi & conseruatori lætanti in Cancro, Mars opponetur uitalem exurens humorem. Itaque recte in Capricorno exultare Mars dicitur, atque in ea Signiferi regione, quæ corruptioni est accommodatior. Nam cum ea regio sit australis, & suapte natura exusta, Mars illic magis ac magis effervescat, atque incenditur, quin etiam eo è loco Scorpionum peculiarem domum hexagonaliter intuetur. At Venus in Piscibus collocata merito lætitia exiliit, quippe quæ genialis cum sit, gaudet propinquitate eius cœli plagæ, quæ etiam genialis est, ad quam plagam è Piscibus statim proficiscatur, cumque humecta ipsa sit, humecto lætatur signo, è quo sedem suam id est Taurum sexangularibus illustrat radijs. Mercurio autem cessit altitudo in Virgine. Nam cum sit retorridior, atque eiusmodi qualitas non sit omnino uitalis (retorrida enim humore carent) altitudinem eius constituere in declinatio signo, atque in regionem eam uergeti, quæ in interitum res adducit, eoque uirili ætate declinat in senium. Etenim si Veneris subleuatio Solis subleuationi assistit, genialis qualitatis gratia, cur non altitudo Mercurij, cuius qualitas huic est qualitati contraria, Saturni assistat altitudini? quem perniciosissimum esse diximus. Ut autem Saturni exultationem Solis exultationi, Martis quoque exultationem Iouis exultationi opposuere, cur non exultationem Mercurij Veneris exultationi opponerent? Siquidem eorum quæ contrariæ naturæ sunt, eadem habenda est ratio. Quocirca apposite atque conuenienter distributa sunt errantibus stellis signa, quibus lætarentur singulæ, tanquam ad pro-

prium opus peragendū aptis atq; idoneis. Deici autem & penē moerere in opposito altitudini suae signo unus quisq; planeta dicitur. Nam si subleuatur Sol in Ariete, qđ terris fiat propinquior, qđ genitalem coeli tractum inuisat, qđ diem augeat, qđ calorem excitet, tristari eum necesse est ac deici in Libra, dum terras deserit, dum corrumpendis rebus accommodatam regionem in greditur, dum & dies imminuitur, & calor incipit a frigore superari. Idem dico de Saturno, reliquisq; quos æquum est moerere, et tanquam deici animo, dum deiecta in loca, atq; altitudinibus suis oppositas ad regiones perlatis contrariū obire munus coguntur. ut in luce ueniat, qui gaudeat tenebris, eat in tenebras, qui gaudeat luce, sentiat calidū, qui letatur frigido, liquefat in humido, qui arescere cupiat in siccō, torrescat in arido, qui querat humentia, quæq; alia propriæ sunt naturæ contraria, patitur. unde Græce dicuntur ταπεινώματα. maiores nostri Deiectiones, Humilitatesq; uocauerunt, quod tanquam deiecti planetæ illic essent, & in humili ac depresso loco sine autoritate sordescerent, unde hodie Depressiones dicuntur & Casus, & planetæ ipsi in ijs locis positi, depressi ac deiecti existimantur. Illud etiam in discernendis altitudinibus prudentissime consideratum est, quod cum Sol primas in generatione partes habeat, triangularisq; irradiatio primæ sit ad bene uolentiam autoritatis, Soli in Ariete, qui Leonem triangulari aspectu intuetur altitudinem decreuere, Lunæ in Tauro qui Cancrum sexangulariter aspiciat, qui quidem aspectus cum secundæ sit autoritatis ad gratiam ac fauorem, in constituenda Lunæ altitudine obseruatus est, Quippe cum Luna ipsa secundas in generatione partes retineat. Idē seruatum est in discernenda Saturni ac Iouis altitudine, quorū stellæ diurnæ sunt, ac Solaris conditionis, ut è sua uterq; altitudine proprias sedes triangulariter aspiceret, in Martis uero ac ueneris statuendis subleuationibus id etiam perspectum est, ut ex ijs sedes suas hexagonaliter intuerentur, quod hi planetæ nocturni sunt, Lunæq; conditionem sequantur. Mea quidem sententia uidentur prisca illi constituendis altitudinibus hanc potissimū rationem secuti, ut quædam admodū peregre redeuntes mirificam eo in loco uoluptatem capiunt, ad quem ubi peruenere, patrium inde solum prospicere incipientes, Lares ipsos summa cum iucunditate letitiâq; salutant, Sic ipsi quoq; arbitrarentur errantes stellas, ac tanquam peregre uenientis, exultare eo in signo, de quo domicilium quæq; suum, amicq; intueatur è loco. Atq; in Sole quidem, Ioue item ac Saturno, quia diurnæ, masculæq; conditionis essent, triangularem secuti sunt aspectum, quippe

qui autoritatis esset maioris, in nocturnæ uero, foemineæq; conditionis stellis sexangularem, qui minore esset autoritate præditus. Ex ijs quæ iam explicata sunt, satis patet, Solem, Lunam, Iouem, ac uenerem in ijs, de quibus diximus, signis extolli, & tanquam Reges proprio in solio ius dicere, autoritatemq; suam præ se ferre, tum gignendi, tum quæ genita essent conseruandi gratia, contra Saturnum, Martem, & Mercurium eorundem perdendorum causa. Cum autem singula quæ nascuntur, semel tantum nascantur, semel uiuant, semel etiam moriantur, iure in uno non in duobus aut pluribus signis cuiq; planetæ altitudinem decreuere. Cur autem stellis singulis binas præter quàm Soli ac Lunæ domos dedicauerint, illa uidetur esse ratio, qđ penes Solē Lunæq; cœli totius esset ac signorū omniū iurisdictio, & eorum quæ fierent moderatio. quemadmodū penes Regē Regnamq; ius curaq; regi totius est. Consueuere tamen una in urbe sedē tribunalq; sibi statuere, in qua eorum existimetur maiestas uenerabilior, ac iuris dicendi potestas accommodatior. Quocirca alteri Leonem, alteri Cancrum dedicauerunt, in quibus coniuncta utriusq; esset regia. Atq; ut uxor uiro, sic Luna Soli prior assisteret. Cū enim (ut dictum est) munus Lunæ sit, materiam præparare, Solis informare, ubi nam facilius, commodiusq; quàm in signis similibus qualitatum, iisdemq; proximis, & in parte Zodiaci præsentissima præstare hoc ipsum poterant? Cæteris autem quasi famulantibus cum aliâ Solem antecedant, aliâs sequantur, ac nunc sint in ortu, nunc in occasu (ac si duplex ipsorum ministerium ac munus esset) domos etiam duplices decreuere, unâ, quæ esset à dextera, alterâ, quæ à sinistra, ut regias domorū in medio ac tanq; in arce positas domibus suis cingeret.

De aspectibus, & Configurationibus.

Quoniam autem de configurationibus atq; aspectibus sæpius à nobis mentio facta est, qui & quales aspectus ipsi sint, aperiendum relinquitur. Configurantur itaq; in Zodiaco septima quæq; signa à loco sibi aduerso, seq; oppositis inuicem radijs intuentur. unde aspectus hic oppositus, & configuratio opposita uocatur, Græco uerbo Diameira, nec non Diametralis dicitur, quod si gniferum ipsum à primo ad septimum signum protracta recta linea æqualiter metiatur. Si enim ab ortu ad occasum usq; rectam lineam produxeris, cœlū omne in duas æquas partes, quæ uocantur hemispheria diuides. Cum autem uniuersus signifer è duodecim constet signis, signaq; ipsa è triginta

ta partibus, si partes ipsae duodecies multiplicatae fuerint, tercentum ac sexaginta partes constituent, quam totam summam ubi sexies duxeris, in duas aequas partes diuides, eaeque singulae erunt e centum octoginta partibus. Vt enim duodenarium numerum sex bis ducti aequaliter diuidunt, sic centum octoginta partes bis ductae uniuersam quam diximus Zodiaci ac duodecim signorum summam, bifariam aequali sorte patiuntur. Vt si a primo gradu Arietis rectam lineam in primum Librae gradum protendas, coelum omne in sex signa, gradusque centum octoginta bifariam distribues. Haec diuisio, seu rectae lineae protractio rectum constituere angulum dicitur. Rursus senarius numerus e ternario bis multiplicato constat. Si igitur unum signum, id est triginta coeli partes ter duxeris, coelum ipsum, ipsaque duodecim signa in quatuor quadras aequaliter distribues. Singulae autem seu quadras, seu quadrangula, seu quadrantes e nonaginta constabunt gradibus. Quae partes quater ductae integram Zodiaci summam, uniuersasque duodecim signorum partes complebunt. Eadem haec diuisio rectum quoque angulum constituit. Hic autem aspectus a primo quoque signo in quartum ducta linea figuratur, unde a Graecis τετραγῶνος, a nostris tum Quadratus, tum Quadrangulus, Quadrangularisque dicitur. Sequitur aspectus ille qui τριγῶνος Graece dicitur est, Latine Triangulus, Triangularisque. Quidam e recentibus uocant Trinum, quamuis non satis Grammaticae continet hic signa quatuor, partes uero centum uiginti. Si enim signum unum id est partes triginta quater multiplicaueris, quot diximus signa, quot etiam diximus partes implebis, quatuor autem signa ter producta duodecim signa id e omnem Signiferum complectuntur. Qua ratione Signifer orbis in triangulos tris distinguitur, indifferenter enim et masculino genere, e neutro triangulum proferimus. Haec configuratio fit, ubi a primo quoque signo digressus in quintum usque progredi, angulum autem constituet nequaquam rectum, sed obtusum, continentemque angulum unum rectum, ac tertiam etiam recti particulam. At hexagonus quem Latine Sexangulum ac Sexangularē dicimus, Sextilem non nulli malunt, duo tantum signa continet, gradusque sexaginta, partiturque omnem Signiferum in figuram habentem sexangulos. Si enim signum unum, eiusque triginta partes bis produxeris, signa quidem duo, partes autem sexaginta conficies, quae Zodiaci totus est pars sexta. Progredi autem a primo quoque signo in tertium, qua ratione haec ipsa sexangularis forma acutum angulum, hoc est duas recti tertias continebit. Qui numeris delectantur, figurisque Arithmeti-

cas, haec quae dicimus, ad Sesquialteram e Sesquiterciam rationem commodissime referunt. Igitur si ab Arietis parte prima numerare incipias, quae quadrata dicitur configuratio, ea tria signa hoc est Arietem ipsum, Taurum, ac Geminos ad primam usque Cancrī partem complectetur. Sin Arietem, Taurum, Geminos, Cancrūque complexus fueris, ad primam usque Leonis partem triangularem configurationem formabis. At si ab eadem prima parte Arietis ad primam usque Gemorum proficiscere, sexangularem figuram constitues. His rationibus Signifer ipse continebit hemisphaeria duo, id est aequales semicirculos duos, ut si ab Ariete incipiens in Libram proficiscere, rursusque a Libra regrediari in Arietem, continebit item quadras quatuor, quarum prima complectitur Arietem, Taurum, Geminos, secunda Cancrū, Leonem, Virgine, tertia Libram, Scorpionem, Sagittariū, quae ultima est, Capricornum, Aquarium, Pisces, triangulos uero tres tantum, primum ex Ariete, Tauro, Geminis, Cancro, secundum e Leone, Virgine, Libra, e Scorpione, tertium qui unus reliquus est, e Sagittario, Capricorno, Aquario, Piscibus, sexangulos uere sex, primum, ex Ariete e Tauro, secundum e Geminis, et Cancro, tertium e Leone e Virgine, quartum e Libra e Scorpione, qui duo sunt reliqui, alterum e Sagittario e Capricorno, alterum ex Aquario e Piscibus. Arietis igitur sexangulari aspectu Geminos, quadrangulari Cancrum, triangulari Leonem, opposito Libram irradiat, e sic deinceps alia signa se inuicem intuentur minaci, beneuolaeue irradiatione. Qua de re mox dicemus.

De Aspectibus Beneficis e Maleficis.

Quadranguli, oppositi que aspectus, ac diametrae, tetragonaeque configurationes minaces sunt e noxiae, contra triangulares ac sexangulares beneuolae e adiutrices, quod cur fiat uideamus. Radij sibi inuicem aduersantes (quod obuiam facti, et alteri in alteros uiolenter impatti collidunt se se) discordiam atque inimicitias excitant, inde aspectus ipse noxius e hostilis est. Radij quoque quadrangulantes tamen si aduersis frontibus sibi non occurrunt, tamen e rectis angulis progressi, e tanquam alteri in alterorum latera incursantes percipiunt se se, dumque neutri uidentur uelle cedere, contentionem excitant, quod circa e haec quoque irradiatio minax est. Docet hoc uentorum pugna, ubi aut auster opponitur septentrioni, aut auster ipsi, qui a meridie flat, fauonius occurrat ab occasu, transuerso impetu. Secus autem in

triangulorum, sexangulorumq; contingit irradiationibus, siquidem radij ipsi neq; sibi occurrunt aduerso impetu, neq; se inturbant, aut tanquam è latere atq; ex insidijs inuadunt, quin imò perinde ac socij nascunt se se, ac ueluti in unam aciem conuenientes simul procedunt. Quae re utraq; beneuola irradiatio dicitur, quod inuicem coniuictis uiribus sibi auxilio sint. Ptolemæi hac ipsa de re uerba sunt hæc, Ex his configurationibus trigonæ quidem atq; hexagonæ dicuntur consentientes, quippe quæ è generis eiusdem signis statuuntur, aut foemininis omnibus, aut masculinis, in consentientes uero diametrae et tetragonæ, quod iuxta ἀντίθεσιν eiusdem generis situm nactæ sunt. Prima quidem Ptolemæi ratio sibi constat, siquidem signa intuentia se è triangulo aut sexangulo genere consentiunt. Aries enim & Leo & Sagittarius sunt signa masculina, Taurus, Virgo, & Capricornus foeminina. Idem in omnibus triangularibus signis euenit. Eadem quoq; sexus conuenientia iunguntur sibi sexangularia signa, Aries ac Gemini, Taurus item & Cancer, & sic deinceps. Secunda uero ratio, quæ est de Antithesi quàm sibi constat, non intellego. Cum signa quadrangularia genere ipso differant, ut Aries & Cancer, Taurus ac Leo, opposita uero conueniant genere, ut Aries ac Libra, Taurus & Scorpius, Gemini & Sagittarius. Itaq; non satis patet, quæ nam sit hæc Antithesis, id est eiusdem generis signorum oppositio. Quo circa nec ratio ipsa sibi quadrat. Nam si in triangularibus idem genus conuenientiam facit, atq; consensum gignit, Quo nam modo in oppositis dissensionem atq; inimicitias excitabit? Signa quoq; triangularia conueniunt se cum ob easdem elementares qualitates, Arietina enim triangularitas ignea est, Taurina terrena, aëria quæ nomen habet à Geminis, aquea quæ à Crancro. At in quadrangularibus signis hoc ipsum non est perpetuum, ut sibi omnino aduersentur ab utraq; qualitate. Cancer enim et Libra in humido conueniunt, tamet si Aries atq; Cancer utraq; qualitate differunt, Taurus quoq; & Leo in ariditate simul consentiunt, at Gemini ac Virgo prorsus dissentiunt. Signa quoq; opposita eandem seruant regulam, ut nequaquam se contrarijs omnino qualitatibus impugnent, Aries enim ac Libra consentiunt in calore, Taurus & Scorpius in frigore. Idem in sexangularibus contingit. Aries enim ac Gemini inuicem calido conciliantur, differunt humido et siccato. Taurus et Cancer consentiunt in frigido, dissentiunt in humido. Quo circa aspectus ipsi nõ ab elementarij qualitatum similitudine, aut dissimilitudine, aut ab eiusdẽ generis societate, oppositione uel beneuoli aut maleuoli dicendi mihi uidentur, sed à situ po-

tius, atq; à radiorũ uel concursu socio, uel occasionatione aduersa. Cancer enim ac Leo, Capricornus & Aquarius, Pisces & Aries, Virgo & Libra ratione ea se se hostilem insectarentur in modum, aduersantibus qualitatibus, non insectantur autem, quia situs quadrangulus, seu oppositus, radiorumq; hostilitas minime id patitur. Non inficiamur tamen qualitatium similitudinem aut dissimilitudinem, ad augendas tum familiaritates, tum odia multum etiam conferre.

De Signis Auersis & Disiunctis.

E duodecim igitur signis septimum quodq; ab illo à quo numerare cœperis, item quintum, quartum, ac tertium se intuentur, ob eamq; rem coniuicta inter se dicuntur. Quod uero secundum, sextum, octauum, aut duodecimum fuerit ab eo, à quo numerum ordiris, sibi nullo modo configurantur, neq; enim secundum signum aspiciunt primum, unde quod nulla inuicem configuratione iunguntur, quin quod à se ipsis auertunt aspectum, tum disiuicta, tum auersa dicuntur signa, Græce sunt ἀούρα. Taurus enim quod secundum ab Ariete locum tenet, Virgo quod sextum, Scorpius quod octauum, Pisces quod duodecimum, nulla dicuntur cum Ariete aspectus societate conungi. Eadẽ est aliorum inter se signorum secundum hunc ordinem ratio. Et illa quidem quæ se intuentur, siue duplicata, siue triplicata, siue etiã quadruplicata circulum uniuersum implent, quod in auersis, atq; disiuictis secus accidit.

De Inaequalitate dierum & noctium secundum climata.

Nec uero cum de dierum ac noctium tum incrementis, tum detrimentis mentio facta sit, prætereunda uidetur ratio cur id eueniat. Nam cum Signifer orbis uiginti quatuor tantum conuertatur horis, singula signa duabus horis integris si supra finitorem circulum, quem Græci ἐπὶ ὄρα dicunt, ascenderent, nimirum dierum ac noctium inaequalitas nulla contingeret. Ex hac itaq; temporum inaequalitate indicatur ipsa ortus signorum atq; occasus inaequalitas, nec unum esse ascensionis spatium, quæ res ad terrarum situm mundi q; positur à referenda prorsus est. Quo enim à linea æquinoctiali septentrionẽ uersus propius accesseris, sub æstatem maior fit diebus accessio, sub hyemem ue-

ro noctibus. Quo circa obliquitas ipsa signiferi orbis, ac recessus terrarum ab æquinoctiali ad septentrionalem cardinem, hanc ipsam temporum inæqualitatem efficit. Quam inæqualitatem præsci illi rerum cœlestium obseruantissimi ut manifestiore facerent, spatium omne quod est terrarum a linea æquinoctiali ad septentrionis uerticem ad quem qui ab austro recedunt, uidentur continue ascendere, in septem climata, inclinationesq; et, ut ita dixerim, cliuos diuiserunt. Et primum quidē siue illud clima, siue potius cliuū, aut etiam tractū, aut inclinationem uocaueris, tum diem maximum sub æstiuum solstitium, tum noctem longissimā sub brumale, tredecim tantum horarū habet. neq; enim ultra hoc spatium aut dies aut nox illic producit, neq; citra undecim subducitur. Hic tractus quoniā Meroen Aegypti pertingit, inde a Græcis *δία μέρους* est agnominatus. In secundo autē climate dies et noctes ad horas tredecim adiacunt horæ unius dimidii, ubi maxime productæ sunt, ac tantundem demūt ubi subductæ. Quod quoniā Syenem, quæ est plagæ illius urbs notissima, tractu suo cōplectitur, ab ea nomē accepit *δύα κουινς*, Et ille quidem tractus Meroensis, hic uero dici a nobis Syenensis potest. in tertio quod ab Alexandria dixere Alexandrinum, dies noctesq; maximæ illæ quidem sunt horarum quatuordecim, minimæ autem decem. In quarto, quod Rhodium est uocatum, ad horas has quatuordecim accedit horæ unius dimidium, rursusq; tantundem demūt ē decem. Quintum quod Romanum dicitur, habet dies noctesq; ubi productissimæ sunt, horarū quindecim, ubi subductissimæ nouem tantum. Sextum quod agnominatum est Helleponticum, addit ad horas has horæ alterius dimidium, ac tantundem demūt ē nouem. Septimum Borysthenicum habet horarū sedecim tum dies, tum noctes, ubi ad summum excreuere, at ubi quo decreuant amplius non habent, horarum octo. Quidam addidere octauum, Idq; Rhiphæum a Rhiphæis montibus, Quin etiam Hyperboreum uocauere. hoc in tractu maxime frigido et ab æquinoctiali linea quā remotissimo quo propius ad uerticem septentrionis accesseris, eo amplius augetur sub æstatem dies, sub hiemem noctes, siquidem compertum est ad horas uiginti accedere. Ac de his nūc hætenus. alibi distinctius atq; uberius. Ipsa uero æquinoctialis linea æquales semper dies noctibus efficit, quoniā nulla illic contingit terrarū aut signorū obliquitas, Secat autē interiorē Libya per sinū Hesperii, ultra fortunatas insulas, perq; montē, q̄ deorū currus dicitur, ac montē eiusdē tractus nomine Arualtē, inde transit per interiorē Aethiopiā ultra Garamanticā et Arangm montē, ac per Pyleos

per Pyleos montes, item Coloan paludem cis Lunæ montes, ac Nylæ paludes profectæ, secat Indicum pelagus, extremaq; Taprobanae et Chersonesi eius, quæ aurea dicitur, indeq; per Sinarum sinum pertingit locum, ubi Saenus flumini in sinum ipsum influit, ultra uero regio est nobis ignota.

De Signis Obliquis aut Rectis.

In ijs igitur tractibus, quos ab ipsa æquinoctiali linea septentrionē uersus octo esse posui, signa sex quæ sunt ab initio Capricorni usq; ad Cancri principium, quod obliqua oriuntur (recedunt enim ab austro, atq; in aquilonem assurgunt) singula minus duabus horis occupant in ortu, quo circa lucem citius nobis afferunt, et quod ad occasum recta descendunt, in ipso descensu singula duabus horis amplius occupant. Quo fit, ut cum celerius orientur, occidant tardius, diesq; ipsi tam diu crescant, dū ad Cancri initium Sol peruenerit, quo è loco quod signa ipsa recte incipiant exurgere, ob circuli conuersionē lucem tardius ad nos afferunt, quodq; in occasum præcipitantur, et obliqua decidunt, singulaq; breuius horis duabus descendunt, lucem citius auferunt. Quo circa noctes tam diu producantur, dum ad contrariam circuli conuersionem, quæ fit in prima Capricorni parte, Sol ipse lucis author profectus fuerit. Quæ igitur signa breuiori tempore, q̄ quod est horarū duarum ascendunt, ea obliqua dicantur, ascensionumq; pauca rū. At quæ duabus horis amplius supra finitorem tolluntur, recta, multarumq; ascensionum. Ex hac autem obliquitate, et oriendi rectitudine id efficitur, ut signa obliqua licet singula è triginta constantibus, tamen quod ad horarū pertinet spatium, pauiores habere partes dicantur. Si quidem idem ipse Aries, quod signum sub æquinoctialē lineam triginta partium est, in ipso primo climate ea celeritate ascendit, ut non plures quàm uiginti quatuor gradus, ac uiginti minutus partes gradus unius habere uideatur. At Cancer tanto tardior eo exurgit in eodem primi climatis tractu, ut ad triginta illas partes tres etiam gradus adicere intellegatur, quin etiam minutus partes uiginti. In septimo autē climate usq; adeo properare ortum Aries sentitur, ut quindecim gradus integros nullo modo impleat. Contra Cancer immoratur adeo, ut amplius etiā q̄ septem ac triginta gradus occupet. Hoc quod de gradibus dicimus, ut ad temporū atq; horarum spatia referamus, tale est. Cōstituamus locū in quo dies maximus sit horarū quatuordecim, ad quas etiam addat plusculum aliquid temporis, hoc in loco Cancer, quod rectum signum esse diximus, totus oritur ho

ris duabus, adiecta etiam duodecima parte horæ alterius. At Capricornus qui huic aduersatur, et obliquus exurgit hora una et deinceps, siquidem è duabus horis surripitur ei horæ unius pars duodecima. Quod enim Cæcro adijcitur ad horas duas, illud ipsum id est tantundem demitur è duabus horis Capricorno. Leo ite oritur horis duabus et triente, Aquarius hora una, trientibus duobus, Virgo exurgit tota horis duabus, trientibus item duobus id est partibus octo horæ alterius, Pisces huic contrarij hora una, triente uno. Quod enim Virgo sibi addit ad horas duas, Pisces imminuunt. Libra quoq; dū tota oritur, hoc ipsum tempus horarū duarū et trientiū duorū implet, at Aries horæ tantū unius et trientis unius spatium, Scorpius horas duas et trientem unū occupat in ortu, Taurus horā unā et trientes duos, Sagittarius horas duas, et duodecimā horæ partem, perinde ut Cancer, at Gemini perinde ut Capricornus horam unam cū deinceps, id est horas duas dempta tantum duodecima horæ parte. In horum autem ortu ratio mutatur, quantum enim duabus horis demitur, aut illis additur in exortu, tantum subducitur, aut adijcitur in ortu. Quæ ratio efficit ut Sole in prima Cancræ parte constituto, dies sit horarū quatuordecim, adiecta etiā alterius horæ parte, sexta. Ac nihilominus horis uiginti quatuor signifer totus conuertitur, signaq; sex hemisperio superiori, altera uero sex inferiori deferantur. Hæc quæ nūc dicimus manifestiora fiunt è regulis computationū pro locis, i quibus ascensionū ipsarū ratio queritur.

De Signis Præcipientibus et Obedientibus.

Ex hac tamē oriendi inæqualitate efficitur, ut signa quædam quod æqualiter absint ab æquinoctialibus punctis, habeant gradus inuicem sibi æquales, ultima enim pars Piscium contigua est æquinoctij uerni puncto, quemadmodū prima, sic etiā Piscium uigesima nona, uigesima octaua, uigesima septima, ac deinceps ipsdē spatij, quibus secunda, tertia et quarta Arietis ab eodē puncto, absint eadē ratio est partium Tauri et Aquarij, Geminarū et Capricorni. Siquidē trigesima Aquarij et uigesima nona, ac deinceps aliæ partes signi eiusdem, rursus prima et secunda Tauri, et quæ post sequuntur tantundem ab Arietini æquinoctij puncto remotæ sunt. Vltimæ quoq; partes Capricorni, primæ item Geminarum, et conuerso ordine, Geminarum ultimæ ac primæ Capricorni partes æquis portionibus puncto ab eodem distat. Eadē hac ratione atq; ordine partes Virginis Libræ partibus respondet, partes Leonis partibus Scorpij, partes Cancræ partibus Sagittarij. Singulæ enim uerso ordine ab æquinoctij autumnalis

puncto æqualiter distant, quàm ob causam easdem etiam ascensiones ac descensiones habent. Pisces enim et Aries æquatis, ut dictum est, temporibus exurgunt et occidunt. Idē seruât inter se Taurus et Aquarius, ite Gemini et Capricornus, quo circa Græce dicuntur ἰσοαρόρα, quod æquatis ascendant temporibus, quoniam etiam à multis dicuntur æquæ pollentia, quæ mutuis utantur uiribus, eadē est in ortu atq; ortu æqualitas inuicē Virginis ac Libræ, Leonis et Scorpij, Cancræ et Sagittarij. Hæc igitur partium æquidistantia, eadēq; ab æquinoctialibus punctis tantum remotio, tantum propinquitas, è quibus ascensionū ac descensionū similitudo manat, conueniētia inter se quandā atq; consensum, et familiarē, ut ita dixerim, affectionē ingenerat, atq; ut Græci dicunt, οὐκ ἀλλοτρίων. Quod in uita quoq; ciuili contingit, ut annorum æqualitas, ætatisq; ac morum similitudo beneuolentiā et coniunctionem pariat. Pueri enim ob ætatem pueris, senes senibus, continentibus continentibus conueniunt. Quod si à natura inest hominibus, an non coeli ipsius partibus inerit? à quibus profecto efficitur, ut illis hi, his illi, alijs alij tum magis, tum minus natura ab ipsa cōaliētur. Singulis enim hoibus naturalis quædam affectio, atq; propensio, et, ut hodie dicunt, inclinatio insita est. Quamobre in pronuntiādis sententijs atq; apotelesmatibus oportet Mathematicū partes has considerare, et quæ ex ipso partium consensu, atq; æquæ pollentia fieri possit, inspicere. Prisci quoq; tantum Aegyptij, tum Græci alterū semicirculū, à cuius initio postq; Sol ad eum peruenit, dies ex crescere incipiūt, æstiuū dixere, alterū uero hyemalē, quod ubi Sol ad eū descendit, dies superentur à noctibus. Quod dies igitur præferatur nocti, quæ calor frigori, lucis incrementū detrimento, hinc signa ipsa æstiuū semicirculi, quæ lucis, quod diei, quod est caloris augmentum afferat, uidererū pronētus existit in terris, honoris gratia dicuntur in pare, quæ uero in hiemali circulo collocantur, tantum subiecta illis obedire. Etenim in bene constitutis urbibus magistratus ipsi ac principes, quæ maiori sunt auctoritate præditi, præferuntur cæteris ciuibus, et in pretio habentur maiori. An non propter lucis auctoritatē, calorisq; præstantiā inter planetas ipsos Sol excellit? Iure igitur ut partes quædam partibus ob germanā æqualitatē cōsentire, inuicēq; familiariter iungi existimantur, sic ex ipsis signis alia præcipere, contra alia obedire indicantur. Quid. n. magis secundū naturā, quæ ut quæ potiora sunt, minus præstantibus præferantur atq; præsideant? Hæc quoq; cōsideratio ad intelligēda stellarum decreta plurimū adiuuētī disciplinæ huius studiosis affert. Nec uero explanandis his recusabimus quæ Porphyrius de præcipientibus, atq; obedientibus signis et sentit et tradit, statim subiungere. Obediunt inquit si

gnis signa, Libra qdē. Arieti, quod Aries diem augeat, ipsa uero mi-
 nuat, Pisces Taurro, quod Taurus plurimum est ascensionum, Pisces pau-
 ciorum, eodem modo Aquarius Geminis, Capricornus Cancro, Sagit-
 tarius Leoni, Scorpius Virgini. Hæc Porphyrius. Ex his igitur satis
 liquet solstitij æstui signum imperare signo sibi opposito, itemq; uer-
 ni æquinoctij signum imperare Libræ, ob dierum lucisq; magnitu-
 dinem atq; incrementum, atq; ob hanc ipsam rationē signa quæ ascen-
 dunt ab Ariete ad Cancrum imperare signis à Capricorno ad Arie-
 tem proficiscentibus, item signa quæ à Cancro declinant in Librā, im-
 perare signis à Librā in Capricornum declinantibus. Atq; hæc qui-
 dem præcipiendi, obediendiq; regula & ratio ab antiquis hunc in
 modum traditur.

De Antiscijs & gradibus sibi respondentibus,
 & signis se uidentibus.

Est etiam inter signa ac partes ipsas alia quædam, magnaq; consensio,
 & tanquam cognatio, quam profecto nouisse operæpretium fuerit.
 Nam licet Aries ac Virgo nullis se radiationibus aspiciant, mirifica
 tamen societate & quodam quasi fœdere iunguntur, adeo ut planeta
 in Virgine positus, quanquam Arietem non aspiciat, nihilominus uires
 suas in Ariete magis ac magis exercet. Hoc autem cuiusmodi sit, ape-
 rianus. Tamen si à Iulio Materno & à nobis ipsis in cōmentationi-
 bus nostris abunde est explicatum. Duo namq; cum sint solstitialia si-
 gna, ab altero decrescere quidem dies, augescere autem noctes incipi-
 unt, contra ab altero noctes decrescere, dies uero augeri. Si signum Ge-
 minorum præcedit Cancrū, Sagittarij Capricornum. Singulæ autem
 partes Geminarum uerso tamen ordine singulis partibus Cancri, iñ
 partes Sagittarij Capricorni partibus sunt æquales, tantundem enim
 à solstitialibus punctis absunt. Ac Sole in eis constituto idem contin-
 git noctium ac dierum spatium. Sol enim constitutus in primo Arie-
 tis gradu abest à puncto æstui solstitij tribus integris signis. Tantun-
 dem etiam abest, si in ultima parte Virginis collocetur, eodem Sole us-
 dem in partibus collocato, idem etiam contingit dierum ac noctium
 spatium, idem lucis, ac tenebrarum tempus. Eadem hæc æqualitas est
 inuicem partium Tauri & Leonis, Libræ & Piscium, Aquarij &
 Scorpij. Græci has partium mutuas consensiones dixerunt ἀριστωνίαι,
 ac si gradus signi unius, gradui alterius contrariam umbram iaciat.
 non quia primi gradus Arietis, quos æquales ultimis gradibus Vir-
 ginis diximus,

gnis diximus, cōtrarias inuicē umbras iaculentur, sed quod ab Arie-
 tis ascensu dies excrescunt, à Virginis uero descensu uergāt in detri-
 mentum, atq; inde superare noctes incipiant, hoc enim solo gradus
 illi differunt. quod Sole ab alteris ascendente dies ita procedunt,
 ut noctibus semper aliquid surripiant, ab alteris uero descendente
 ut semper aliquid amittant. Ammianus autem Marcellinus tradit
 eos, qui Meroen Aethiopiæ habitant, uocatos esse Antiscios, quod cum
 ea terrarum pars æquinoctiali subiaceat circulo, diebus nonaginta,
 umbræ quæ illic sub Sole fiunt, nostris aduersentur. Ponam ipsius Iu-
 lij Materni uerba, Geminarum pars prima in uigesimam nonam par-
 tem Cancri mittit antiscium, rursus Cancri uigesima nona pars in primā
 Geminarum partem antiscium mittit, secunda in uigesimam octauā,
 & uigesima octaua in secundam, tertia in uigesimam septimam, et
 uigesima septima in tertiam, quarta in uigesimam sextam, et uigesima
 sexta in quartam, quinta in uigesimam quintam, & uigesima quinta
 in quintam, sexta in uigesimam quartam, et uigesima quarta in sextā,
 & sic deinceps. Singulæ namq; partes à qua parte Antiscium excipiunt
 in eam rursus à se remittunt. Quemadmodū igitur Gemini et Cā-
 cer mutuis utuntur antiscijs, atq; inter se ratione hac reciprocantur,
 sic Taurus & Leo, sic Virgo & Aries, sic Libra & Pisces, sic Scor-
 pius & Aquarius, sic Sagittarius & Capricornus. Trigesima tamen
 pars signi, ut ipse ait, nullam in partem antiscium iacit, nam quo eā
 iaciat, aut à qua in ipsam reijciatur, non habet. quod supputatio ipsa
 manifestum efficit. His in partibus Sole constituto; ut qui æqualiter à
 punctis absit solstitialibus, dies diebus, et noctes noctibus sunt æqua-
 les, hoc solo differunt, quod hæc ascendunt ad punctū solstiale, con-
 tra illæ à puncto descēdunt. Quod facile intellegetur, si constituto in
 cœli medio solstitij æstui puncto, à uigesimo gradu Geminarum re-
 ctam lineam protenderis in decimum Cancri gradum, quæ partes
 inuicem & mittunt & remittunt antiscium. Inuenies enim utranq;
 partem tantundem à puncto abesse, ac triangulum duobus æquis
 lateribus dextra sinistraq; super protentam lineam constituere, &
 gradum quidem Geminarum sursum ferri, at Cancri deorsum in-
 clinare. Idem hoc continget, si lineas duxeris è partibus Tauri
 in partes Leonis, & è partibus Libræ in partes Piscium. eo quo di-
 ctum est ordine, rursus si ad alterum solstitium à Capricorno atq;
 sagittario exordiare, eadem contingent. Hæc igitur signorum par-
 tes ob hanc quam diximus societatem atq; cognationem, ac propter
 lineæ ab altera in alteram productæ æquationem mira quadā so-

cietate iunguntur, sibiq; inuicem suffragantur, quocirca uidere inuicē se signa hęc dicuntur, ob amicitiam et consensum. Etenim qui inuisi nobis sunt, uel non solum dissentiunt a nobis, uerum odio habentur, et quos odio habemus, uidere eos nolumus. Molesta quoq; omnia inuisa sunt, et inuidia ipsa ab animi aegritudine cum odio et maleuolētia nascitur. Quamobrem si quę stellę in alicuius genitura licet mutuis irradiationibus se non aspexerint, hac tamen antisciorum societate iungantur, plurimum profecto authoritatis nascuntur. Nec tamen nos fallit, Porphyrium, aliosq; nō paucos de signis se uidentibus alio modo sentire. Porphyrij ipsius uerba sunt hęc, uidentia signa sunt quę et diebus et noctibus equalium temporum spatium tribuunt. Etenim Sole in Cancro constituto, maximus dies est horarum quindecim, minimus uero nouem, cum Sol in Capricorno fuerit, Pares autem dies in Libra et Ariete. Igitur in Geminis et Leone dies est horarum quatuordecim, in Tauro et Virgine tredecim, in Ariete et Libra duodecim, in Scorpio et piscibus undecim, in Aquario et Sagittario decem, quocirca signa hęc se ipsa uident, ac si dicat, ob hanc ipsam dierum equalitatem mutuo inter se amore afficiuntur. Singulatim uero inuenti signorum ipsorum partes, facile apparebit, quę a Porphyrio dicuntur nō usquequaq; sibi constare, neq; enim singulę partes Leonis singulis Geminarum equaliter respondent partibus. Si quis enim a decimo Geminarum gradu in decimum Leonis gradum lineam protendat, ac super primā Cancrī partem, in qua maximus contingit dies, triangulum statuatur, inueniet latus alterum, quod est a prima Cancrī parte in decimam Leonis partem, ē triginta nouē gradibus constare, at latus alterum, quod est ab eadem Cancrī parte in decimā Leonis, uiginti non amplius graduū esse. Non igitur equaliter ab eodem puncto solstitiali distant. Nam et si Gemini ac Leo tantundē a toto Cancrī signo distant, non tamen equaliter a solstij puncto absunt, ultimus enim gradus Geminarū punctum ipsum solstij contingit, a quo tamen ad primam Leonis partem uiginti nouē Cancrī gradus interiecti sunt. Sin a primo Geminarū gradu ad primum Leonis portenta linea triangulū super punctum solstiale statueris, erit quidem utrunq; latus equalē, et dies equalēs, quoniam primi ipsi gradus a puncto equaliter absunt, ceterę tamen partes omnes in equali distant spatio. Quo fit, ut dies quoq; in equalēs sint, adeo ut præter hos ipsos duos dies, ac primos utriusq; signi gradus neq; interuallis a puncto solstitiali, neq; temporum equalitate conuenientiam inter se ullā Gemini ac Leo habeant. Quocirca ea quę de An-

iscijs ante sunt prodita, magis probanda uidentur, et signa ea magis q̄ hęc uidere se inuicem iudicāda, sibiq; mutuis fauoribus suffragari, ob partū equalē a solstio intercapedinem, tametsi ascensionibus differunt. Ipsa autē partium equalitatis existit, ut dixi, ex cōparādis ultimis partibus alterius signi cū primis alterius. Itaq; hoc ipso ordine hinc atq; illinc singulatim progrediēdo, Ptolemæus signa ipsa se uidentia putat æq̄pollere, hoc enim Græcū uerbū præ se fert. Cū igitur de præcipiētibus atq; obidiētibus præcepisset signis, statim subiecit, Rursum autē æq̄pollere inter se dicūt partes, ab utroq; signo tropico equaliter distantes, quoniā Sol ad uerū eorū profectus dies diebus et noctes noctibus, interualla quoq; horarū ipsarū ex æquatis temporibus efficit. Hęc autē et uidere se ipsę dicūtur, propter ea quę dicta sunt, et q̄ utrunq; ipsorū ex iisdem oritur finitoris partibus, et in iisdem occidit. Videtis Ptolemæum de partibus signorum magis quā de signis ipsis sentire, quę partes in eodem collocatę sunt parallelo, ac propterea ex iisdem semper et surgunt et decidunt locis. quo fit, ut se se ipsa uideant, et dies noctesq; sibi inuicem equalēs reddant. Quamuis autem hic ipse Ptolemæus de signis audientibus in institutione sua nihil omnino præcipiat. Sunt tamen et clari quidam uiri, atq; in ijs Porphyrius, qui tradant signa equalium ascensionum, quę diximus Græcē uocari ἰσωνόση, ut Arietem et Pisces, Libram et Virginem, Taurum et Aquarium, Geminos et Capricornum audire se inuicem, non autem uidere propter umbram terrę, eaq; ob hanc rationem æq̄pollere inter se putant. Quod igitur auditus quā uisus aliquanto sit hebetior, atq; hanc ipsam equaliū ascensionum cognationem, et, ut ita dixerim, affinitatem hebetiorem ac minus ualidam existimarent, dixerunt signa ipsa se se audire, hoc est beneuolentia quidem inter se affici, non tamen tanta, quanta quę uidere se dicuntur. Quocirca, ut diximus, hęc ipsa signorum cognatio, quę ab ascensionum equalitate profiscitur, consideranda est in ferendis sententijs. Ceterum quod propter terrę umbram se ipsa non uideant, nescio quā sit probandū. Primum quod umbra terrę eō coeli non ascendit, ut ad fixas stellas penetret, deinde quod inter Pisces et Arietem, Virginem ac Libram continuata inter se signa umbra obijci potest nulla, quin etiā si lineā a quouis Piscium gradu in quem libuerit Arietis gradum extenderis, terrę corpus nulla parte intercipies. cum uideamus Lunam stellarum omnium citimam tunc solū in terrę umbram incidere, cū ab ea ad Solē protracta linea terra media intercipitur, neq; alia ratione

posse eā deliquescere, tenebrasq; obducere sit compertū. Itaq; anile putandū est, qđ ab ijs hac in parte de terrae umbra dicitur. Quā ob rem ad alia trāseamus. Qui igitur aspectus, atq; configurationes, et quot etiam sint, quæ partes se inuicem uideant, quæ ue præcipiant, aut obediunt, hætenus dictum sit.

De signis Alienis & Inconiunctis.

Quæ uero signa neq; ex oppositis locis, neq; triangulariter quadrangulariter ue neq; è sex angulo sibi configurantur, adhæc quæ neq; præcipiunt, obediunt ue inter se, item quæ se nequaquā uident à partibus æque distantibus, neq; etiam audiunt, ea cū nulla inuicem familiaritate atq; societatis genere coniungantur, Aliena dicta sunt, atq; Inconiuncta, quodq; se nō uideāt, Auersa, Græce sunt, ut dixi, ἀουδρα.

De Decurijs seu Decanis.

Sunt & aliæ quædam familiaritatis atq; coniunctionis species, de quibus deinceps dicendū relinquatur, & primo quidē de Decanis, ut Græci uocant. Omnis enim hæc cōstitutio eō spectat, ut singulatim de planetis, id est quid singuli planetæ singulis in signis, signorū ue partibus collocati portendant, sententia ferri possit. Cū igitur una & eadē domus pariat in ciuitatibus cōiunctionē eā scilicet per quā q ex eadē domo sunt domestica dicuntur & familiares, hanc et ad similitudinē planetæ ipsi dicuntur habere domos proprias id est signa quædā adeo sibi cōuenientia, ut in ijs cōstituti, perinde ut patres familiarū in domibus imperēt proprijs. Est igitur inter signa et erraticas stellas et genus hoc coniunctionis præcipuū quidē, maximeq; obseruandū. Ac nihilominus quoniam permixtæ qualitates sunt, quemadmodū inter ciues ipsos aliæ atq; aliæ sunt coniunctionis ac beneuolentiæ species, sic etiā inter signa planetasq; usuenit, ut alias quoq; ob causas simul conalientur. Atq; ut in ciuitatibus, quoniā & ipsæ quoq; distributæ in partes sunt, tum uicinia eadem, decuriaq; tum etiā tribus deuincit ciues inter se, eodem pacto singula signa distribui placuit in regiones tres, ut singulæ decem essent graduū, unde sunt δέκαροι à Græcis appellati, Nobis placet appellare Decurias, tum ne peregrino utamur nomine, cum habeamus nostrum, quanquam & illud uideri nostrū potest, tum ut ciuilem constitutionem sequamur. Nam & urbs Roma non in æturias modo, uerum etiam decurias fuit diuisa, unde à decurijs dicti Decuriones. Singula igitur signa cum sint in tres decurias distributa, singulæ quoq; decurie habebunt decurionem suum, cuius distributionis hic ordo atq; hæc tradita est à maioribus regula, de qua Ptolemæus in libris Apotelesmaticum nullam, ut ego uideo, tradit præ-

tionem, tamen si de ipsis decanis mentionem non semel fecit. Arietis primos decem gradus, primamq; decuriam Marti ascripserunt, secundam Soli, tertiam Veneri. Sunt igitur in Ariete ut tres decurie, sic et tres decuriones, id est decanorum domini, sic deinceps per signa cetera quo ceptum est planetarum atq; decuriarum ordine progredi oportet. Nam prima Tauri decuria est Mercurij, qui Venerem sequitur, secunda Lunæ, quæ post Mercurium fertur, tertia Saturni, à quo rursus ordo continuandus est. Ex hac igitur decuriarum distributione per signa singula fit mixtura, & communitas quasi quædam planetarum inter se, quod item fit in ciuitatibus, quæ licet Reges suos habeant, qui ciuibus uniuersis, ac rei publicæ imperant, tamen singuli domos, prædia, uillasq; proprias sub eodem Rege possident. Quibus è rebus miscentur inter se, & coniuncti dicuntur. Dominatur autē Taurus Venus, nihilominus Mercurius, Luna, & Saturnus sub Venerem tanquam sub domino decurias habent, non aliter quàm qui prædia possident in agris, qui a gri nihilominus domini imperio subiacent. Est & hoc magnū utiq; coniunctionis uinculū, magnaq; ad propriam cuiusq; auctoritatem accessio. Etenim planeta in suo decano positus maiores decani sui præsidio uires cōcipit. Atq; ut agelli proprii possessor suam in illo iurisdictionem exercet. sic planeta in decuria propria collocatus. Quæ autem mixtura communicatioq; sequatur, ubi aliquis planeta in decano alieno repertus fuerit, ex emplo hoc aperiemus, Sol ea potissimum significat in nato, quæ ad animum pertinent, quocirca si in prima decuria fuerit Arietis inuentus, qua hora quis nascitur, cū ea sit Martis propria, mutuabitur ab illa quæ sunt secundum Martis naturam. Quocirca nati illius animo inerit uirilitas quædā, & tum belli, tum armorū studiū, quæq; alia sunt Martis propria. In secunda decuria inuentus, quæ sua ipsius est solis, uiribus suis multum addet. Itaq; natum illū excitabit ad claritudinem, & titulis atq; honoribus illustrabit, efficietq; ambitiosum, & gloriæ per cupidū. In tertia quæ Veneris est decuria, positus mutuabitur à decuria ipsa ea quæ ad Venerem referuntur, eritq; natus ille procliuior ad lasciuia, ad mollitiē, ad corporis uoluptates. Fit igitur planetarū significationibus ex decuriarū societate tum magna accessio, ubi planeta in sua fuerit decuria cōstitutus, tum et permixtio & temperatio, ubi in aliena decuria collocabitur. Harum autem rerū obseruatio ipsa magistra fuit, quippe quæ non decuriarum modo distributiones inuenerit, uerum etiam finis ac partium. Siquidem quinque stellæ erraticæ singulis in signis certos fines possident, de quibus suo quidem ordine differetur.

Graeci uocant *ἔρη*, maiores nostris fines. Namque ut in distributione terrarum atque agrorum Thuscii, Umbri, Campani, singuli item populi fines habent suos, in quibus iurisdictionem liberius exercent, sic ad hanc ferme similitudinem singulae stellae erraticae singulis in signis fines habent distributos, in quibus ipsae positae potentiores efficiuntur. Quae de re diuersae ueterum fuerunt sententiae, quibus tamen minime repudiatis Ptolemaei potius opinionem sequimur. Is, ut scripta eius indicant, uideatur de finibus non parum dubitasse, cum non nullorum scriptorum rationes parum probet. Refert se se tandem in codices uetustissimos incidisse, quanquam magna ex parte carie exesos, ac uetustate consumptos, explicantes tamen ipsorum finium ordinem ac numerum, ex obseruatione diuturna praeteritarum genituarum collectum, quae res in disciplinis coniecturalibus praecipue sequenda est, ut in medicina, in augurali, in militari, ut in hac ipsa disciplina, quae quidem ex obseruatione potissimum quibusdam sumptis principijs post in praecipua atque instituta relata est. Ac primum quidem Soli Lunaeque fines attribuiti sunt nulli. Nam cum regnare inter planetas uideantur, quid opus fuit certos eis fines decernere? cum signiferi totius imperium penes ipsos esse intellexeretur. Etenim ut illorum naturas ad hominum res componamus, Luna corporum atque humorum est domina, Sol sensuum atque spirituum. Vtriusque igitur dominatus in hominibus talis est. Ad fingendum igitur corpus hominis, uitalibusque instruendum spiritibus, quae Solis ac Lunae officia sunt, sicuti duabus atque imperatoribus militum opera ministerijsque opus est, ita Soli ac Lunae quinque erraticarum officijs. Quocirca quemadmodum militibus attributa sunt loca sua in agmine, in acie atque in ipsis castris, sic erraticas quinque tanquam militibus loca quaedam sunt decreta, singulis in signis, perinde ut in castris atque in agmine, cum duces ipsi pro arbitrio huc atque illuc progrediantur, nec ullis se se certis locis contineant. Quando autem signifer totus constat partibus trecentis ac sexaginta, ratione finium attributae sunt Saturno septem et quinquaginta, Ioui nouem et septuaginta, Marti sexaginta sex, Veneri octoginta nouem, Mercurio septuaginta sex, quae simul coactae summam uniuersam duodecim signorum expleant, conueniuntque cum annis maioribus, quos singuli planetae conferunt. Singulorum autem signorum distributio ac distributarum partium numerus talis est, Arietis primae partes numero sex, Iouis finibus decernuntur, quae statim sequuntur octo Ve-

neris sunt finibus attributae, quae deinde sequuntur septem Mercurij, quae post has quinque Martis reliquae quatuor Saturni finibus annumerantur. Tauri octo partes quae primae quidem sunt, Veneris finibus ascribuntur, quae deinceps septem sequuntur Mercurij, quae item alterae septem Iouis. Post has quatuor Saturni, reliquae item quatuor Martis, Geminarum septem primae partes sunt in Mercurij finibus collocatae, quae deinde septem Iouis, aliae deinceps septem Veneris, quae dehinc quatuor Saturni, reliquae numero quinque Martis, Cancris primae partes numero sex Martis finibus ascriptae sunt, septem quae has sequuntur Iouis, post has alterae item septem Mercurij, adhaec aliae quoque septem Veneris, tres ultimae Saturni, Leonis quae primae sunt sex partes ascribuntur Saturno, quae sequuntur septem Mercurio, quae post has numerantur sex Veneri, quae alterae sex Ioui, quae reliquae sunt quinque Marti. Virginis fines hoc ordine ac numero distinguuntur, primae septem partes annumerantur Mercurij finibus, sex quae statim sequuntur Veneris, quae dehinc quinque Iouis, quae dehinc sex Saturni, quae reliquae sunt sex Martis, Librae primae sex Saturni, quinque statim insequentes Veneris, quae subsequuntur octo Iouis quae post has sequuntur quinque Mercurij, reliquae sex Martis, Scorpii sex primae sunt Martis, insequentes octo Iouis, quae post sequuntur septem Veneris, quae deinceps sex Mercurij, tres ultimae Saturni, Sagittarius partes suas hac planetis ratione distribuit, primas octo Ioui, sex quae statim sequuntur Veneri, quae deinde sequuntur quinque Mercurio, sex insequentes Saturno, ultimas quinque Marti, Capricorni partes diuiduntur hoc modo, primae sex datur Veneri, alterae sex Mercurio, septem subsequentes Ioui, quae has sequuntur sex Marti, reliquae quinque Saturno, Aquarii primae sex sunt Saturni, alterae sex Mercurij, octo insequentes Veneris, quinque Iouis, reliquae quinque Martis, Piscium primae partes octo numero sunt Veneris, sex insequentes Iouis, alterae sex Mercurij, aliae item sex Martis, quatuor reliquae Saturni. Atque hic quidem ordo ac numerus diuidendorum per singula signa finium a Ptolemaeo proditus ac probatus est. Nos rem hanc ut difficilem nec satis notam aperire enucleatius tentabimus, Atque eo magis, quod alijs ampliores, arctiores alijs fines ascribuntur, ut non satis aequa uideri distributio ipsa queat. Si enim aequis e partibus facta esset inter quinque erraticas stellas finium diuisio, sex tantum partes cuique in sortem cecissent, quod secus quidem accidit, cum uideamus nunc pauciores partes, ut quatuor, ut quinque, nunc plures, ut septem, ut octo alij atque alij distributas esse.

Ratio de numero & ordine finium.

In omni civilis iustitiæ distributione ea esse solet regula, ut singulis civibus eadem mensura metiendū non sit, siquidem & ætatis & familiaritatis, & rerum gestarum ratio habenda est. Quocirca gradus quidam honorum ac magistratuum constituti sunt. Neque enim civilia munera debentur omnia omnibus, verum alijs alia, & ijsdem ipsis alio atque alio tempore. Similis tum ratio tum regula dividendorum finium servata mihi videtur inter planetas, cum & altitudinis & triangularitatis, & domicilij ratio prorsus sit habita, præferaturque altitudo triangularitati, & utraq; simul domicilio, ac planeta, cui in eodem signo duarum prærogatiuarum sors obtigisset anteposatur ei, quæ tantū utatur prærogativa. Quæ est re factum est, ut pro servanda prærogatiuarum æquabilitate, finium ipsorum inæqualis numerus sit in distribuendo servatus. Neque enim aliter iuxta atque æqui recta ratio teneri poterat. Exquiramus igitur primo loco fines Arietis, hoc signi Martis domus habetur, eiusdem signi triangularitas est Iovis. triangularitas autem præfertur domui, quoniam ea trium simul signorum amicitiam & foedus coniungit. Iure igitur Marti Iupiter præponitur, iure ut honoratori primus finium locus conceditur, præsertim cum sit natura Iovis benefica & salutaris, contra Martis noxia & perniciofa. Datur hinc secundus locus Veneri, quoniam post Arietem Taurus incedit. Sunt enim tria simul signa capienda, videndumque quam quis prærogativam in tribus his signis, aut in ipsorum aliquo retineat, Tauri domina est Venus, eadem etiam domina est Taurina triangularitatis, quocirca secundus finium locus iure Veneri concessus est. Cur autem Iovi sex, Veneri octo partes ascribantur, prætereundum non est. Nimirum Iovi sex debentur propter æquabilitatem distributionis. Singulis enim quinque planetis in signo quolibet sex debite sunt partes. quinque enim sex ubi produceris, triginta partes id est signum unum æquis portionibus constitues. Huic pars una addenda esset, propter triangularitatem, septem ut essent partes. Sed Venus quæ statim sequitur duplici munita præsidio domus ac triangularitatis eripit ei partem illam quam sibi ipsa iure vindicat. duæ namque prærogativæ uni præferuntur. Venus igitur ut una est quinque erraticis accipit sibi partes sex, ad quas addit partes duas iure domus ac triangularitatis, quarum alteram Iovi eripit habenti unam tantum prærogativam. Habet igitur ob has ipsas causas Iupiter partes sex, Venus octo. Sed cur non Venus sicuti partium numero præcellit, ordine etiã Iovi

antefertur? An quia Iupiter cum Arietina sit triangularitatis dominus & maxime beneficus, ordine præferendus est Veneri? quæ nec adeo benefica est, & triangularitatis iura in Tauro subsequenti signo exercet non autem in Ariete. Est enim in suo quàm in alieno prætorio magistratus quisque honoratior. Quia vero post Taurum sequuntur Gemini, in quibus Mercurius duplicem habet domus ac triangularitatis prærogativam, iacit tertius finium locus Mercurio attributus est. Ad sex igitur partes illi debitas, ut uni est septem erraticis addita est pars una, ut essent Mercurij fines è partibus septem. Præfertur ei Venus & ordine & numero, quia Taurus cuius Venus est domina Arieti coniungitur, connexius autem vinculum est vicini quàm tribulis. Præfertur ipse Iovi numero partium ob duplicem prærogativam, Iupiter ei ordine quia beneficus & triangularitatis Arietinae dominus est. Sequuntur Martis fines, quoniam in Ariete domesticam habet iurisdictionem. Præferuntur autem ei Iupiter Venus, & Mercurius, quoniam triangularitas præfertur domui, & duæ prærogativæ uni anteposuntur. Quocirca Mars una tantum prærogativa ornatus quartum locum retinuit, amisit autem è sex partibus, quæ illi debebantur ut planetæ unam, quam sibi Venus ascivit, prærogatiuarum & beneficentiæ titulo. Ultimus locus relictus est Saturno ut planetæ, ac nihilominus habenti triangularitatis iurisdictionem in Geminis, quod signum est ab ariete tertium, hic de iure suo partes duas amisit, quarum alteram Mercurius, alteram Venus sibi arrogavit, cum duplici præsidio munitur. Restat etiam quærere cur de Saturno & Iove potissimum fiat partium ademptio, nec minus etiam de Marte, cum raro admodum de Venere Mercurioque partes auferantur? Nimirum Saturnus ac Iupiter planetarum omnium tardissimi sunt, Mars quoque quàm inferiores longe tardior est. Veneri igitur ac Mercurio quod breviori tempore singula signa peragravit, plures partes attribuere placuit, ut quod aufertur eis temporis, pensetur in partibus, contra a Saturno, & Iove adimere, quippe cum diuturniori tempore in signis ipsis atque in partibus immorentur. In hoc enim ipso ratio quoque habita est æqui iuxtaque, ut plus habeat partium qui minus immoratur, rursus minus partium qui immoratur diutius. Quæret hic aliquis, cur in finibus distribuendis habita sit ratio solum trium, quæ insequuntur signorum, nec ad quartum sit facta progressio. An illa est causa? quædã annus ipse in quatuor diuisus est tempora, ipsa vero tempora in signa tria id est in menses tres, p̄inde ut signorum orbis diuisus est in quadras quatuor, quarum singulæ tribus tantum signis consistet. An quædã non minus rationale vi

detur, quia quartum quodque signum est male amicum ob aspectus hostile irradiatione? quo circa neque praesidium ab eo loco neque auctoritas quaerenda est.

De Finibus Tauri.

Sed Arietis finium distributione explicata, Tauri quoque distributione exequamur, eadem ratione tertium ab eo signum perquirentes, ut intelligamus quod domicilij quis triangularitatis atque altitudinis prerogativam in tribus ipsis signis obtineat. Cum igitur (ut dictum est) domicilij ac triangularitatis huius Venus sit domina, duplicis prerogativae ratione duas ad sex illas sibi debitas partes adiunxit, quin etiam quod benefica est, iure in signo suo praelata est Mercurio, ac primum locum sortita. Iure etiam secundus locus concessus est Mercurio, cum in secundo et succedenti signo domus ac triangularitatis teneat prerogativam, quod ob rem ad sex illas unam sibi arrogavit, ut Veneri octo, Mercurio septem sint partium fines ascripti, tertium sibi locum vendicavit Iupiter, quoniam in Cancro, quod tertium signum est, altitudinis ius habet, unde unam sibi partem ascripsit. Septem partibus sibi vendicatis. praeposuntur tamen ei Venus et Mercurius, cum duabus uterque eorum prerogativis utatur, in signis Cancrum antecedentibus. Quartus locus permissus est Saturno, quoniam in Geminis habet triangularitatis prerogativam, Marti quintus ob idem triangularitatis ius in Cancro. Posthabitus autem est Mars omnibus, quoniam Cancer tertium et ultimum signum est in Taurina distributione examinanda, Iupiter vero praelatus est Saturno et Marti, quoniam altitudo preferenda est triangulo. Adhaec cum Venus, Mercurius ac Iupiter quatuor sibi partes prerogativarum iure arrogaverint, relinquuntur, ut tam a Saturno, quam a Marte qui unam ac parem inter se prerogativam habent, fiat adeptio. Quo circa est sex illis partibus utrique debitis ut planetis duae a Saturno, alterae item duae auferantur a Marte.

De Finibus Geminorum.

Placet dehinc explicare Geminorum de finibus distribuendis causas. Ac primus quidem locus datus est Mercurio, duplici domus ac triangularitatis suffragio, unde parte una arrogata fines sibi partium septem vendicavit, secundus Ioui locus est partibus item septem duplici suffragio et altitudinis in Cancro, qui Geminis succedit, et triangularitatis in Leone, qui sequitur Cancrum. Quam ob causam unam sibi partem arrogavit, et Veneri praelatus est, cui tertius est locus attributus partium etiam septem, ob iurisdictionem Cancrinae triangularitatis, in qua

Venus auctoritatis plurimum habet. Quartus locus datus est Saturno propter iura triangularitatis in Geminis. Praefertur autem hac in distributione Saturno Mercurius propter duplicem prerogativam, Iupiter propter altitudinem, Nam et duae prerogativae praefertur unum, et altitudo antecedit triangularitatem. Nec vero praetereundum est, cur Saturnus Veneri praelatus non fuerit, cum Gemini in quibus habet Saturnus triangularem iurisdictionem, praecedant Cancrum, in quo Venus quoque triangularem habet iurisdictionem? An quia naturalis Veneris benefica est, contra Saturni malefica? Etenim in bene constitutis civitatibus probitas ac benefaciendi studium praefertur in probitati ac malitiae. Retinuit autem sibi Saturnus partes tantum quatuor, Mars vero quodque, cui ultimus finium relictus est locus. Et a Saturno quidem ablatae sunt partes duae, quoniam tardioris est motus, a Marte vero una. Queri autem iure potest si in tertium quodque signum progrediendum est, cur non Ioui primus datus est locus, si enim in Leone progrediemur, ius triangulare in eo Iovem habere inveniemus. Itaque et propter altitudinem, et propter triangularitatem in hac ipsa distributione videtur praefertendus. Praelatus tamen est Mercurius, quoniam eius iurisdictiones Iouis considerentur in Cancro et Leone subsequentibus signis, quam ob causam Saturnus quoque praelatus est Marti.

De Finibus Cancri.

In distribuendis vero Cancri finibus primus Marti concessus est locus, cum sit Cancrinae triangularitatis dominus, retinuit tamen sibi partes tantum sex, Ioui secundus, quoniam dominus est triangularitatis Leonis, qui Cancrum sequitur, habetque in Cancro ipso altitudinem, vendicavitque sibi propterea partes septem, tertius Mercurio, quoniam tertio loco Virgo sequitur in qua domicilij atque altitudinis ius habet Mercurius, atque ob eam rem partes etiam septem sibi vendicavit, quartus Veneri ob iurisdictionem triangularem, cum in Cancrina triangularitate plurimum valeat, ob qualitate atque conditionem, unde partes quoque septem sibi ascriuit, privilegio et beneficentiae ac celeritatis. Ultimus locus est in tribus tantum partibus relictus est Saturno, nulla in Cancro, Leone et Virgine prerogativam habenti. Quo circa tres ei sunt partes adeptae, quarum singulas Iupiter Mercurius ac Venus sibi arrogaverunt. Queri potest hac in Cancri distributione, cur Mars praeferatur Ioui, ac Mercurio, cum uterque duplici utatur prerogativa, ipse tantum una sit fretus, An propter Lunam quae est Cancri domina? cui cum fines attributi sint nulli, ob eas quas diximus rationes, placitum est prerogativam Lunarem Marti concedere,

iure domestico in eum translato, atq; ad triangularitatis ius adiuncto, qua è re primi loci tantum sibi prerogatiua uendicauit, non tamen ut quam sex plures sibi partes ascriuerit, ut si ob Lunæ rationem praefertur in ordine, uincatur tamen partium numero, ratione triangularitatis atq; altitudinis, & quia maleficus est.

De Finibus Leonis.

Eadem ratione primæ sex Leonis partes attributæ sunt Saturno, iure Solis, qui Leoni dominatur in Saturnum translato, non tamen ut plures sex ei partibus ascribantur. Satis enim uisum est ob Solis suffragium locum ei primum conferre. Secundus locus tributus est Mercurio, propter succedentem Virginem, in qua domicilium atq; altitudinem sibi constituit, uendicauitq; propterea partes septem, tertius Veneri propter Libram insequentem, in qua domicilium habet, retinuit tamen partes tantum sex, quoniam in Virgine Venus deijatur, quartus Ioui, iure triangularitatis, quod habet in Leone, quam ob causam uidetur Veneri anteferendus. Etenim triangularitas praefertur domui, nihilo tamen minus Venus ipsa triangulare ius exercet in Virgine. Sunt enim Virgo & Taurus ex eodem triangulo. Ipse etiam Iupiter sex tantum partes sibi è Leonis desumpsit partibus. Vltimus locus è quinque constans partibus relictus est Marti, cui pars à Mercurio ablata est una propter ius altitudinis & triangularitatis eodem in signo. Quid autem causæ est cur in domo Lunæ Marti, in Solis uero domo primus Saturno concessus est locus? An quia Mars & Luna sunt nocturnæ conditionis? Sol & Saturnus diurnæ? qua è re non parua familiaritas conciliari uidetur.

De Finibus Virginis.

Virginis primæ septem partes ascribuntur Mercurio, ut qui domum illie habeat & altitudinem, sex insequentes Veneri, quoniam est triangularitatis huius domina & Libræ, quæ statim sequitur. Ad sex autem partes nullam arrogauit, quoniam ipsa in Virgine deijatur, Ioui ascribuntur tantum quinque, ut qui nullam in tribus his signis Virgine, Libræ & Scorpio iurisdictionem exerceat, unde facta est ab eo partis unius ademptio. Post Iouem Saturnus uendicauit sibi partes sex, quoniam altitudinem ac triangulare ius habet in Libræ, quam ob causam partem unam Ioui eripuit, tametsi Iupiter ordine prelatum est ei, ob

est ei, ob naturalis beneficentiæ privilegium. Vltimæ sex Martis sunt, est enim Scorpij dominus, cui etiã Iupiter prelatum est, nullum in his signis ius exercens, sed ob naturalem, ut dictum est, beneficentiam. Hanc autem ob causam ultimus semper locus maleficus relinquatur in distributione finium singulis in signis, præterquam in Cancro & Leone, propter Solis ac Lunæ maiestatem, aut ubi plures prerogatiuas habent, ut in Libræ & Scorpio. Ab ipsa enim natura bonum malo praefertur, & à civilibus institutionibus probitas improbitati, temperantia immoderationi.

De Finibus Libræ.

Exercet in Libræ Saturnus altitudinis ac triangularitatis iura, quo circum primæ illi partes ascribuntur, non tamen plures quam sex, cum sit maleficus atq; omnium tardissimus. Secunda iura sunt Venere, tum propter domum, tum etiam ob triangularem iurisdictionem succedentis Scorpij, in quo magnam sibi Venus auctoritatem uendicat, retinuit autem partes tantum quinque, Ioui unam insequenti concedens, sola quidem prelationis prerogatiua contenta. Vnde sibi Iupiter partes octo uendicauit, cum in Sagittario tertio à Libræ signo & domus & triangularitatis prerogatiua exerceat, cui tamen prelata Venus est, quoniam Libræ & Scorpius antecedunt Sagittarium. Post Iouem quinque partium locus datus est Mercurio, quoniam habet in Libræ triangularitatis prerogatiua, cui à Ioue pars adempta est una, cum sit duplici munitus presidio. Vltimo loco sunt partes sex Martis propter domesticam prerogatiua, quæ habet in Scorpio succedenti statim signo.

De Finibus Scorpij.

Eiusdem Scorpij partes sex quæ primo loco numerantur, Marti sunt attributæ, propter iura domus ac triangularitatis, quæ post has octo numerantur, Ioui debentur ut maxime benefico, & habenti in Sagittario, quæ statim succedit, triangularitatis ac domicilij iura, est autem prelatum ei Mars, quoniam iura Martis sunt in ipso Scorpio, Iouis autem in succedenti signo. post fines Iouis, partes septem Venere decretæ sunt, ut beneficæ ac retinenti triangularem iurisdictionem in Capricorno, qui est à Scorpio tertius, succeditq; Sagittario. Post Venere fines partes sex Mercurio ascriptæ sunt. Post has Saturno decernuntur quæ tres sunt reliquæ, cum sit Capricorni dominus, cui tamè præ

latus est Mercurius ob naturæ suæ communitatem, eripuit autem Saturno Iupiter partes duas, ob duplicem prærogatiuam, Venus unam, ob prærogatiuæ suæ dignitatem. Etenim triangularitas domui antefertur. Adhæc utraq; stella benefica & salutaris est.

De Finibus Sagittarij.

Sagittarij partes octo quæ primæ numerantur, Ioui sunt attributæ, propter domum ac triangularitatem, sex quæ statim insequuntur partes Veneri, propter ius triangularitatis, quod habet in Capricorno, qui succedit Sagittario, quinque; deinde Mercurio, propter triangulare ius in Aquario, qui succedit Capricorno, sex post insequentes Saturno ut Capricorni et Aquarij domino, quamobrem nulla facta est ab eo partium adeptio, ut tamen si ob ius trianguli sit ei prælatus Mercurius, integrum tamen ipse retinuerit partium numerum, quæ Mercurius non retinuit satis habens, quod prælatus illi fuerit. Vltimæ partis quinque; numero Marti ascribuntur habenti in Capricorno altitudinem, ob quam Saturno præferendus esset, nisi ius ipsam Saturni geminaretur, cum & Capricorno & Aquario imperet, esset etiam Mercurio præferendus, sed communis Mercurij natura Martis maleficentiae antefertur. Siquidem Mercurij insita vis ad bonum quam ad malum non minus est accommodata.

De Finibus Capricorni.

Capricorni partes sex quæ primo numerantur loco, Veneri propter triangularitatem signi eius attributæ sunt, Mercurio ite sex propter trianguli prærogatiuam quam habet in Aquario statim insequente, Ioui septem ut Piscium succedentium domino. Præferuntur ei Venus & Mercurius ordine, propter trianguli prærogatiuam, illis ipse numero partium, quoniam maxime salutaris, Marti sex propter altitudinem, ob quam nihil ei est adeptum, tamen si posthabitus est, ut maleficus, Saturno quinque; partes reliquæ, ut domino signi à quo pars una est adeptæ, quod signi dominatus postremo habetur loco, & ipse maxime tardus est.

De Finibus Aquarij.

Aquarij primus locus sex complexus partes debetur Saturno, ut signi ac trianguli domino, secundus qui est sex item constat partibus Mercurio, propter triangularitatem, tertius qui partes octo complectitur, Venus

ri, propter iura trianguli atq; altitudinis insequentium Piscium, quæ quidem prælata est Saturno numero partium propter prærogatiuam altitudinis, quæ potior est triangularitate, item Mercurio, quia duæ prærogatiuæ uni antefertur. Rursum illi ordine ipso præferuntur Veneri, quoniam Aquarius antecedit Pisces, quartus locus quinque; partes continens Ioui habenti solum domesticum dominatum in Piscibus, ultimus qui similiter est est quinque; partibus Marti, habenti domesticam prærogatiuam in Ariete, qui est ab Aquario tertius, facta est ab utroque adeptio propter prærogatiuarum inferiorem auctoritatem, quodque; Pisces & Arietis sequuntur Aquarium.

De Finibus Piscium.

Prima Piscium distributio est partibus octo concessa est Veneri, propter altitudinis ac trianguli iura, secunda Ioui est partibus sex, quoniam est Piscium dominus Arietisq; triangularitatis, tertia Mercurio est partibus item sex, quarta Marti ex eodem partium numero, quinta est quatuor reliquis Saturno. Est autem prælatus ambobus his Mercurius ut maleficus, Saturno Mars, quoniam Arieti dominatur, qui Piscibus succedit. Adhæc Saturnus nullum sibi ius in tribus his signis Piscibus, Ariete & Tauro uendicauit. Fuimus hac in parte & in hoc de finibus tractatu aliquanto longiores, dum ignoratam à recentioribus scriptoribus rationem persequimur, & corruptam à posterioribus ueterum traditionem emendare tentamus. Quia in parte peccari uix à quoquam poterit, si ubi de quo signo queritur, primum contemplatus fuerit, qui est planetis quinque; in eo, atq; in duobus insequentibus signis plures potioresq; prærogatiuas habeat, deinde beneficorum maleficorumq; delectum habuerit, ac quibus addendum, quibus auferendum sit, meminerit, si rationem Solis ac Lunæ in Cancro et Leone, si Mercurij communem naturam intuebitur, si denique intellexerit altitudinem triangularitati, & hanc ipsam domui præferendam, atq; in tribus contumis signis primum secundo, secundum tertio fore anteponendum. Hæc autem tum decuriarum tum finium constitutio uidetur mihi nullis certis rationibus nisa, quæ obseruatiõe ab ipsa, magna utriusq; auctoritatis facta sit accessio in utraq; felicitatis atq; infelicitatis significatione. Qui tamē primæ et decurias et fines statuere, uidentur id secuti, quod natura ipsa secuta est in constituendo hominis corpore, dum multitudine uenarum ac uarietati sparsim & quasi per lineas quasdam illud figurat, neruorumq; textu artificioso.

re connectit, quæ est figuratio & nexu totum quidem secum integratur, habileq; & efficax ad mouendum, atq; ad sentiendum redditur, ut singulis itidem in finibus decurijsq; suis inesse vires facultatesq; arbitrati, pro naturis planetarum illas distribuere, perinde ac per membra singula, partesq; ipsas corporis proprias vires ac virtutes natura partita est, pro qualitate uenarum, nervorumq; contextu. Quæuis autem de finibus à Ptolemæo probatis deq; illorum distributione ratio sit à nobis reddita, nihilominus constitutionem quoq; Aegyptiorum subiungemus, quam pleriq; sequuntur, & in us Julius Maternus. Cuius quidem constitutionis ratio nec probabilis ulla ab illis redditur, nec cur probanda sit, per se ipsa apparet. Itaq; qui illa sequuntur, uidentur solam prorsus Aegyptiorum scriptorum auctoritatem secuti. Ipsa autem constitutio finiumq; distributio, huiusmodi ab illis traditur. Vt Arietis partes sex quæ ab illius principio numerantur, sint Iouis quæ subsequuntur alteræ sex sint Veneris, quæ post eas octo Mercurij, quæ deinceps quinque Martis, quæ reliquæ sunt quinque Saturni. Tauri partes octo quæ primæ numerantur Veneris, quæ statim sequuntur sex Mercurij, quæ deinceps octo Iouis, quæ post eas quinque Saturni, quæ tres reliquæ Martis. Geminarum partes sex quæ primæ, Mercurij, quæ statim sequuntur alteræ sex Iouis, quæ post eas quinque Veneris, quæ deinceps septem Martis, quæ ultimæ sex Saturni. Cancris quæ primæ sunt septem numero Martis, quæ post sex Veneris, quæ inde alteræ sex Mercurij, quæ deinceps septem Iouis, quæ ultimæ quatuor Saturni, Leonis primæ numero sex Iouis, quæ post sequuntur quinque Veneris, quæ post eas septem Saturni, quæ deinceps sex Mercurij, quæ reliquæ sex Martis. Virginis partes septem quæ primo loco constitutæ sunt Mercurij, quæ statim post has numerantur decem Veneris, quæ deinceps quatuor Iouis, quæ post has septem Martis, quæ duæ sunt ultimæ Saturni. Libræ quæ primæ sunt sex Saturni, quæ post eas octo Mercurij, quæ deinceps septem Iouis, quæ deinceps alteræ septem Veneris, quæ duæ sunt reliquæ Martis, Scorpii quæ primæ sunt partes septem Martis, quæ post eas quatuor Veneris, quæ statim octo insequuntur Mercurij, quæ post quinque Iouis, quæ ultimo loco sex Saturni. Sagittarij quæ duodecim primæ numerantur Iouis, quæ post quinque Veneris, quæ deinceps quatuor Mercurij, quæ deinceps quinque Saturni, quæ reliquæ sunt quatuor Martis. Capricorni quæ primæ sunt septem Mercurij, quæ post alteræ septem Iouis, quæ deinceps octo Veneris, quæ post has quatuor Saturni, quæ ultimæ sunt alteræ quatuor Martis. Aquarij septem quæ primæ sunt partes Mercurij, quæ deinceps

ri, quæ deinceps sex Veneris, quæ deinceps septem Iouis, quæ post has quinque Martis, quæ ultimæ sunt alteræ quinque Saturni. Piscium partes duodecim quæ primæ numerantur Veneris, quæ statim sequuntur quatuor Iouis, quæ post illas, tres Mercurij, quæ deinceps nouem Martis, quæ duæ sunt reliquæ Saturni. Quæ propter ad ea quæ restât tractamus. Ac primo quidem de triangularitatum dominis, de quibus toties supra mentionem fecimus, differemus.

De Dominis Triangulorum seu Triplicatam.

Triangularitas, ut dictum est, è tribus constat signis, eaque Græce est τριων, unde Latine etiam triangulus dici potest, recentiores triplicitatem dixere, à tribus quibus ipsa composita est signis. Prima, ut iam diximus, tribus è signis constat igneis, masculinis secum maxime consentientibus ob qualitatis conditionisq; similitudinem, et cõfigurationis beneuolam irradiationem. Huic dominari Sol ac Iupiter dicuntur propter qualitatis conditionisq; consensum. Sol enim ac Iupiter calidi sunt, masculini, ac diurni, & Sol quidem cum sit lucis ac diei auctor, die magis dominatur, noctu uero Iupiter, quippe qui Soli cesserit, maiestatem illius ueneratus. Ad hæc Sol in Ariete altitudinem, Iupiter autem in Sagittario, & idem ipse Sol in Leone domesticam habent prærogatiuam, secunda triangularitas est in Tauro, Virgine & Capricorno, foemina ac nocturnis signis, cui Luna & Venus imperant, cum ipsæ quoque nocturnæ ac foeminae sint, noctu tamen Luna, cum luminare nocturnum sit, potiores sibi in imperio partes uendicat. utraq; autem in Tauro suam habet prærogatiuam domicilij Venus, altitudinis Luna. Quæ sequitur triangularitas è Geminis, Libra & Aquario, ascripta est Saturno & Mercurio, cum signa ipsa sint masculina & diurna, cuius conditionis est Saturnus, qui sibi Mercurium socium asciuit, tum quia mediæ conditionis est, tum quia domesticam habet in Geminis prærogatiuam. retinuit tamen ipse sibi principatum diurnum, & quia diurnus, & quod altitudinem habet in Libra, ac prærogatiuam domesticam in Aquario, nocturnum uero Mercurio permisit. Ultima triangularitas è Cancro, Scorpio & Piscibus foemina ac nocturnis signis, Martis dominatui permissa est, cum sit & ipse nocturnæ conditionis, atq; in Scorpio domesticum ius exerceat, asciuit tamen sibi socias, atq; in partem dominatus Lunam ac Venerem propter nocturnam foemineamq; conditionem, cum Luna etiam dominetur Cancro, et Venus habeat in Piscibus altitudinem,

in nocturno tamen principatu Veneri prelati est Luna, cum sit luminare nocturnum, & corporum atq; humorum domina. Fuit autē a primū trianguli principatu Mars exclusus, tamen si domum in eo habeat, quā esset nocturnæ conditionis, Saturnus uero a principatu secundi, quod diurnæ, rursus Venus a domatu tertij, quod noctis sequeretur conditionem, adeo in principatibus triangulorum constituendis conditionem diei ac noctis sequi placuit, quam multi è scriptoribus secuti, & in ijs maximæ auctoritatis uir Dorotheus singulis in triangulis tertium etiā dominū statuere, qui esset dominatus totius particeps. Quod circa prima in triangularitate Saturnum, ob diurnam conditionem Soli ac Ioui collegam addidere, fuisse qui Martem, propter domesticam in Ariete iurisdictionem, in secunda item Veneri ac Lunæ Martem, quod nocte pariter letarentur. Sunt qui Mercurium quoq; in Virgine ipsa adiunxerint, in tertia Saturno ac Mercurio Iouem, quod ipse quoq; esset diurnus & masculinus. Est autem Saturno prepositus Iupiter in primo triangulo propter domum, Ioui Saturnus in tertio propter domum atq; altitudinem. Quod circa in hominum genituris, ubi genituræ ipsæ diurnæ fuerint, primo Solem, deinde Iouem, ultimo loco Saturnum, at cum nocturnæ, Iouem primo, Solē deinde, postremo Saturnum considerandum iubent in Arietino triangulo. Verū de triangularitatu significationibus, earumq; effectiōibus parsum multa a nobis dicuntur. Græci hos ipsos triangulorū dominos uocāt τριγωνοκράτορας, a nobis fortasse non inconcinne Triangulatores dicuntur, qui non in genituris modo hominum, uerum etiam in urbium & in annorum conuersionibus summo studio uidendi sunt.

De Signis & Ventis.

Hic parti quoniam in aere & sepius & manifestus stellarum uis cernitur, subiicienda statim uidetur de uentis explicatio, qui cum ex aspiratione terrestri, ac maxime aresacta consistit, dubium non est a Sole potissimum eam aspirationem aeri. Ipsi autem uenti cum a quatuor spirant cardinibus, ipsorum quoq; cardinum qualitates accipiunt. Etenim partem eam mundi quæ ad ortum est, cum Solem qui caloris est author singulis ad nos diebus afferat, calidam quidem, & quia Sol inde assiduus uenit, siccā quoq; esse par est, aduersam uero huic aduerso modo humidam atq; frigentem, quod Solem ipsum terris afferat, è cuius abitu frigus necesse est sequi, cuius rei nox ipsa indicia est, atq; ut a calore diurno siccitas, sic nocturno a frigore humiditas

sequatur oportet. Subsolarius igitur qui ab oriente flat cardine, si quidem status ipse, ut Aristoteli placet, quædam aeris est impulsio redūdantis uel aspirationis commotio, perinde erit affectus, ut dies ipse, ut regio a qua fertur. Huic contrarius fauonius, quod noctis naturam, quod occasus qualitatē sequitur, erit contrario modo affectus, ut enim aduentus Solis ac præsentia calorem, sic recessus atq; absentia frigus parit, atq; ut illius incrementis comes est siccitas, sic huius humiditas est sociā, atq; ut duo hi aduersi cardines sunt, sic dies & nox, sic calor & frigus, sic aridum & humectum, contrarij effectus, contrariæq; qualitates ab eis manant. Vt autem cardines hi mundum ab ortu atq; occasu æquis diuidunt partibus, ducto per ipsos circulo, sic qui summū atq; imū cœli uerticem duo cardines a dextra atq; sinistra illorū secant, paribus quoq; partuntur interuallis, quorum alter id est septentrionalis cardo ab utroq; cardine surgentis atq; cadentis Solis singulas tantum qualitates sibi conuenientes assumit. Nā si ab eo Sol abest cardine, frigescere admodum illum necesse est, nimij autem frigus siccitas comes est. Ergo ab orientis Solis cardine siccitatem, ab occiduo frigiditatem mutuabitur, ut enim humiditatem ab hoc capiat fieri non potest, cum siccum atq; humidum simul coire natura minime patiatur, quod circa & uenti qui ab hoc flant cardine, aridi atq; frigentes sunt. Ad oppositum uero huic cardinem id est meridiei plagam, cui Sol sit ei maxime familiaris, ob hanc ipsam Solis familiaritatem plaga uehementius concalescit, unde spirantes inde flatus a finitimo cardine atq; a Solis uicinia calorem accipiunt. Quamobrem non temere Aristoteles affirmat subsolarium libenter transire in notum, hoc est in meridianum flatum ob ipsam qualitatis calidæ similitudinem. Cum autem parte ab altera hæc ipsa plaga meridialis declinet in occasum, ab ipso quoq; occasu mutuatur humiditatem, unde flatus ipsi illinc calidi, hinc humidi sint oportet. Quamobrem ut uenti septentrionales frigidi sunt atq; aridi, sic ex aduerso meridianales calidi atq; humides sint necesse est. Horū socij ut ad hunc quàm ad illum cardinem magis declinant, sic ex hac q̄ ex illa qualitate plus minus uel mutuatur. Tanta aut uentorū atq; aeris mutatio cū aliunde fiat, necesse est ut ad planetas atq; ad cœli referatur signa. Verū Soli ac Lunæ cū nulli certi flatus attributi sint, siquidē Sol author ac parēs horū ē motuū, et spiritus ipse ē uel aeris impulsio, uel redūdantis humoris commotio, cui Luna dominatur, inter quibus uagantes stellas distributio hæc flaturū uidetur potissimū faciēda. Quæ admodū observatio ipsa disciplinæ huius magistra iā docuit. Est igitur Saturno subsolaris, Marti fauonius oīo fami-

liaris, Veneri auster, Ioui septentrio addictus. Hinc prima triangula ritas uentos excitare septentrionalis magis creditur, pp Sagittarium, quæ domus Iouis est, hinc etiam septentrionalis dicta est, nihilominus occiduum quoq; uentum, cui nomen est Caurus propter Arietem Martis domum prouocat. Quocirca flatus occiduum qui in septentrionem declinat, facile in boream conuertitur. quando, ut Aristoteles tradit, & ipse cum spirat, boream mouet. si igitur subsolanus propter diurnam conditionem Saturno addicitur, cuius quidem conditionis dominus est Sol, non immerito fauonius addictus est Marti, propter nocturnam, cui Luna præsidet, conditionem. Ut autem Solis conditionem Saturnus, sic Lunæ Mars sequitur, unde & Mars in occasu fauoniam hoc est Lunarem assumere naturam dicitur. Secundam uero triangularitatem austris maxime familiarem esse, unde austrina dicitur, satis compertum est, propter Venerem Tauri dominam, quæ hunc flatum excitare creditur. Ac nihilominus triangularitas ipsa subsolanum sæpe euocat ab exortu, propter Capricornum cui Saturnus dominatur. Quæ res efficit ut auster subsolanusq; non raro mutescantur, quæ uentus Græce est *εὐπόροτος*. Nec mihi satis placet quod Ptolemæus tradit, gigni à Venere austrum, propter calorem humorumq; Ioui enim potius conueniret, à quo tamen septentriones gigni ipse met affirmat. Quid autem minus consentaneum, quam ut Mars qui calidus & siccus est, humidum tamen & frigentem flatum suscite? Quod circa excitandorum uentorum ratio non à qualitate frigidi calidiue, aut siccitatis humiditatisue ducenda mihi uidetur, sed à conditione potius et alia quadam ui, quod obseruatio ipsa docuit. Forsitan & illa Ptolemæum mouit ratio, quæ ut suo post dicemus loco, cum orbis hic noster in quatuor distributus sit cardines, Saturnoq; ortus, Marti occasus, Ioui septentrio, Veneri merides addicatur, ex eo uenti ipsi cardinales à cardinis præside excitentur. Tertius triangulus habet subsolanum sibi admodum peculiarem, propter Aquarium Saturni dominum, qui quoniam è masculinis signis est, & Saturnum habet dominum, diurnum quidem ac masculum, non nunquam sibi aquilonem adiungit, nam & Iupiter eiusdem quoq; conditionis est, unde fit subsolanus septentrionis mixtura quædam. Hinc uentum Ptolemæus *βορρηνιωτικόν* uocat, Latine hic ipse uentus suo nomine est aquilo. Vltimus triangulus fauonij suscitator dicitur, pp Martem ac Lunam, et quas ante posui causas libenter tamen pp Venerem et à meridie flatum euocat, est enim uentus tum eiusdem trianguli domina, tum etiam nocturnæ conditionis, unde africanus huic ipsi triangulo per quæ familiaris est, quæ à Ptolemæo

uideo notolibyrum uocari. De Mercurij autem stella in suscitandis uentis præcipere hoc possumus, quoniam uersatilis sit, & luminarium naturam sequatur, eam nunc nocturnam, nunc diurnam conditionem suscipere, Ac pro ipsa conditione nunc in hunc, nunc in illum uentum proniorem esse. Quocirca huius stellæ natura Solis ac Lunæ conditionibus accommodanda est, ut de uentis ac uentorum diuersitatibus certius ferri iudicium possit. Hæc autem in hunc quidem modum, fortasse etiam breuius quam res ipsa exigit, cum non tantum diuersa, uerum etiam contraria inter se rerum harum scriptores & dicant & sentiant, hæc in parte dixisse satis, ac pro loco fuerit. Post uero cum de signiferi partibus præcepta singillatim p fines signi cuiusq; tradentur & plura et accommodatiora, magisq; apposita a nobis referentur. Itaq; quoniam diximus de Decurijs, de Finibus, & eorum distributione, de Ventis quoq; reliquum est de Simulacris etiã ut aliquid dicamus.

De Simulacris quæ cum signis ipsis oriuntur.

Ad eam igitur partem in qua de decurijs agitur, adiungenda uidetur simulacrorum eorum explicatio, quæ cum ipsis oriuntur decurijs, unde Græce dicuntur *παράταλλοντες*, à recentioribus Latinis uocantur Imagines. Singulis itaq; cum decurijs singula enascuntur simulacra, quæ septem quoq; planetarum naturas ac uires sequuntur. Horum simulacrorum enarratio quod recentiorum authorum scripta declarant, anilia multa continet. Nos eã partem, quantum in nobis fuerit, expurgare aliquando tentabimus, de qua scripsisse fideliter ac diligenter apud Porphyrium inuenio Teucrum Babylonium uetustissimum Mathematicum, deq; Decanis ac Parantellontibus significationes sententiasq; singillatim protulisse, sed eius libri maiorum incuria temporumq; iniquitate hodie omnino extat nulli. Ipsorum autem simulacrorum uidetur ea uis esse, quoniam cum ipso nascuntur horoscopo ut imaginariã uim eius qui nascitur pro qualitate ac natura sua afficiat, & quodammodo affectã imprimat, qua ex impressione cupiditas et studiũ quoddam in anima nati inueniatur ad eas artes sequendas ad quas à signis planetisq; ipsis ac planetarum occultis uiribus impellitur, atq; ab ipsius simulacri peculiari ui trahitur. Ab his et ipsis simulacris manant secretæ quædam appetitiones, naturæ aliq; nõ nulla oblectamenta, et insitæ in animis ipsis ad res alias atq; alias propensiones, nõ ab electione aliqua, sed ab ipsa natura profectæ. Ipsa uero simulacra sequuntur tum planetarum naturas, tum signorum ac decuriarum, cum quibus oriuntur, ut dixi. Sed nec minus et ipsa quidem p se significationes ac potestates suas habet, unde non te-

mere formas illis, atq; effigies quasdam effinxere, a quibus simulacra imaginesq; dicuntur. Quaru explicatio otij est diligentiaq; maioris, atq; ob ea re in aliud a me tempus differtur. Hæc tamen interim qua dicemus, obiter explicasse, neq; ineptu sanè, neq; iniepestiuu fuerit. Generando in homine satis constat, cor primu gigni, ab eo mox suo tempore atq; ordine reliquu corpus, ut pote a principio, insunt enim corde in ipso ab initio generationis atq; ab insita vi partes illæ quidẽ oes, quæ postmodu progressu suo perficiunt corpus. An eodẽ hoc fortasse modo in caeli parte prima, in ipsoq; principio de quo constitutio corporis tota deducatur, usuenit? Atq; uti a uirtute uigoreq; cordi insito sensim reliquu constituitur corpus, sic ab ascendenti caeli parte prima, signiq; ex orientis decaria in genitura induuntur, et tanq; imprimuntur nascentibus uires, quædamq; facultates aut propesiones potius ad alia atq; alia, resq; ad diuersas? Neq; enim ita oia referenda erraticas ad stellas sunt, ut caeli ipsius continentis obliuiscamur, in quo quidem insunt, et a quo etiam defluunt rerum omnium semina. Ut enim cor hospitium est sanguinis, ex quo cuncta corporis statuuntur membra, sic caelum ipsum hospitium est syderum, quorum opera ministerioq; ac motu quoq; cum primis suo cuncta moderatur et efficit. Quo fit, ut quæ de simulacris his traduntur, contenda nequaquam sint. licet quæ Punicos apud scriptores leguntur, aniliter tradita uideatur.

De aspectibus Dextris ac Sinistris.

A spectibus quoq; planetarum et configurationibus tum quadrangularibus triangularibusq; tum se è sex angulo inuentibus subijcenda uideatur ratio, per quam qui dexter, qui sinister sit aspectus intellegi ualeat. Per multum enim refert a dextro ne an sinistro latere locus ipse aspiciatur, ac num sequatur? num ante gressus sit planeta qui locum aspiciat. Cum in ipso quoq; homine quid dextrum, quid sinistrum sit, non parum referat. Quippe cum sinistra manus foeminea quodammodo et imbecilla, hebesq; sit, dextra uero mascula, robusta et maxime agilis. Quod idẽ usuenit in configurationibus. Si cui enim Aries ascenderit, isq; in Leone Martem, in Sagittario Mercurium habuerit, cum horoscopus eius triangulariter hinc a Marte, illinc a Mercurio irradietur, nimirum a Mercurio dextrum optineri latus in configuratione affirmabimus. Vniuscuiusq; autem signi quæ dextra, quæ sinistra irradiatio sit, hac uia intellegemus, si ubi signum ipsum in horoscopo collocauerimus, quæ signa prægrediatur, quæ etiam se-

quantur, statim inspexerimus. Sit igitur signum ipsum, cuius latera querimus, Aries, quæ si de Capricorno stella aliqua intuebitur, dextro eum è quadrangulo intuebitur, sin de Cancro è sinistro, simili modo è sinistro sex angulo aspiciet stella quæ de Geminis Arietem aspexerit, dextro quæ de Aquario. Hoc ipsum etiam aliquanto apertius ostendamus. Collocato in orienti cardine signo eo cuius dextras ac sinistras configurationes queris, uide num quæ stella in medio caelo sit posita? qui decimus locus dicitur, qua inuenta dices stellam illam è dextro quadrangulo signum illud aspiciere, è sinistro eam quæ in imo caelo id est in quarto reperta est loco. Item quæ stella collocata fuerit in loco undecimo, qui succedit medio caelo, eam è sex angulo dextro intueri dices, è sinistro quæ in tertio loco inuenta fuerit. Omnis igitur caeli configuratio cum duodecim sit in loca distributa, sex loca inferiori occupantur hemisperio, id est primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, reliqua loca hoc è septimus, octauus, nonus, decimus, undecimus ac duodecimus hemisperio superiori continentur. Stellæ igitur posite in hemisperio superiori dicuntur aspiciere horoscopus dextra irradiatione, siue ea hexagona, siue tetragona, aut trigona fuerit, rursum sinistra, quæ in hemisperio collocantur inferiori. Locus igitur nonus dextro è triangulo horoscopi aspiciet, sinistro quintus, Locus decimus dextro quadrangulo, quartus sinistro, Locus undecimus dextro è sex angulo, tertius sinistro ascendentem locum intueri dicuntur. Quo fit, ut quoties signi alicuius quocunq; caeli loco positi dextrum sinistrum uel latus queris, eo signo in horoscopo collocato dicas dextrum esse quodcunq; signum in hemisperio superiori compereris, sinistrum quodcunq; in hemisperio inferiori. Atq; hac ratione dextras sinistrasq; irradiationes facile intelleges. Cur autem dexter aspectus sit sinistro ualentior, primum ea ratio est, quod planeta in nono, decimo uel undecimo collocatus citius ad horoscopus motu suo progreditur, quam qui in tertio, quarto aut quinto loco repertus est, ille enim accedit ad horoscopus, et tanquam properat sua sponte, hic abit, ac longius recedit, deinde quod suapte natura locus decimus præfertur quarto. Etenim caeli mediũ quod terris ipsis imminet immo ualentius est, undecimus præfertur tertio, siquidẽ decimo succedit, nonus uero antefertur quinto, quæ do nonus ipse id est planeta illic positus in cessu suo ad horoscopus properat, ac terris ipsis imminet, tertius uero id est planeta illic positus motu suo recedit ab horoscopo, ac sub terris latitat. Hinc itaq; fit, ut dextri aspectus iure ualentiores habeantur, imbecilliores qui sinistri sunt.

Quis etiam aspectuum atque configurationum ipsarum tria sunt genera, ab integris partibus, a signis ipsis tantum, & ab ascensionum temporibus. Partilis aspectus dicitur, cum a stella ad stellam numerantur tot coeli partes quot configurationem ipsam constituunt. Etenim sexaginta partes integre ad constituendam sexangularem configurationem numerandae simul sunt, nonaginta ad quadrangularem, centum uiginti ad triangularem, centum octoginta ad oppositam regionem, tot enim sunt singulis in configurationibus ad constituenda latera partium interiectarum numeri. Aspectus qui est a signis tantum, quem Graeci *πλευρὸν* dicunt, cum existit, cum signa quidem ipsa se aspiciunt. Plures tamen aut pauciores partes inter stellas ipsas statuuntur, exempli gratia, Cancrum Ariem quadrangulariter aspiciunt, stella tamen in uigesimo octavo gradu Arietis posita stellam in decimo Cancrini gradu collocatam partiliter non aspiciunt, complures enim desunt partes ad implendum aspectum eum scilicet, quem partilem dicimus. Rursus stella in primo Arietis gradu collocata nequaquam partili intuetur quadrangulo stellam in uigesimo octavo Cancrini gradu constitutam, siquidem longe plures interiectae sunt partes quam quae partilis quadranguli latus astruunt. Quocirca aspectus hic imbecillior uidetur propter partium ipsarum aut defectum aut exuperantiam, unde communis ac generalis uocatus est aspectus. At configuratio quae ex ascensionum temporibus constituitur, alia ratione querenda est, neque enim aut communis est, aut partilis, quales iam ostendimus, quae tamen ipsa sit, hac ratione colligitur, Leo, Virgo & Libra in exortu suo amplius horis sex occupant, sex horae quartam diei partem implent, at quarta pars diei est quarta etiam circuli portio, quae uero quartam circuli portionem continent, quadrangularem figuram statuunt. Quocirca planeta in principio Leonis positus non sexangulariter iuxta signorum numerum, sed quadrangulariter secundum ascensionum tempora planetam in ultimis Librae partibus collocatum intuetur, & hic quidem aspectus magnarum est significationum, quem & Antigonus nobilis mathematicus, & Ptolemaeus, & post eum Porphyrius, & alij quidam non ignobiles auctores obseruandum praecipiant. Quo fit, ut in signis obliquis pauciorumque ascensionum stellae quae secundum numerum signorum uidentur triangulariter se aspiciere, si ad numerum ascensionum tempora ipsa redigas, quadrangulari potius irradiatione se aspiciant. Sed aperiat hoc

etiam expressius. Esto Sol in Arietis gradu primo, Iupiter in Leonis gradu sexto, Mars in eiusdem Leonis gradu undecimo, constituamusque quo in loco ac terrarum parte sint haec signorum ascensionum tempora, tribuamusque primum Arieti unam & uiginti, deinde Tauro quatuor & uiginti, post Geminis octo & uiginti, deinceps Cancro quatuor & triginta ascensionum tempora, hac ratione Arietis, Tauri, Geminorum et Canceri ascensionum omnes simul coacta tempora centum ac septem pariunt, quibus si addideris septem etiam Leonis tempora (siquidem sex eius gradus septem occupant ascendendo tempora, uolumus enim Leonem habere ascensionum quinque & triginta) fient omnino tempora centum quatuordecim. Implendis autem centum uiginti temporibus, quod latus est aequilateri trianguli, sex desunt tempora. Fit igitur ex hac supputatione, ut Sol quidem & Iupiter e signo se tantum aspiciant, quando ascensionum tempora integrum trianguli latus non implent, Sol uero et Mars utroque modo et e signo et temporaliter, hoc est secundum plena ascensionum tempora se conspiciant, cum undecim Leonis gradus in quibus Mars inuenitur tredecim illa tempora quae ad implendum latus deerant sumministrant. Haec igitur sunt tria configurationum genera, quae maximam amicitiam consensionemque, tum similitudinem dissensionemque inter stellas comparant. Quia in re illud quoque praeterendum non est, quod cum e duabus stellis se intuentibus altera non nunquam in septentrionem longius euecta sit, altera in meridie humiliter declinauerit, efficitur hac uia, ut latus ipsum trianguli non nunquam longius quam par est producat, quae res uires auctoritatemque aspectus ipsius non parum immunuit. Aspectus igitur qui est ex integro nequaquam partium numero, neque ex perfecta graduum dinumeratione constat, uerum aut pluribus aut paucioribus e partibus, qui Graeco nomine dicitur *πλευρὸν* e signis tantum esse perhibetur, debilis quidem atque imperfectus, quem fortasse non in concinne tum remotiorem, tum laxiorem uocabimus, quoniam ab integro perfectoque intuitu propter deficientes aut exuperantes partes plusculum distent. Remota enim dicuntur quae a nobis distant. qui uero ex integris constat partibus, cuique plurimum uidetur tribuendum, iure Partilis uocatur, quemadmodum Iulio Materno placere uideo rerum caelestium diligentissimo scrutatori. Illum autem qui ex ascensionibus, ascensionumque temporibus colligitur non improprie Temporalem uocabimus, ut ex ipsa cognominatione aspectus cuiusque qualitas differentiaque appareat.

Nec uero me fallit ueteres quosdam scriptores signa ipsa non solum in decurias finesq; uerum etiam in minutiores multo partes diuississe, ad signorum ipsorum numerum, ut signo quoq; in duodecim partes distributo, duas partes & item semis alterius Dodecatemorium uocarent, nos duodecimanam & duodenariam uocare possumus, singulas autem duodenarias singulis planetis attribuebant. Fuisse etiam qui nouenas seu malis nonarias constituerent, ijsq; dominos etiam suos decerneret. Nos huiusmodi distributiones ambitione, aut potius uanitate quadam, magis quam ratione, aut ipso rerum usu conquistatas ab hac nostra institutione explodimus, deq; ijs ut consilio ratione q; repudiatis nihil omnino tradimus.

De Duodenarijs planetarum.

Ne autem genus aliud Dodecatemorii hoc est Duodenariæ Duodecimanæ ne contempsisse uideremur, subdemus eius rationem. Graeci uocauerunt *ἡ δωδεκάτημος*, quod pars una duodecies multiplicaretur. Ipsum autem Dodecatemorium hac ratione colligitur. Collocato Ioue, aut Saturno, aut quouis planeta in tertio gradu Arietis, illum ipsum tertium gradum duodecies produces, quo producto summam omnem colliges, ac deinde ab Arietis ipsius principio numerabis, tum quo in signo, quaq; in parte summa ipsa desierit uidebis, siquidem is erit Dodecatemorii ipsius locus. Tres igitur partes duodecies productæ gradus sex ac triginta constituunt, Horum graduum ubi suos Arieti attribueris, inuenies Dodecatemorium id est planeta duodenariam in sextum Tauri gradum incidere. Qui locus ubi bene affectus atq; illustratus fuerit, bonum, rursus malum, ubi male affectus atq; infeliciter irradiatus fuerit, obnuntiabit. Hæc igitur est Duodenariæ planetarum singulis in signis ratio. Oportet autem non integram modo partem in qua planeta collocatus est, duodecies producere, uerum etiam particulas minutas, deq; ijs omnibus summam unam colligere, collectamq; ut dixi, ab initio signi in quo planeta ille collocatus est, per signa subsequentia equaliter distribuere, & in qua signi parte, aut in minuta particula desinat, illic duodenariam statuere. Iulius Maternus, de quo facturi sepius mentionem iure sumus, tradit ex dodecatemorium observatione atq; efficacia, finiumq; in quibus inuenta ipsa fuerint, posse omnem celestium significationum uim explicari, quod quid enim in ge-

nituris celetur, ex dodecatemorium et finium cognitione indicari, ideoq; Babylonios in dodecatemorium significationibus celestium decretorum summam statuisse. Nos etsi Babyloniorum, & tanti uiri auctoritatem sequendam duamus. Nihilominus idem ipse Iulius dicit Ptolemæum antisicyis solum summam auctoritatem tribuisse. Et antisicya quidem manifesta naturaliq; admodum uixata sunt, cum ex ipsarum partium equalitate similitudo & cognatio quasi quædam, ut iam docuimus, ingeneretur. Quid enim magis secundum naturam, quam ut similia conueniant similibus? Præsertim cum ea conuenientia sit et temporis & intercapedinis a punctis solstitialibus, quæ duo celestibus significationibus plurimum conferunt. In dodecatemorijs autem nihil physicum inesse intellego, nec aliam esse causam, præterquam quæ computentur duodenario numero, qui signiferum conficit è signis duodecim, Quæ autem in rebus physicis numeri ipsi repudientur ab Aristotele, norunt omnes, qui naturalis scientiam tractant. Verum cum a Iulio Materno auctore maximo ac doctissimo, et a Babylonijs hæc ut observatione diuturna comprobata tradantur, non possum eorum sententiam non accedere. Nec me ignorantio causæ deterruerit, dum observatio, atq; euentorum usus ita esse docuerit. Cum disciplina hæc ab observatione cœperit atq; in rebus compluribus effectus pateant, eorum tamen causis ignoratis.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD ACTI-
VM SYNCERVM SANNAZARIVM DE
REBUS COELESTIBVS LIBER
SECYNDVS.

ERVM esse naturæ æternitatem Syncere Acti, sunt
qui opinentur, & quidem non pauci, Contra, qui
principium earum atq; ortum tradant, causasq;
utriq; suas afferant. Siue autem ex æterno ipsæ
constiterint, siue aliquando forte suoq; aliquo tem-
pore primum coeperint, consuetudo certe atq; obser-
uatio explicandis atq; inueniendis illis primas sibi omnino partes uē
dicarunt. Tamen si a consuetudine profecta uideatur observatio. Medi-
cinam enim hæc ipsa observatio reperit, Navigationem consuetudo, Bel-
licam disciplinam usus, Rhetoricam omnem facultatem exercitatio pe-
perit, ut assiduitas Agriculturam. Cum primus autem stellarum mo-
tum, atq; significationes eadem docuit observatio. Quamquam natu-
ra ipsa comparatum esse arbitror, in tot annorum ac seculorum mil-
libus, ut unum quandoq; aliquem interiectis uidelicet multorum tē-
porum interuallis protulerit, ac tandem etiam aliquando sit in lucem
prolatura, posteaquam res ipsæ obliuiscuntur seculorum uetustate ab
hominum memoria exciderint, ut quidem et sepius excidere, et etiā
excident, qui cœli secreta diuino quodam afflatu maioreq; q̄ homin-
tionum impulsu referauerit, sitq; suis etiam seculis referaturus, ad
quæ neq; observatio antea penetrauerat, neq; cōsuetudo quæ diuturna
uiam monstrauerat observationi. Sed ferant utraq; merito laudem suā,
dum tamen præclara quorūdam hominum ingenia, rationemq; ab
illis summo labore studioq; peruestigatam, suosq; in numeros ac præ-
cepta redactam laudibus etiam suis minime fraudemus. Hæc igitur
ipsa observatio cum perspexisset, res easdē quoties idē ipse stellarum mo-
tus incidisset, rursus effici, haberetq; plane animaduersum et cogni-
tum, nihil omnino a præteritis præsentia quæ tunc essent, differre,
cuiq; motui, cuiq; etiam tum erraticæ tum fixæ, quas multas in unam
etiam formam & corpus quasi quoddam figurauerat, certam illam
propriamq; significationem attribuit, cuius in orbē suosq; per circui-
tus esset reditus ac peculiaris effectio. Quin etiam, quod Poetæ faciūt,
ut hominibus

ut hominibus nomina affixerint pro illorum uirtutibus ac uitijs, si-
gna ipsa & stellas etiam singulas diuersis sed suis tamen nominibus
uocauerit, atq; illis maxime nominibus quæ quandam per similitudi-
nem aut animalium aut rerum, signorum ipsorum proprietates in-
dicarent, effectionesq; quandam per imaginem referrent, & constituē-
dis hominum corporibus, & animorum applicationibus indicandis.
Qua potissimum ratione et uia duodecim signorum zodiaci orbis,
cæterorumq; quæ cœlo reliquo distributa feruntur, a primis illis obser-
uatoribus suo tēpore progressimq; notata sunt nomina, ac cum ipsis
illis nominibus etiam significationes, potestates ac decreta. Quibus
quidem nominum inditionibus, decretorum ac potestatum notis or-
namenti plurimum attulere Poetæ, dum commentis suis illam quoq; co-
gnitionis partem, quæ ad stellas pertineret, intactam inornatamq; re-
linquere noluerit. Neq; ab re igitur neq; per iocum indita fuere stellis
ac cœlestibus signis nomina, neq; dicendi aut fingendi lasciuia compa-
rata, quando ea commenta est observatio rationi coniuncta, atq; il-
lius sociata, quo & naturam proprietatemq; cuiusq; indicaret, quan-
damq; ut dictum est, per similitudinem transferret ad posteros, et al-
terum ab altero signum propria ac sua cuiusq; appellatione distingue-
ret. An non idem quoq; ab hominibus ipsis seruatum est imponendis
notis, appellandisq; suo nomine rebus singulis? quibus hominum cœ-
tus uteretur, ac sine quibus constare humana societas nulla ratione pos-
set. In quibus id præcipue animaduersum est, ut notæ ipsæ rerum
ab effectionibus potissimum proprietatibusq; deducerentur, ut Mame
a manatu lactis dictæ, ut a papædo Papæ, quæ deinde factæ sunt Pa-
pillæ, ut etiam Marmillæ, ut a lambendo Labia, a lingendo Lingua,
a fundendis aquis Fontes, a fundendis quæ usui domestico opportuna
essent, Fundi, a suppetendo suppellex. Iam uero quibus in rebus a gri-
cultura uersatur, artesq; ipsæ manuum tam uariæ ac multiplices, ea-
rum rerum appellationes quoq; sunt quàm appositissimæ, ut laudi
quoq; dandum sit Astrologiæ inuentoribus, si hoc idem seruauerunt, dū
occultissimas signorum ac stellarum significationes uocibus insigniue
reperquam accommodatis, quod a medicis itidē in plerisq; herbis, me-
dicamentisq; fuit familiarissime usurpatum. Sed reuertamur iam ad
observationem, quæ inde habet originem quod homini insita est a na-
tura sciēdi cupiditas, eaq; a cœlo proficiscitur, è cuius motu et gignū-
tur homines, & illa ipsa proueniunt, quæ assiduis uicibus & gene-
rantur & corrumpuntur cuncta. Neq; enim cum primum natus est
homo, membra singula, quæ tuendo corpori natura fabricata est, sic af-

fecta sunt, ut exerceri statim possint administrandis illis ad quæ a natura ipsa fuere comparata. Tempore igitur opus est, dum interim et paulatim perficiuntur, et sensim etiam meditantur quod suum cuiusque futurum est munus, ut pedes, ut manus, ut lingua. Eadem quoque illorum est ratio, quæ ad comparandam sunt scientiam necessaria. Itaque cum primis tempore, atque ipso etiam longiori opus est, dum quæ animo famulatur mens, ea progressim instruitur. Omnis autem mentis instructio corporeis a sensibus ortum ducit, qui dum gustando sapes, uidendo colores, olfaciendo odores, audiendo sonos ac uoces, atque cum durum, molle, asperum, lene offerunt animo, ibi mens muneri satis suo ut faciat, cogitat diutius, uersatque illa secum, exquirendo causas, contemplando rerum naturas, hesitando in dubijs, componendo multa simul ac diuersa, pensitandoque et quæ contra offerantur, et quæ etiam adiumento sint, quibus postea diu multumque pensitatis, introitusque perspectis et tanquam concoctis, ea tandem probat et multis, quæ undique sibi constare, ac rata esse intellexerit. unde ratio est nominata, Quæ inuenta tum animus ipse merito post labores plurimos conquisit, quodque exercitus dux atque imperator etiam facit, post tot erumnas ac pericula uictoria parata, ipse quoque sibi indulget animus, conquisitque, post enuntiati aut questionis eius quæ ignorabat, scientiam comparatam. Quo in negotio non aliter meo quidem iudicio sese habet ignorantia, quàm informanda in materia Priuatio, siue eam maluerimus appellare Carentiam, de qua tam multa dicuntur a physicis. cum autem mens ipsa plurimum nitatur similibus, atque illis maxime, quæ aut sunt, aut certe uidentur eadem, ipsæque similitudines non qualitatum modo sint, uerum etiam motuum ac temporum, his tanquam medijs quibusdam usa, similitudines eas simul comparat, quarum est comparatione ubi omni est parte una conuenerint, enascitur comprobatio atque consensio illa, quæ mirificam in se uim habet et ad coniectandum, et ad discernendum. Mens igitur probationem hanc, similitudinumque inter se consensionem secuta, ea representat animo, per quam uiam illi monstrat, et tanquam iter insternit nunc ad ea quæ rationis ipsius sunt, nunc ad illa, quæ coniecturæ, quæ si non omnino certa ac necessaria sunt, plerumque tamen euenire, atque ita sese habere sunt solita. Omnis igitur rerum cœli, stellarumque cognitio partim ratione constat, partim coniectura, ratione quidem constat ea quæ Astrologia dicitur, siquidem cognitionem ac certitudinem secum habet motuum, temporum, numerorum. Illa uero quæ uocata est Astrologia parte est quadam rationalis est, quoniã a natura, rebusque naturalibus mi-

nime recedit. Cum enim a Mathematico pronuntiatur Saturnum aut Martem pestilentiam inducturum, an aliud pronuntiatur, quam motu suo humores corporum, continentemque aëra corrupturum, indeque infecturum sanguinem, uniuersamque concretionem, qua ex infectione necessitate quadam naturæ pestis sit oboritura, Parte etiam est quadam coniecturalis, ut cū a Mathematico prædicatur, bellum a Marte portendi. nam nec semper inferiores hæc, hoc est humanæ causæ cœlestibus cum causis usque consentiunt, quippe cum potentiores nonnunquam hæc illæ sint, hominumque quorum in manu est, bellum mouere, uoluntates ac consilia hinc atque illinc uariant. Quamobrem significationibus prædictionibusque non nullis ratio comes adiuncta est, uel dux illis potius præposita, in quibusdam uero coniectura locum magis optinet. Atque hæc quidem Syncere Acti, in hanc sententiam prolocutos nos esse, nec alienum est ab institutione hac nostra, et naturæ ipsi rerum de quibus præcipimus maxime consentaneum.

Vperiore libro quæ signa essent Cardinalia, cur etiam nomine hoc appellarentur, qui item mundi Cardines, quotque essent plane expressimus. Cum autem propter cœli orbicularitatem, signorumque successionem contingat diebus singulis nunc hoc, nunc illud, inde aliud atque aliud signum Cardinum locis succedere, consentaneum uidetur de Cardinibus ipsis, deque uniuscuiusque significationibus explicatius differere. Itaque cardines ipsi, locaque Cardinalia quatuor omnino sunt, ea Græce sunt *ἀνατολή*, *ἀφ' ὧν*, *ἀπὸ παραύρας*, *ὑπὸ γειῶν*. Quin Mensurane ma ipsum inuenio etiam Apogeon uocari, quod medium cœli locum supra terras occupet, cuius contrarium sub terris teneat Hypogeon. Recentes etiam rerum cœlestium scriptores neque inepte, neque insignificanter uocant angulos. Loca quidem hæc in omni rerum inuestigatione, siue geniturae inspicimus, siue futurum aliquid sciscitamus, seu quippiam inchoamus, aut faciendum decernimus, cum primis inquirenda sunt, unde etiam a recentioribus principalia sunt cognominata. Quæ uero loca Cardines ipsos statim sequuntur, a nobis dicuntur succedentia. At quæ præcedunt, atque ab his declinant, et tanquam decidunt, tum declinantia, tum cadentia a re ipsa nominata.

sunt. Cardo ipse coeli exorientis atq; angulus à Græcis ὠροσκοπος, à recentioribus Latinis Ascendens dicitur. Verum ut de cardinibus hac in parte alia quadam ratione loquamur, regio quidē ipsa quæ cardinem unum constituit, complectitur & antecedentem, & succedentem coeli portionē in diuidendo Zodiaco. Quò circa tres in partes ratione hac cardo distribuitur. Ac prima quidem distributio, hæc est coeli pars prægrediens à Græcis dicitur ἀποκλιμα, quæ ab ipso declinet cardatq; horoscopo, à nobis proprie dici potest Declinatio, & gradus ipsos Horoscopum antegredientes (si Latini uerbum ducere Græco è uerbo uolumus) Declinantes recte quidem uocabimus. Nec est cur recusemus etiam Descensum aut Descensionem uocare. Siquidem hæc ipsa distributio constat è declinatione, ascensioneq; ac medijs gradibus inter utranq; interiectis, qui medium locum constituunt, & hic quidem Cardo signa tria id est quartam coeli partem complectitur. Cardo item, apexq; medijs coeli, quod esse diximus Mesuranema, in partes quoq; diuisus est iris. Et prima quidem pars in Apoclimata posita est, quam tum Descensionem, Descensumq; tum Declinationem uocari Latine posse diximus, eaq; à quibusdam Cadens pars agnominata est, quin etiam tum Deculminatio, tum Deculminatio dici à nobis recte potest. Etenim si coeli mediū Culmen, Cæcumenq; appositissime uocatur, pars ab illo decedens & Deculminatio & Deculminatio etiam appositissime uocabitur. Nam & rerū a gri scriptores non recusant uti uerbo Deculmino, quod quidem sine ulla ueterum scriptorum auctoritate, studentibus nobis uendicare disciplinam hanc à scriptorum quorundam barbarie concedendum esset, ne uideamur uerborum inopia laborare, quibus etiam abundamus. Eadem partitio est occidui cardinis atq; imi, quorum alter horoscopo, culmini alter opponitur. Quæ tertia est pars in ipsa distributione, sequiturq; cardinis cuiusq; partis medias, ea Græco nomine est ἰσσομετρα, Nos subsequentiā, successioneq; gradusq; ipsos tum subsequentes, tum succedentes uocare recte possumus, quæ statim medios ipsos subsequantur, mediæq; ipsi parti continuo succedant. Atq; ipsi quidem coeli cardines ratione hac quadrifariam tria tamen per signa diuiduntur.

De quatuor coeli quadraturis.

Fit autem, ut cum signa duodecim signiferum constituant, duodecim quoq; coeli loca, siue duodecim, ut hodie à nostris uocantur, domus constituendæ

constituendæ sint. Omnem igitur coeli orbiculationem ab horoscopo progressi, eodemq; regredientes in loca duodecim partemur. Quod autem inter medijs coeli apicem, gradumq; horoscopantem spatij interiacet, tum Quadrantem, tum Quadraturam, Quadrantem uel uocabimus. Quo fit, ut signifer ipse quatuor etiam in partis ratione hac distribuitur, unde Quadræ sunt dictæ. Eaq; aliam quam quæ de cardinibus tradita è, rationem sequuntur, si quidem singulæ quadræ ab altero in alterum protenduntur angulum. Nec uero propter signiferi obliquitatem, inæqualemq; signorū ortum Quadræ ipse ex æquo ubiq; diuiduntur. Quamquam Quadræ sibi oppositæ quæ paribus semper è gradibus, siue pluribus siue paucioribus constant, simul utiq; congruunt. Quadra etenim quæ inter ascendentem cardinem, atq; imi cœli interiacet, ubiq; numero partium aduersæ, quadræ quæ inter occasum & culmen locum optinet, respondebit. ut si ea nonaginta sex è gradibus constiterit, totidem aduersa illa è gradibus constet, si è partibus octoginta quatuor, totidem & illa contenta sit. Eadem ratio est, idemq; responsus quadræ illius, quæ est ab imo cœlo ad occasum, & eius quæ à medio cœlo pertinet ad orientem cardinem, quæ sibi è regione aduersantur. Contingit autem inæqualitas hæc propter signiferi obliquitatem, ac terrarum, ut diximus, situm septentrionem uersus propius assurgentium, aut in meridiem declinantium, non tamen ut computato omni quadrarum ac signorū numero (quod enim quadris duabus demitur, alteris adijatur) aut supersit aliquid, aut de sui gradibus ipsis, qui signa duodecim, cœlumq; uniuersum complectuntur. Ac tamen si ab ortu ad occasum centum atq; octoginta partes semper interiacent, non tamen nonaginta semper partes, hoc est numeri totius media summa inter occasum & culmen ac rursus inter culmen & ascendentem cardinem æquis portionibus interlabuntur. Quod item in hemispherio inferiori ab occasu ad imum, ab imo ad horoscopum usuenit.

De distributione ætatis ac uitæ hominum.

Fit autem quatuor sunt anni tempora, quibus de motu Solis annus conficitur, singulæq; tempora tribus constant è mensibus, Sic ipsa hominum uita quatuor in partes diuisa, proinde ut quatuor signiferi orbis cardines tribus è partibus constant, & ipsa quoq; tres in partes distribuitur. Atq; ut menses ipsi constant diebus, uita hominis annis, sic cardines quoq; partibus quisq; suis, ex æquo quidem triginta, cæteris pluribus, aut paucioribus, pro signorum ipsorum, Zodiaciq; rectitudi-

ne aut obliquitate. Quocirca & ipsi cardines ut anni tempora, homi-
nisq; item uita (siquidē hęc ab illis deducta uidetur) triplici diuisione
partendi sunt. Singula autē uitę, ut anni tempora et principio & me-
dio & fine constant. Finis itaq; cardinis etatis illius finem, medium
item eiusce mediū, quod præcedit, quodq; in apoclimata collocatum di-
ximus, etatis eius principium designat. Non iniuria igitur hoc quoq;
præstandū a nobis uidetur, ut distinctius atq; appositius hęc ipsam
tellegantur. Coeli pars ascendens geniturę tempore, qui *ἡρώωνος*
Græce dicitur, primā nati etatem indicat, culmen id est coeli mediū,
etatem nati eiusdem mediā, occasus ipse ultimam, imminum mortem,
uitęq; ipsius exitum, quiq; post mortem futuri sint honores aut oppro-
bria. Recte quidem atq; apposite hęc omnia. Etenim si coeli ac stella-
rum motus orbiculatioq; causa sunt omnium quę in parte hac mun-
di tum generando tum corrupendo fiunt, & est aliquod, ut quidē
est, uitę principium, quemadmodum homo in lucem uenire, hoc est
in uitam dicitur, quo tempore utero matris prodit, sic coeli pars ipsa
quę supra terras tunc exit, comitaturq; motu atq; aduentu suo pro-
deuntis hominis ex utero motum, uidetur primę huius commotionis,
primęq; etatis ius, indicauimq; penes se merito quidem assumere, quę
uero ei opponitur occidens coeli pars obitus atq; corruptionis. unde a
nobis in Vrania nostra non temere dictum uideri potest

Vita tibi, motusq; animi quærendus ab ortu,

Vnde etiam toto lux ipsa effunditur orbe.

Surgit ab occasu mors inportuna maligno,

Qua tenebrę, qua nox nigrantibus aduolat alis.

Perinde etiam ut coeli medium, summusq; Zodiaci uertex eorum quę
in mediā contingunt etate, significationē præ se fert, amplitudo enim
& honores ipsi cū inuita civili de summi boni genere habeatur, iure
summo a coeli loco indicantur, sic infimus coeli locus illi aduersus, quę
post mortem futura sunt, eorū omnium significationē habet. Vtq; coeli
mediū amplitudinem, deiectionemq; uementis in lucem hominis præ
qualitate felicitis infelicitisq; cōfigurationis designat, sic imminū honora-
tionis in honorationisq; post lucem obitam, itemq; opprobrii commen-
dationis uel indicationē perhibet. Quin etiam ut non est dare cor-
poreā corruptibilemq; substantiā aliquam animatam scilicet quę ac-
cidentibus non sit uarietatibusq; subiecta. Sic non est concedendum,
quod quidem singulis in hominibus cernitur, siue ad salutem, siue ad
perditionē spectet, accidere aliquid, cuius non in coelo uestigiū appa-
reat. Homo enim cū sit a natura hoc est a coelo, stellisq; ita cōstitutus,

ut honores, ut quę bona existimatur civilia suo pte in statu appetat,
an nō in coelo inesse dicemus ut substantię, qualitatisq; corporeę, ani-
matq; corporeę, sic eorū quę animato corpori accidunt, significationē?
siue ea prospera, siue aduersa sint, siue in uita cōtingant, seu post mor-
tē atq; in ipsa etiā morte eueniant, eadē enim horū omnium ratio est,
quę pro qualitate cōfigurationū locorumq; diuersa. Ad hęc cū homi-
ni possessio cōtingat rerū plurimarum, quę ē terris, aere, atq; aquis
cōstant, ex ysdemq; proueniūt, ex yis enim uiuimus, ysq; aut egemus
aut abūdamus, atq; ad eas appetendas cōquirendasq; natura impelli-
mur, sintq; hęc ipsa oīa tā subiecta q̄ sunt stellis, stellarūq; orbicula-
tionibus, id qđ aptissime cernitur, scilicet nō in coelo ipsorū quoq; acci-
dentū signa significationisq; inesse dicemus? cū horū ipsorū possessio in uita
ipsa, et postq; in lucē produyt contingat homini. neq; enim matris ex ute-
ro secū hęc deuehit, sed appetitionē tantūmodo secū illorū defert, un-
de externa dicta sunt bona, quę etiam fortuita, ut fortunę ipsi, id est
caelestibus motibus exposita, non tantum a plebeijs hominibus, uerum
etiā a sapientissimis uiris cōgrominatur. Sunt igitur p̄inde ut uitę,
ut corporeę constitutionis, animatęq; substantię in coelo & stellis no-
te, sic eorum quoq; quę homini ipsi ex anima constant & corpore
accidunt, significationes in coelo repositę, quod tot seculorum observa-
tio minime quidem fallax & docuit & quotidie etiam docet. Age
consideremus generatim bona ipsa, quę felicitatem constituunt. ea
perfecto sunt aut corporis, aut animę, aut de genere externorum. Ac
primū qđ bona ipsa corporis, ut robur, ut celeritas, ut sanitas, aliq; huius-
modi, quę corpori insunt, & a cuius cōpage existunt, cū ipso si-
mul corpore ingenerata sunt, atq; ab illius cōglutinatione ducuntur,
neq; enim extra corpus sunt posita, uerū corporis ipsius prorsus textu-
rā sequūtur, corpus aut generationi atq; corruptioni utiq; subiectū est.
Atqui dictū etiā et cōprobatum est, quicquid generationis corruptio-
nisq; in orbe hoc euenit a coelo stellisq; proficisci. Ergo & bona hęc
corporis coeli, stellarumq; cōmotionibus sunt exposita, a quibus &
sunt & cientur, nam quanq; sani esse semper cupimus, nō tamen ubiq;
ualētes sumus, et uires ipse nostrę tū cōsenescūt, tū multis grauibusq;
interim accidētibus infirmatur, quę qđem oīa a coeli, stellarūq; quę
caelo ferūtur agitationibus proueniunt. Mutatur siquidē aer, mutantur
et corpora, quę aere cōtinentur, et illū spirant. mutantur annorū tēpo-
ra. mutantur quoq; et hominū etates, et corporū tēperaturę, sentiūt ele-
mēta tū diuersitatē, tū etiā uarietatē superiorū cōmotionū, eadē etiā
uarietatē sentiūt corpora, quę ipsis ex elemētis cōstāt, et ab illis atq;

ex illis uiuunt. Quid suauius uere, quid hilarius adoleſcētia, quid triſtus hyeme, quid erumnoſius ſenectute? Vini, olei, tritici prouentus tales ſunt, quales aër terræq; concinnant. Aëris autem terræq; concinnatio à coelo, atq; è ſtellis prouenit. quis hoc negauerit? qđ natura docet, a gricolæ cōſitentur, quod res ipſa cōprobat. Aniculae quoq; ex aëris et ſtellarū prognōſticis ac ſignis hæc ipſa pronūtiāt, et rerū terræ tum inopiam, tum copiam prædicunt. Sed ne longiores hac in parte ſimus, quæ per ſe ipſa nota ſatis eſt, redeamus ad externa bona, de quibus paulo ante tametiſi multa diximus, pauca tamē quædam adiūgenda neceſſario uiſa ſunt. Numerantur autem in externis bonis aedes, prædia, armēta, nauigia, domeſtica ſupellex, aurum, argentū. Quid his ipſis magis expoſitum eſt coeli motibus, ſtellarumq; agitationibus? Videmus enim agris flauſcentibus ſegetes ipſas repente tum hymnibus, tum grandinibus perſepe concuti, ac foetu ſuo ſpoliari, domos nūc fulminibus, nunc terræ motu quaſſari ac dirui, armēta gregesq; modo à torrentibus rapi, modo à morbis corripi, nauigia aliàs fluctibus mergi, aliàs ſcopulis impulſa lacerari, familiarem quoq; ſupellectilem ſæpenumero conſlagrare incendio, non raro alijs atq; alijs caſibus corrumpi ac diſſipari, aurum atq; argētum furto ſurripi, aut ui extorqueri, fraude ue auferri, atq; hæc quidē non ſemel, utinamq; non tam ſepe re ipſa cernerentur, ut ea fortasſe non tam dici poſſint temere contingere, quàm ordine quodam ſuo, cauſisq; ſuis prouenire, accidunt tamen homini et quidem præter ſpem ac uoluntatem, quæ quoniam cœleſtibus excitantur à motibus, nullo pacto diſſidendi eſt, horum ſigna cœlo eſſe inſita, eaq; ordine ac ſerie ſua futura, pro naſcentis hominis configuratione ac cœli ſtatu. Dices, quis hæc docuit? Obſeruatione, qua nihil eſt in hominum rebus antiquius, docuit experientia, quæ eſt hominum magiſtra, item diſciplina, quæ tum obſeruatione experientiaq; tum ratione ipſa conſtat, qua una nihil eſt in homine ipſo, neq; in hominum rebus diuinius. Veniamus hinc ad animi quæ dicuntur bona. ea ſunt, ni fallor, aut animi ipſius actiones, quæ hodie operationes dicuntur, aut ex ipſis animi operationibus exiſtunt. Nolumus partem hanc ſuptiliter diſcutere, ſed crasſa, ut dicunt, et populari agere Minerva. Animi actiones hæc aut ſolius ſunt animi, aut ſine corporis præſidio adminiculisq; eſſe nequeunt. Si animi ſolius ſunt, quoniam præceptio noſtra de ipſis illis ſolum eſt, quæ corporis, elementorumq; naturam ſequuntur, earum conſiderationem diſciplinæ ad alias, aliamq; cognitionem in præſentia relegamus, ſicut ut animi cum corpore ſimul, corporeaq; per inſtrumenta agentis, con-

cedendum eſt, ad hanc potiffimum præceptionem ſpectare earum indagitionem, deq; his nos debere, et uelle quærere. Non eſt igitur animi ſolius, ut arbitror, uerſus facere, neq; enim omnes qui animo utuntur, uerſus faciunt, ſed hominis ipſius ex animo et corpore exiſtentis. Atqui per pauca etiam homines faciendis uerſibus dant operam. Cui in quidā quaſi diuinitus informati ad hos ipſos pangendos uideatur. Vnde hoc igitur? an à cœlo, ſtellisq; hæc ipſa ſemina in ipſa procreatione ac genitura miſcēdis, et, ut ita dixerim, fermentādis humoribus, idita ſunt? Vnde nō mirus uere qđ præclare dictū eſt à doctiſſimo Poëta ſedibus æthereis ſpiritus ille uenit.

Nec uero ſemper Poëta arbitrij ac iuris eſt carmen ipſum fundere, quin expectandus motus eſt, qui humores illos, ſeminaq; ipſa cōcite, à quibus uiſa ipſa, quæ phantaſmata dicuntur, ueluti è ſomno expergſcantur, pro quorum etiam qualitate ac temperatione alius Lyricum pāgit, alius Elegiacum, ille Iambicum ſequitur, hic Heroicum, ut nihil prorsus niſi bellicum perſonet, adeo ſeminū ipſorum diuerſæ ſunt qualitates ac naturæ, quæ quidem neq; in animo ſolo, neq; in hominibus ſingulis ſata perſpicuntur, ſed in mixturis corporum et in hominibus quàm paucaſſimis. An non uinum idem cuius etiā unus uis eſt, in ebrjs pro qualitate potoris hæc eadem præſtat? cum alius in riſum diſſundatur, in lacrimas alius, hic choreas agit, ille in ſurorem actus lapides, truncosq; proiciat, ut non unum eſſe omnino genus ebrietatis appareat. Si igitur à cœlo exiſtunt hæc et à ſtellis, à quibus ſemina ipſa humoribus immixta indūtur, num erit tanta quiſpiam peruicacia, dicere ut audeat, cœleſtibus hæc configurationibus tribuenda non eſſe? quando ab illis et principio manant, et poſt niſi ab illis excita, et tanqđ ſota uix fructus ſuos cum laude ferūt. Nullus euasit bonus Poëta, cuius in genitura Venus Mercuriusq; in ſignis accommodatis, in locis idoneis, in appoſitis configurationibus inuenti nō fuerint. Nanq; ab ijs potiffimū ſtellis Poëta formantur. Maluimus de Poëtis loqui, licet nec medicus, nec artifex ullus perfectus euadat, ne duces quidem ipſi bellorum exercituumq; niſi à cœlo genitalibusq; configurationibus ducant facultatis excellentiaq; ſuæ originem atq; cauſas. Nos qui hæc ſcribimus nullo à præceptore aut ad carmen componendum, aut ad philoſophiam ediscendā, aut ad cœli ſignificationes intellegendas inſtituti ſumus. Sola enim natura inſitaq; animi uis, ac ueterū ſcriptorū lectio aſſidua, ad hæc ipſa nos traxit, quorū et pater, auusq; ignorantiſſimus fuisse, et mater ſatis habuit la niſicio ac telæ intentā eē. Ad cœlū igitur ſtellasq; quādo ab illis qui-

dem manant, iure hæc uidentur referenda. Atq; ut corporum mixturae qualitatesq; a caelo stellarumq; posituris ac configurationibus proueniunt, sic eorum quæ corpori accidunt, quæ homini, quæ corpore existit, quæ corporeis instrumentis utitur, quæq; aut insunt, aut eueniunt, aut quæ elementaribus e partibus ipse constat, quæq; ipsis ex elementis uictitat, quæ quidem ex elementis tam multa proueniunt, eorum inquam cause caelo, et ips quæ caelo feruntur, syderibus tanquam sua ad principia relegandæ sunt, e quorum motu cuncta eugignuntur, e corrumpuntur, aut in alia ex alijs conuertuntur. Sed iam ad ea unde digressa est oratio, redeamus.

De quatuor cardinibus, eorumq; distributionibus.

Constat primus caeli cardo, ut dictum est, horoscopo, ad quem ipsorum corporum substantiæ constitutionisq; qualitas referenda est, et ætas item hominis prima. Cum autem tris in partes illum distribuerimus, quæ pars horoscopum antecedit, ea indicium e significationem habet eorum, quæ nato ante ortum, dum matris utero fouetur, contingunt, dolorum item, erumnarumq; e accidentium aliorum, quibus matris ipse, dum grauidæ sunt, dum foetus gestant, afficiuntur. Quocirca tempora illa ad eam quæ antecedit horoscopi partem, accommodanda sunt. Ea pars in ipsa caeli declinatione tota quidem constituta est, quæ horoscopum quidem prægreditur, quæq; ἀποκλιμα Græce uocari diximus. horoscopum autem ipse partem, quæq; post partum tempora infantem consequantur, infantiaq; ipsius euentu enuntiat. Qui sequitur cõsensus, caeliq; acclinatio atq; successio horoscopo cõtinuata reliquæ primæ ætatis, ultimaq; illius significat tum tempora, tum euenta. quo fit, ut hæc prima distributio, hoc est ascendens, quæq; illud antecedit caeli declinatio, quæq; coniuncta insequitur acclinatio atq; successio, tempora nati ipsius omnia complectantur, scilicet ex quo foetus ipse conceptus, uteroq; matris mensibus suis gestatus, indeq; in lucem editus, ac pedetentim ab infantia in pueritiam, ex eaq; ad ephebos transiens, ætatis primæ fines transgressus fuerit. Quemadmodum autem foetus ipsius cõceptio principium est proditionis eius in lucem. a cõceptione enim natiuitas prouenit, atq; a tenebris, ut ita dixerim, foetus in lucem exit, eodẽ modo pars illa declinatũs caeli quæ statim præcedit, uideatur quodãmodo ad se rapere mediã illam partem, quæ horoscopum cõstituit, perinde ac subterraneis e locis in aperta et clara illa euocat. Atq; ut hæc ipsa caeli pars ascendens consequentes atq; acclinantes gradus secũ rapit, in quibus ultima primæ cardinis cõstituitur pars, sic e

e illa quæ primæ ipsius ætatis ultimũ terminum constituunt, tempora cuncta cõplectitur. Quod si principio primisq; locis debetur prima, quæq; illis sortito obtingunt, e medio quoq; quæ media sunt, quæq; ipsi medio, iure quodã naturæ, motusq; ratione spectauerint, ascribenda uidentur. Quocirca caeli medio, quod culmen libenter uocamus, tanq; medio cardini mediã ætatem dedicamus, ab eoq; mediæ ætatis euenta portendi, temporaq; delabi non iniuria credimus, e in ipsius quidẽ apoclimata descensuq; significationes rerũ earũ quæ in primis mediæ ætatis temporibus euenturæ sint, collocatus esse dicimus. Omnis enim ætas initium, terminum e statum, sic enim hodie uocamus spatium ac morã eam, quæ inter principium e terminum media interlabitur, ac si stare ipsa inter utrunq; uideatur, simili ratione cõplectitur. Itaq; mediæ ipsius ætatis mediũ tempus ab ipso culmine indicium et pronũtiationẽ deducit eorum quæ nato id temporis sint euentura. Quæ uero cardinis huius ultima pars est, quæq; in acclinatione annexaq; caeli subsequẽtia collocatur, ultima ætatis mediæ tempora, quæq; illis ipsis in temporibus casura sint, indicat. Quoniam autẽ exoriens caeli pars uitam, primamq; uitæ hominis ætatẽ denuntiat, iure locus ei aduersus, hoc est occidens contraria quidẽ illi significauerit. Primæ itaq; ætati cũ opponatur ultima, contrariorumq; sint contrariæ actiones, hic ipse locus ultima uitæ tempora perinde ut uitæ principium oriens indicabit, utq; ab illo uenitur in lucem e tenebris, sic contra ab occasu itur e luce in tenebras. Significatio igitur temporũ euenturũq; quæ in medijs ultimæ ætatis spatijs futura atq; casura sunt, ab ipso occidentis caeli situ manat, e quodã quasi e fonte deriuatur. Nã quæ in primis ætatis ultimæ temporibus cõtingũt, a prælabẽte declinatioe, occasusq; apoclimata deducuntur. In ultima uero ætatis ultimæ parte qualia casura sint tempora, ipsa caeli subsequẽtia, acclinatioq; occasui coniuncta præmonstrat. Quocirca ut apoclima declinatioq; horoscopi, quæ partum antecedit, natiq; ipsius in lucem aduentum planè significat, sic quæ huic opponitur pars, hoc est occidentis caeli declinatio, quæ uitæ ultimos terminos, atq; in tenebras ab itionẽ prægrediuntur, denuntiat. Atq; ut horoscopi subsequẽtia et acclinatio, quæ in ipso uitæ, primæq; ætatis uesibulo tempora accidunt, præ se fert, ita et occasui cõiuncta caeli acclinatio, quæ in ipso uitæ termino, ultimisq; actibus euentura sint, indicat. Imus et subterraneus caeli situs nati in tenebras ac sub terras ab itionẽ idẽ mortẽ, quæq; mortẽ ipsam statim aut antecedit, aut sequitur, portendit. Declinatio. n. præcedens temporũ significationẽ habet, quæ mortẽ prægressura sunt. Imũ ipsum mortẽ ipsam. quæ subsequitur acc

elinatio tēpora quæ mortē insecutura sunt, annūciat. Horū igitur locorū ac cardinū quatuor situs, tris i partes distributus totius uitæ, quæq; ante ortū et in utero fuerint, quæq; post obitū tēpora futura sint præsentiaq; ac futura pro quaq; ætate complectitur, geniturarumq; ipsarum inspectoribus indicat. Quo fit, ut quatuor hæc cœli distributiones in cardines quatuor cum suis quæq; acclinationibus, declinationibusq; id est epanaphoris apoclimatibusq; diuisæ omnia natorum tēpora uitamq; omnem perinde ut duodecim signorum, quæ Zodiaci constituunt, circuitū complectantur. Placet autem Ptolemæo, ceterisq; disciplinæ huius institutoribus partis quinque horoscopus prægressas ipsi horoscopo attribuere, atq; inde proficisci, donec triginta graduum numerus compleatur, idq; etiam ceteris in locis è triginta simul partibus statuendis seruandum tradunt. etsi propter signorum obliquitatem rectitudinemq; loca ipsa nunc pluribus nunc paucioribus è gradibus statuuntur. Quod non temere institutum uidetur, siquidem natus ipse non momento nec puncto tempore (ut Lucretianus utitur uerbis) uerum spatio quodam, moraq; prodit ex utero. Eoq; censent non gradum eum tantummodo ab Astrologo notandum, quo natus infans terram attigerit, uerū etiam antegressos quinque gradus, quo quidem temporis spatio, quæq; immoratione luctatur, ut prodeat, perinde ut socios laborū, ac foetum ipsum in lucem prouocantes. Etenim rostra longarum nauium cienda in pugna quanquam ipsa quidem triremes extra uidentur extare, nihilominus quanto presidio sint, res ipsa docet, quando et a rostris ipsis rostratæ sunt dictæ. In militariibus quoq; conflictibus de antecursoribus ferentarijsq; quiq; primam pugnam capessunt, aut ad certamen prouocant, ea a duabus, imperatoribusq; ratio haberi solet, ut ex illorum successu pugnam reliquam aut detrectent, aut prosequantur. Quid autem est aliud factum ipsum exire in lucem, quam in certamen prodire, tot laborum erumnarumq; tot etiam præmiorum successuumq; quibus aut felicitas comparatur, aut felicitati contraria miseria. Sed iam ad reliqua nostræ huius institutionis explicanda progrediamur.

De Duodecim Signiferi locis.

Hanc cardinum distributionem iure sequitur duodecim etiam locorū Zodiaci distributio, quibus è locis generalis quædam oritur observatio rerum earum, quæ uitam comitantur, ac sine quibus uita ipsa esse nequeat. Quoniam autem qui utero matris prodit, is in lucem id est

in uitam prodire dicitur, cœliq; pars ascendens subterraneis è locis cū eo non secus q̄ è tenebris in lucem atq; in apertum prodit, iure primo huic loco nati uita tribuitur, illiusq; corporaturæ et animalis constitutionis ratio ab eodem queritur, quippe quæ signi ipsius quod locum primum occupat, qualitatem sequitur, nec non stellæ signi ipsius domine, quæq; signum etiam ipsum irradiat, pro natura etiam irradiationis, signiq; à quo irradiat. Vnde Ptolemæus recte præcipit, quæ corpori accidunt, quæq; hodie dicuntur corporis accidentia ab ascendente loco querenda. Generalis itaq; uitæ nati observatio corporeæq; constitutionis atq; animalitatis primo ascribitur loco, primæq; ascendente cœli domui. quando signiferum omnem in duodecim domos locaq; distribuere maioribus nostris placuit. Et quoniam nec uita consistere, nec corpus officio suo fungi absq; alimentis potest, secundus locus obseruandæ sibi sumpsit qualitatem census, peculij atq; supellectilis, quæ domestica substantia uocatur à quibusdam, quod ea et corpus alitur, et uita ipsa consistit, Quid autem accommodatius, q̄ ut secundus locus habeat eorum significationem atq; iudiciū, quæ uita corporiq; alimonia subministrant? Locus hic habitus est ab antiquis piger ac deiectus, sic enim uideo appellari eū à Materno, quod nulla cū horoscopo radiatione iungatur, quin etiam pene infam eū notauerūt nomine, Infernā portam appellantes. Ac nihilominus ascendente statim locū continuatq; se sequitur, subitq; illius uicem atq; authoritatē, ut si eū neq; aspiciat, neq; irradiet, ei tamē succedat. Itaq; nec mirū est, nec irrationabile, si pro comparanda re familiari, censuq; domestico tot obeuntur labores, molestiæq; tam multæ ac difficultates suscipiuntur. quando inde euenit, quod locus hic secundus primo loco, nullo profus familiaritatis coniungitur uinculo. Cūq; sit homo sociabile animal, neq; aliud fortasse tam ei sit ab illa insitum, q̄ societatis studiū, iure tertius locus fratrum sororumq; significationem sibi uendicauit. Quæ enim aut prior aut potior quam fratrum sororumq; societas atq; coniunctio dari à natura potest? Si quidē uxor nec iisdem existit è parentibus, nec pueris opus est re uxoria, quippe quæ suscipiendæ prolis gratia in adultæ iâ ætate sit instituta. cū tamen societatis presidio et pueri indigeant, eaq; uirū in modum natura duce capiuntur, et ætas reliqua tali egeat presidio, neq; arctior societas esse queat, q̄ quæ iisdem è parentibus, atq; uno eodēq; constet è sanguine. Appositissime igitur ut secundus locus primo, ut alimonia uictui corporeo, quo uita conseruatur, statim conuenitur, sic prima societas tertio ascribitur loco, qui prima cū ascendente cœli loco societate, primaq; cū illo irradiatione coniungitur, primaq;

constituit inter nascentes cognationis societatem. Habet etiã locus hic significatiõem non mediocrẽ amicitiarũ, familiariumq; consuetudinũ, cũ sit homo (ut dictũ est) sociabile animal, tamen a fratribus nomen accipit. quando fratrum societas natura ipsa prima est. habet etiam peregrinationis non tenuẽ iudiciũ. quando & peregrinatio comparauit inter homines hospitia, peperitq; hospitalitatem arctissimam coniunctionis genus. Hunc ipsum locum sua a bonitate Deã nominarunt, sicuti nonnum locum Deũ, discreuerunt autem maris fœminãq; appellatione, quod nonus locus esset maioribus uiribus atque auctoritate præditus. siquidem de hemisperio superiori horoscopus amicitia inuuetur radiatione. Dei itaque ac Deæ appellatione nobilitauerunt utrumq; locũ, quod Deorũ sit proprium benefacere. Consequitur quartus id est inus ordine suo locus, a quo exurgere coelum ipsum, et ex infimis ad superna progredi pedetentim incipit. quando antecedentis partes hic ipse locus sursum atq; in apertum impellendo cogit, author quasi quidam horoscopi supra terras citatu suo protollendi. An non pater ipse author est prodeuntis in lucem hoc est in uitam filij? Ut autem non est dare liberos sine patre, nec suo absq; auihore principium, sic nõ prodibit supra terras primus Arietis gradus, nisi Cancer inum coeli locũ tenens motu atq; deuersu suo gradus illos Arietis in altũ propellat, extollatq; in apertum. Est igitur ut Cancer author quasi qdam prodeuntis Arietis in apertũ angulari suo impulsu, sic pater proditionis in lucẽ filij. Cũ igitur pater sit author filij, recte fratrum locus patris loco coniungitur. nã et fratres ab eodẽ patre proueniunt. In re etiã quartus locus nascentis filij cardinẽ, de cardine genitoris irradiat. Iure ẽt quæ patris sunt ab eodẽ ipso loco quæruntur. Habet ẽt locus hic significatiõem patrimonij, rerumq; paternarũ, facultatũ ẽt domesticarũ, quæq; patrimonium ipsum, domesticasq; facultates etiã occultas constituunt. Cũ autem maxima atq; arctissima in hominũ genere, filiorũ ac patrum coniunctio sit, iureq; prima & dicitur & habetur societas, iure ẽt loco maxime sociabili attribuitur, qui ordine suo in orbe signorũ aspectu cũ primus sociabili horoscopo coniungitur, quo circa cum huiusmodi quintus sit locus, filijs merito dicitur. Nam si tertius locus additus est fratribus, propter primam aspectus coniunctionisq; cum horoscopo societatem, quæ tamen societas aliquanto imbecillior est, cur nõ quintus locus filijs addicitur. Quãdoquidẽ in nulla est arctior q̄ filiorum ac patris coniunctio, ordine ac lege naturæ, sic nullus coeli aspectus, nulla signorũ coniunctio q̄ quæ est ẽt triangulo arctior ac propinq; inuenitur in serie atq; orbicularitate pro-

gredientiũ ab horoscopo signorũ. Merito autem uidentur inter prima naturæ bona liberi, cum ex ijs genus ipsum hominũ propagetur. quippe cum sola hæc causa sit generis conseruandi. aliter enim species ipsas funditus atq; in uniuersum interiret. Præterea ut liberorũ quæ prima naturæ dona sunt, locus hic significator est, sic etiã & donorum quæ tum ab amicis, tum etiã a principibus ac regulis conferuntur liber altitatis ac beneuolentiæ gratia. Quamobrem hunc ipsum locum a maioribus nostris bonam Fortunã agnominatã inuenio ac propter naturalem beneficentiam ueneris syderi dedicatum. E' contrario sextus locus ut deiectus ac piger nulla cum horoscopo societate, nullis prorsus connectitur uinculis. Quid igitur inde boni uenienti in lucem puero puellæ uel defluere aut subministrari poterit? Siquidem deserta loca & ab hominum frequentia quã maxime remota nõ fera tantum animalia, uerum ẽt uenenoosa gignunt, nec minus etiã stirpes et hæbas plurimas succi q̄ nocentissimi. Nõ aliter itaq; sextus locus feracissimus est, & quidam quasi fomes ægritudinum, malorũq; plurimorũ, quæ corpora infestant, uitãq; labefactant, unde mala Fortuna ab infelicitate sua agnominatur ab antiquis, locusq; ipse Martis stellæ propter insitam maleficientiã attributus. Etenim si in orbe signifero loca sunt ẽ quibus gaudia, uoluptates, salutariãq; adiumenta, ac diuersa bonorum genera portendantur hominibus, danda ẽt sunt eodẽ in orbe loca, ẽ quibus ægritudines morbiq; et item mala tum animi, tum corporis indicẽtur. cum homo ipse mortalis sit genitus. huiusmodi sextus est atq; duodecimus locus propter situs ipsius malitiã, auersamq; naturã. nihilominus possunt ab hoc ipso ẽt loco bona ẽt felicitatesq; manare, quoties de medio cœlo benigna stella collocata in eo stellam triangularem radiatione respexerit. Ad hæc quoniã in orbe ipso nihil est superuacaneũ, & qui locus ab uno aliquo distinguitur, alij atq; alij loco familiariter coniungitur. Cumq; sextus hic secundũ locũ, q̄ est alimentorũ, rei q; familiaris, beneuola societate cõplectatur, triangularemq; inuicẽ se foueat atq; intueatur aspectu, seruos utiq; nobis, seruilisq; animalia denũtiat, sunt enim hæc omnia rei domesticæ adminicula, ut etsi seruus atq; herus sibi inuicem aduersari propter dominatum ac seruitutẽ uideantur, in cũ res familiaris absq; ministris familiaribusq; administrari nequeat, hoc quoq; ẽ loco præsidia domesticis rebus, familiarisq; alimonie inuuntur. In hac igitur genitilis figuræ constitutione uidere licet q̄ loca hæc omnia sibi quadrẽt, de fratribus, patrum, filiorũ, itemq; seruorum societate. Cum autem ad conseruandam rem familiarem desit uxor, sequitur septimus locus a quo

nobis ea indicatur. opponitur autem locus hic horoscopo, cumque alter feratur sursum, atque impellat, alter declinet atque deiciatur, qui motus contrarias habent qualitates. alter enim agit, patitur uero alter, iure suo ab hoc loco uxor portenditur. siquidem uir agit, uxor patitur. hæc paret, ille imperat. Ad hæc cum uterque angulus sit in figura primarius, uterque etiam uir et uxor re familiare simul administrant, domesticamque supellectilem, ille tamen ut primaria ui actiuamque, ut ita dixerim, autoritate præditus, hæc ut secundam quandam prærogatiuam in uiri sui domo retinens. Nec uero mirum est in re sua communi et familiari inter uirum atque uxorem lites plurimas excitari, quando hæc ipsa locorum, atque angulorum inter se connexio aduerso conciliatur aspectu. Nam etsi naturalis est ipsa maris foeminaeque copulatio, nec genitalis uis ius suum exercere absque agente ac patiente ualet, atque hæc quidem coniunctio ab ipsa existit natura. Actio tamen et passio naturaliter sibi inuicem aduersantur, seseque aduersis etiam frontibus impugnant. Quocirca ab hoc ipso etiam loco contentiones portenduntur, atque similitates, damnaque ex iis proueniunt, a gnomonatus tamen est a nuptiis ac re uxoria propter domesticam constitutionem. Octauum ab horoscopo locum inuenio de maioribus nostris a morte cognominatum, et quidem iure, quando nulla cum horoscopo familiaritate coniungatur, nullis illum radiationibus illustrat, nec illustratur ab eo, quinimo locus maxime nocentibus connectitur, triangulo quidem duo decimo loco, de quo post dicemus, sex angulo uero ægritudinis ac morborum, quem locum sextum esse diximus. Ad hæc cum locus hic succedat septimo id est occasui, qui Solē ac diem sub terras præcipitat, qua est præcipitatione nox tenebrarum mater subsequitur, nec alia ratione mors uitæ, cuius ipsa priuatio est, succedat, appositissime quidem locus hic a gnomonatus est mortis. Atque ut secundus locus huic ipsi sane aduersus nati hominis substantiam, e qua uitam ducturus est, indicat, sic est contrario internitione, corporisque ipsius ac uitæ labem octauus hic portendit. Quocirca a bonis authoribus habitus est non modo piger ac deiectus locus, uerum etiam innatam ob malignitatem nocuus. Nihilominus quonia angulo succedit occiduo, Luna nocturnis in genituris hoc in loco bene collocata, felicitatem decernit. quod ipse sæpius obseruari, et a Iulio Materno non temere traditum est. Ex hoc ipso loco non solum mortis genus portenditur, siquidem de triangulo innum cardine id est quartum locum respicit, quem nati in tenebras ac sub terras abitione indicare paulo ante diximus, uerum etiam hæreditates, quæque ad mortuorum censum, occultasque etiam facultates, ac thesauros pertinent, indi-

cantur. Qui

cantur. Qui locus nonus est, huic de religione nomen est inditum, nec iniuria, cum enim in hemisperio superiori iungatur ascendenti dextro a latere, aspectusque maxime familiari, et ascendens locus, ut dictum est, corporis temperationem, corporeaque conglutinationis accidentia significet, uitæque ipsius qualitatem, hic ipse locus non immerito nati aptitudinem, propensionemque et, ut ita dixerim, applicationem ad religionem indicat, pro qualitate quidem signi, itemque signi ipsius domini, eiusdemque domini constitutione in figura. Cum autem prima quidem uirtus religio sit, quoddamque quasi fundamentum ad bonos mores, rectamque animi institutionem, aspectus hic superiori est semicirculo et benignus et felix quid benignius, quid felicius portendere nascenti potest? quam ut ad religionem, quæ uirtutum mater est, a genitali eum principio ducat, et tanquam manu prehensum aris admoueat? Ut enim a gricola in solo bene subacto semen iacit, talesque postea fruges proueniunt, qualis natura fuit seminis, eadem uia in conpage glutinanda corporis, loca ipsa locorumque domini, ipsorumque domnorum constitutiones atque aspectus pro natura sua semen quasi quoddam ad uirtutem seu ad uitium natis induunt, et quodammodo fermentant. quo est semine prognata germinalis in informandis animis, moribusque constituendis fruges ipsas pro natura sua uel ad probitatem uel ad improbitatem, ad rectum uel ad prauum proferunt, præsertim ubi ad temperaturam bene seu male procreationis initio conglutinatum, proba improba uel institutio post accesserit. Nam et institutio in utraque partem non exiguum confert. Merito igitur locus hic pius ac uenerabile sibi religionis nomen uendicauit. Et profecto si substantiæ, si fratrum, si parentum, liberorum, ægritudinis, uxoris locus, ac rerum harum cuique suus in coelo est attributus, cur non fidei, religioni, pietati, rectæque animorum informationi, quæ hominem ipsum maxime spectatum efficiunt, locus etiam attribuat suus? accomodatior autem quam nonus attribui poterat nullus, tum propter triangularem situm ad horoscopantem partem, tum propter hemisperij superioris dignitatem ac meritum, cum etiam locus ipse nonus soli sit adinditatus, qui religionis author est et parens, atque ab insita benignitate Deus cognomentum acceperit, eam ob rationem, quam tertio in loco attulimus. Habet etiam significationem sectarum, nec mirum, quando sectæ ipsæ religione comprehenduntur, item diuinationis, somniorumque, habet et peregrinationis, legationisque, quippe cum a puncto medi coeli hæc ipsa coeli pars digrediens, alio proficiatur atque contendat, ab exortu enim profecta ad medium, atque ab eo digrediens, uertit se in oc-

asum. Huic locus honorum ac magistratuū merito adiungitur, atq; ordine quidem suo, qui decimus est, atq; in summa coeli parte constitutus. Perinde nanq; ut honor inter mortales ac aues ipsos maximum quoddam habetur bonum, quod etiam primum inter homines existimatur, locus hic ipse decimus in altissima mundi parte, ueluti editissimo in folio constituitur. Cū enim homo natura sit sociabilis, primum natura ipsa duce societates colit, ac coetus amat, qui ē ciuibus constant, deinde cum sit etiam honoris appetens, inter ciues ipsos excellere nititur, quo fit, ut honoris ut gloria euadat quam appetentissimus. certando enim animus magis ac magis effruescit. Atq; ut numerus ipse decimus alios complectitur numeros, estq; ceterorum terminus quasi quidam, sic ciuiliū bonorum primarius finis est honor et gloria. An non magistratus etiam ipsos, quiq; magistratibus praesunt, ut in populo eminentissimos, in edito atq; illustri sedere loco nedum in urbibus, in quibus locum habet humanitas, honorisq; delectus, sed etiam apud barbaras nationes cautum et constitutum esse? quorum maiestate nihil est apud gentes ipsas antiquius. Neq; indigne igitur, neq; irrationabiliter a decimo loco mediq; coeli ordine magistratus atq; honores queruntur. Quis merito etiam suo, ei bono quod maxime inter aues expetitur, locus is in caelo dedicatus est, qui honorum ipsorum denuntiationem praeseferat. Adhuc idem hic locus et patriam, et actiones, artis quoq; ac uitae genus, quim etiam animi propeiones, studiāq; uirtutes item ac uitia indicat, tanta uis, auctoritasq; propter cardinis maiestatem, ei est insita. Undecimo loco adiecti sunt amici, consiliarij, suffragatores, assistit enim decimo, perinde ut consiliarij assistunt magistratibus ac principibus. Etenim ut ipsa sine amicis uita, sic magistratus absq; consiliarijs, principes ciuitatum sine assensibus ac clientibus, reges ipsi deniq; sine ministris tueri honores, magistratusq; ipsos gerere, ac subiectos moderari populos nequeunt. Suffragatur autem locus hic ascendenti tum ē parte coeli ad culmē progrediente, tū aspectu sexangulo et amico. quando sine amicitia uita humana manca est ac desituta. A fauore igitur, a spe, a fide ac benignitate locus ipse Latine bonus Genius, Graece ἀγαθὸς δαίμων cognominatus est, ac Iouis stellae, quae maxime benefica est, additus. Secus autem usque uenit in loco duodecimo, siquidem nullo aspectu ascendenti coniungitur, quim ab eo deficit, tanq; qui desiscat. Quocirca merorum, tristitiae, erumae, inimicitiarūq; cognomento nobilitatus est, insitamq; ob malignitatem ac nocendi potestatem, mali Daemonis titulo notatus est, cum etiam morborū indicationē habeat, seruilisq; substantiae, easq; ob

res Saturni stellae sit addictus, cuius qualitas est malefica. Hunc igitur in modum omnis duodecim locorum signiferi figura constitutioq; distribuitur, ut uix aliquid in uita boni aut mali, honoris aut opprobrij, uitij aut uirtutis, ualitudinis secundae aut aduersae nascenti sit euenturum, quod non us ē locus, eorumq; statu ac dominorum situ constitutioneq; portendatur. Etenim loca ipsa licet illarum potissimum rerū significationem habeant, quibus a rebus cognominata sunt, a singulis tamen locis aliae atq; aliae res negotiaq; et indicantur et queruntur. Quod etiam in magistratibus usauerit, quippe cum una tantum ē re nomen adepti sint, ydem tamen compluribus negotijs et praesint et prospiciant. Initio nanq; consules quod rei publicae domi consulerent dicti sunt, ydem tamen foris bellum gerebant, et cum imperio prouincias administrabant, deq; recto et prauo, iusto atque iniusto iudicium ferebant. Eadem ratio Aedilium, Praetorum, Censorum, Dictatorum. Grammatici quoque ipsi nominantur a literis, quae Graece sunt γραμματικά, Latine literatores dicti, non modo autem de literis et syllabis et dictionibus cognoscendis horum studiū est, uerum et Poetas interpretantur, et historias noscitant, deq; moribus adolescentulorū uitāq; instituenda praecipua tradūt. A singulis igitur locis pro qualitate rerū locorūq; plura ad diuersa inter inuestigandū, sciscitandūq; et exiguntur et denuntiantur. quemadmodū suo tempore de singulis dicitur, ut nihil ferē maiusculum in uita sua nascenti contingat, cuius non ex ijs locis iudicium sumi queat. Ac de duodecim locorum constitutione, ordine ac nominibus satis sit haec nunc attigisse.

Ne uero reticenda sunt a nobis, quanq; scribendis his minime aut ambibiosis, aut superstiosis, quae de duodecim locis, atq; eorū siue dominis, siue patronis tradita sunt a Caldæis Babylonisq; auctoribus, quae qdē sic referentur, ut ne tanq; artis praecipua, institutaq; disciplina, et, ut sic dixerim, postulata aut uideri, aut teneri ea uelimus, cum tamen probabilia appareant. Aiunt itaq; Saturni stellā et tenebrosam esse, et erraticorū omnium supremā ac primā, quodq; insans ē tenebris in lucē ueniat, ac primus signiferi locus, hoc ē prima ē duodecim domus inferiori ab hemisperio, aequae ac ē tenebris in lucem prodeat, nascente aliquo, itaq; primū locū, ac domū primā Saturno dedicarunt, eo ēi libētus, quod ydē ipsi auctores sunt Saturni sub dominatu eē, qdē diu matris in utero foetus fuerit. Hac eadē ratioe adducti primū mensem generati in utero foetus Saturno etiam ascripserūt, secundū autem et mensem et locum Ioui, quod secundo scilicet Post Saturnū orbe feratur

Iupiter, quodq; foetus ipse post conceptionem alendo & perficitur & conseruatur, ortumq; infantis educatio confesum sequitur, horum educationis ipsius (quod ordo sic ferret sphaerae) Ioui in sortem ac patrocinium cessit. Qua e re & domus haec, quae census ac substantiae dicitur, unde uitae alimenta subministrantur, & educatio infantis Ioui est attributa. Tertius ordine suo et mensis conceptus, & signiferi locus ascriptus est Marti. Quo circa locus is quoniam propter generis propinquorem agnominacionem sanguinisq; societatem appellatus est a fratribus, & fratrum & sororum significatio dedicata est Marti. sunt enim fratres post primum partu a patre ipso terij. Quartus mensis, itemq; signiferi quartus locus Soli ex ordine dedicatur, & quia locus is denominatus est a patribus, patru quoq; significatio in genituris Soli est adiudicata, habetq; Sol in genituris patris ipsius indicu. est enim formae dator, quod patris qdem officiu est in creanda prole. Et mensis & locus qui sequitur numero quintus Veneri est attributus, quod quinto septem inter erraticas orbe fertur, quodq; hic ipse locus filiorum est ac prolis, congruitq; Veneris naturae omni e parte, quippe quae & genitalis est, et uoluptatis ac deliciarum dea. Mercurius quod sextum a Saturno inter planetas orbem obtineat, sexti et mensis & loci patrocinium suscepit. Quodq; locus ipse nomen habet ab aegritudinibus ac mancipijs munus quoq; rerum harum significandarum sibi assumpsit, quando motus eius Soli maxime addictus est, solaribus penes radys semper oppressus, nec sui iuris, permultumq; repedando laborans, & tanquam languens ob assiduas uersationes. Luna uero quod sit in ordine hoc septima, locum ei septimum adiudicant. Quodq; Martis munus in generatione, ut patris Sol obeat, locum eum qui uxorum esset, quod mar. res eae ex. connubio fiant, Lunae dedicauere, cum septimo quoq; mense. Atq; inde fieri uolunt, ut septimo qui nascuntur mense uiuant. Praestat autem ut Sol patris uice formam, sic Luna in generando materia. Octauus autem & mensis & locus in signifero redit, suo ad Saturnum ordine, & quia mortis agnominatur locus, & quod Saturni stella exitialis est. Itaq; dedicatio ipsa & loco congruit, et munus, quemadmodum rursus nomen loci dedicatio Ioui. Na et locus a religione nomen accepit, et Iupiter pietatis fidei, cultus, rectitudinis, aequitatis, ueritatisq; est author, & uitae, propter salutare uim ei insitam, conseruator. Et quia nono partus mense perficitur, Iouis est numeris haec ipsa perfectio, propter stellae temperamentum. Et profecto si Zodiacus orbis generationi rerum locum exhibet, si Sol qui medium illum secat, ijs quae nascuntur, formam quidem,

nam quidem, at materiam subministrat Luna, si reliquae numero quidem quinque administrantur utriq; an tibi uideatur quae relata sunt a nobis, quaeq; fundamenta quasi quaedam iacta fuere priscis ab authoribus, ratione carere? et tanquam parum firma debere contemni? quibus observatio etiam astipuletur, ac reru ipsaru euentu consentiant.

De Locis peculiaribus planetarum.

Prima autem ad significandum partes sunt Cardinum, id est angulorum, hoc autem loco Cardines intellegi uolumus, non quatuor illas ternorum signorum comprehensiones, de quibus haud multo ante disputatum est, sed quatuor illas angulares caeli partes, Graeco uerbo *κωρυμναι*, & penes dixerim nostro Cuspides, in quibus erraticae stellae constituae ualentissimas ad agendum uires nascuntur. Perinde ut principes, ut reges in folio constituti auctoritatis plus obtinent ac uirium, & si cum principes, tum reges in sua quisq; ditione tum arces quasdam tum oppida peculiariter magis habent, in quibus et amplius delectantur, & iura sua libentius exercent. Quo fit, ut in hac ipsa duodecim locoru constitutione ob alias quam quas diximus causas, Sol sibi nonum, Luna octauum peculiariter uendicauerit locum, Iupiter undecimum, Venus quintum, Mars sextum, Saturnus duodecimum. Quod cur ita comparatum sit, ratio praetereunda non est. Primus igitur maximusq; propitius caeli ad ascendentem partem aspectus nono est a loco. Quocirca cum ascendens pars nati uitam, animatiq; compagem corporis sibi uendicet, sitq; Sol spiritus ac uitalitatis, ut ita dixerim, author, idemq; pater, habeatq; inter planetas id iuris, quod iter corporis membra cor ipsum habere iraditur, iure uitalitatis auctori atq; conseruatori locus est maxime beneficis attributus, in eoq; potissime nummum letari atq; exultare creditus est. cum etiam Sol ipse sit lucis ac diei author, perq; eu locu de die dumtaxat feratur. Neq; enim locus subterraneus Soli erat dedicandus, cu luci tenebrae aduersentur. Iupiter etiam, cu sit stella eius maxime salutaris, ac luce gaudet, sequaturq; diurna Solis conditionem, undecimum sibi locu desumpsit. quo e loco felicibus radys ascendente partem & illustret & foueat. Nam cu uita e calido & humido potissimum constet, cui quidem qualitati Iupiter praesidet, mirificu irradiatione sua corporibus affert praesidiu. Felix igitur stella felice sibi locu in quo gauisura peculiariter quadam hilaritate esset, sibi uendicauit. quo e loco et ascendentem intuetur parte, & ad caeli medium progressura loco sibi tantopere accommodato magis ac magis letatur. At Venus ut pote nocturna pp qualitatem

asi dominatur, itemque ut salutaris & benefica, quintum sibi delegit lo-
 cum, quo est loco maxime beneuolo aspectu ascendente intueretur coe-
 li partem. appositissime hoc quidem, nam & de triangulo aspicit, id est
 benefico est loco, cum sit ipsa benefica, & cum propter humectationem
 nocte gaudeat, locus ipse quietus ut subterraneus, naturam Veneris ma-
 rum in modum adiuvat. Adde quod genitilis cum sit, sobolis etiam lo-
 cum sibi delegit ut merito etiam suo gratum. Quando Iupiter quod la-
 taretur maxime actionibus, locum etiam actionibus appositum sibi
 desumpsit. Malefica uero stellae propter maleficientiae similitudinem,
 & ut ita dixerim, societatem, loca nocentia, exitio saepe, in quibus ma-
 lefaciendo, & quorum auxilijs nisi latarentur, sibi delegerunt, Satur-
 nus quidem cum sit diurnae conditionis duodecimum, Mars uero sextum.
 nocturnus enim quod esset, in locum subterraneum concessit. Cumque Sa-
 turnus tristitia, moerores, & carcerem inferat mortalibus, locum huius in-
 ferendis accommodatum sibi maluit, at Mars ut quae esset & graditudinum auctor,
 locum & graditudinibus ac morbis maxime idoneum. Neuter autem locus
 ascendente ullo modo aspicit, sed ac si odio illum habeat, auersatur.
 Itaque hic ille tanquam carceris ipsius custos ad fores excubat, gaudiumque
 ibi exilit. hic uero quasi quodam ex ergastulo seruos inde id est mor-
 bos uitamque ad infestandos mortales emittit. Locus autem Mercurij in
 hac ipsa distributione non temere praeteritus est ab antiquis auiho-
 ribus. naturae namque tam uersatilis cum esset, ut ad beneficium maleficumque
 facile conuertatur, nullus eiusmodi locus uisus est Mercurij naturae ido-
 neus. Etenim loca, de quibus dictum est, suapte positura ac situ aut ad-
 uersantur ascendenti, aut illud amice aspiciunt, aut etiam cum illo nulla
 prorsus societate iunguntur, neque unquam situs ipsius qualitatem mutat. Quo-
 circa recte in hac ipsa locorum distributione praeteritus est Mercurius.
 recte etiam Luna quae Sole non secus quam in distribuendis domicilijs, in hu-
 iusmodi quoque locis partiendis committatur, octauus attributus est locus.
 ut enim Cancer antecedit Leonem, sic locus octauus nonum. Adhuc cum
 Luna sit corporum ipsorum pares ac nutricula, materiae enim praest, in
 hemisperio superiori locus ei deligendus fuit, ne a Solis loco uicini-
 recederet, cuius desyderio fomētusque teneatur, perinde ut formae cupi-
 ditate materia. Laetatur autem eo loco Luna, ibidemque constituta gaudio
 exilit, nocturno scilicet tempore propter conditionis similitudinem. Nam
 et Iouem nocturno tempore, simile est ueri, in undecimo, quamuis sit
 ipsius locus, propter conditionis dissimilitudinem non adeo exultare. Geni-
 lis igitur Lunae locus est octauus, in quo noctis tempore Luna ipsa inme-
 ta ad felicitatem plurimum confert, fota conditionis suae beneficio, quippe

cum diurno quidem tempore non tam delectetur loci ipsius situ, quam diurna,
 sibique aduersante qualitate offendatur. Nullus autem ardo est quatuor
 angularibus caeli locis, planeta cuique peculiariter est attributus. quod
 uidelicet quocumque in angulo planeta cuius inuentus uires amplissimas
 ad agendum mutuatur, a loci ipsius potestate atque excellentia. Nihilominus
 nus quidam ascendente locum Mercurio ascribere, quod eius stella hoc
 in loco potissimum exultaret. cum enim rationi praesit, uoluerunt hoc eis
 loco delectari, cuius esset significatio ac potestas in corporis animaeque
 copage. Cumque eadem stella motu cum primis gaudeat, laetari horoscopo,
 unde natus ex utero prodians in lucem atque ad actiones ueniret, puta-
 uere. Hac eadem ratione adducti uoluerunt Lunam tertio loco gaudere, quod
 is locus peregrinationis significationem haberet, cuius est proprium nu-
 tare locos, deque regione in regionem proficisci. Idque ratione non caret,
 nam & ascendente locum aspicit est sex angulo, & cum sit noctur-
 num luminare, ac foemineum, de inferiori hemisperio intuetur horo-
 scopum, perinde ac Sol, cum sit diurnum ac masculum de triangulo
 hemisperioque superiori. Quandoquidem utrumque luminare corpore
 ac uita praest. De Mercurio autem a Iulio Materno uideo haec tra-
 di, ceteras omnes stellas duodecimo in loco uires suas quadam cum pi-
 gritia exercere, solum autem Mercurium illic positum ingeniorum praes-
 tantiae plurimum conferre tum ad disciplinas ediscendas, tum ad fo-
 renses defensiones, causarumque patrocinia magno cum successu tractanda.
 Nec sine causa prudentissimos scriptores hunc ipsum locum notasse, tem-
 pusque partitudinis cum ipsa parturiente ibidem collocasse. Quocirca mihi
 hi neque ascendens locus Mercurij gaudio ascribendus uidetur, nec Lu-
 na omnino tertius. Etenim primi illi rerum caelestium exploratores in hac
 distributione conditione diei noctisque secuti sunt, ac diurnae Sole, noctur-
 nae Lunae praefecere, et Soli quidem Iouem ac Saturnum socios addidere, Lu-
 nae uero ac Martem, beneficas ac maleficas stellas partiti pro diurnae
 nocturnaeque conditione, de qua statim dicemus. Mercurium uero praete-
 rierunt in hac distributione, cum sit eius natura tam uersatilis. Locum
 quoque felicitatis in hemisperio superiori attribuerunt Soli nonum, tanquam
 principi, Ioui undecimum, ut benefico, cum inde ascendens intueatur de
 sex angulo, Saturno autem duodecimum, cum is locus Saturni naturam seque-
 tur ad diuersa maleficorum genera, in hemisperio autem inferiori quin-
 tum ueneri, ut beneficium locum beneficae ac nocturnae stellae, sextum
 Marti, ut locum ei accommodatum ad malefaciendum, pro malefica
 ipsius irradiatione, locique natura. In qua distributione, ut dixi,
 Mercurius quoque praeteritus est. Quocirca qui recentiores scriptores

ascendentem Mercurio locum attribuerunt, uidentur mihi maiorum instituta, consiliaq; parū considerasse, cum stella eius nec beneficis nec maleficis sit stellis annumerata, præterq; Solem & Lunā nulla sint alia luminaria, quæ diei noctiq; dominentur. Quod uero tertium ad domum attinet, sicuti nonus locus maxime propitius ascendenti in hemispherio superiori datus est Soli, ut diurnæ conditionis principi, ita datus erat quintus maxime propitius ascendenti in hemispherio inferiori Lunæ, nocturnæ conditionis dominæ, tertius uero locus Veneri, stellæ salutari, quæ admodū Ioui imdecimus. Quæ res indicat octauum Lunæ locū a prisca illis fuisse attributum, ne gaudij atq; exultationis Lunaris locus disiungeretur a solari loco, perinde ut neq; altitudines neq; domicilia inimicem disiunguntur. Sed sit suum cuiusq; hac de re iudicium, quando hæc neq; tantifacienda ducimus, ut propterea digladiandū uideatur. Neq; fortasse a mediocritate ipsa recesserit, si quis nocturnis in genituris octauum Lunæ locū, tertium in diurnis eidem ascripserit. tamen si ambitiosior fortasse ascriptio hæc, locorumq; partitio uideri potest. Ad hæc cum Luna matrem portendat in genituris, nescio quā ratiōe locis tertius ut peculiaris ac uoluptarius ascribi Lunæ debeat. cū in eo constituta loco matrē aut ignobile aut infamē significet, nihil deniq; boni hoc è loco suapte natura promittat. Ac de locis ipsis quibus tum felices, tum infelices stellæ, luminariaq; item ipsa gaudeant, hac in parte satis sit pauca hæc explicasse.

De Conditione stellarum diurna seu nocturna.

Cum autem tempus ipsum sit quædam quasi motus observatio, diebusq; ac noctibus potissimū constet, omniaq; quæ ad generationē ac corruptionē spectent suo fiant in tempore, stellæ quoq; erraticæ pro natura sua aliæ diurno tempore, nocturno aliæ magis delectantur. Quo fit, ut earum actiones in elementis rebusq; mortalium uehementiores contingant, ubi cum tempore temporisq; qualitate congruerint, hæc autem ipsa conuenientia, & quidam quasi consensus qualitatum, Conditio a maioribus nostris dicta est, Græcè è αἰθρῆς. Itaq; diurnus in genituris planeta diurnus bene collocatus plurimum quidē ratiōe conditionis uiribus suis adiungit. Sicut autem diurni planeta uidelicet qui Solis naturam sequuntur, Iupiter ac Saturnus, alter beneficis & salutariis, alter malignis atq; calamitosus planeta, nocturni uero Mars ac Venus, Lunæ enim qualitate delectantur, alter quidem maleficis, salutariis altera. Iupiter igitur, quod calidæ humescentisq; temperationis est dominus, quæ natura generationi maxime ac-

commodatur, adhæc quod calidum ubi ab humido superatur, fit ad generandū remissius. uis enim ipsa genitilis a calore mouetur, ita co die letatur, quandoquidem inducendæ formæ studiosior est, noctem uero propter humidæ exuperantiæ reformidat, quocirca uires eius die maiores sunt ac uehementiores, noctu minores ac remissiores, propter caloris ipsius remissionem, humidiq; excessum. Saturnus autem propter insitam frigiditatem, quæ natura senum est, a calore Solis refocillatus uires ad agendum potentiores suscipit, adaucta etiā siccitate, quæ ipsius est propria, cum utrumq; etiam Solis sit & calefacere, et excitare. Quis etiam aduersantis conditionis tanta uis est, ut sæpenumero stellæ ex hac ipsa dissimilitudine parum conuenientes sibi qualitates induant, & tanquam indignatæ contrarios etiam effectus inducant. Quod in hominibus ipsis etiam bene institutis usuuenit, ut cum secus quàm sua ipsorum institutio fert, aliquid moribus eorum aduersum tentetur, indigne id ferentes, ab insito naturaliq; ingenio nō modo longius recedant, uerum etiam ad ea transeant, quæ ingenio aduersentur atq; institutioni, indignitate rei commoti. Illud autem mirum, quod naturæ feruentioris cum sit Mars, nocturna tamen humectatione capiatur. An fortasse quod calor ille diurno etiā calore magis ac magis incensus, & penè euandus factus dissipatur & effluit, nocturno uero frigore humectatq; in se se repressus, & tanquam in uallum munitionis factus uires suas in inuicem colligit, & magis ac magis inualefcit. Nam & fabri ferrarij ne ignis uis illa per flamas exhalata dispergatur, incensos carbones guttis frequentioribus sæpius scilicet inspergunt, quæ ex inspergione ignis ipse in se se collectus uires spiritusq; uehementiores assumit. Irati etiam dum nimio plus exardescunt, debilitantur ita uiribus, ut in pedibus uix cōsistant. Ignis enim propter leuitatem ac siccitatē facile in aperto dissipatur, inclusus uero feruentior efficitur, sæuiusq; exæstuat. Veneris autem stella cum sit genitilis, suapte natura humectata est, quocirca noctis umbra gaudet, recreaturq; similitudine, quod in amicitijs quoq; contingit, siquidē amici ipsi morum capiuntur similitudine. Quis etiam hac in stella illud idem usuuenit quanquam disparili qualitate, quod in Ioue, ille enim reformidat, ne calor insitus nocturna uictus humectatione succubat, hæc ne humectata uis diurno a calore superata relāguescat, cum sit ipsa per se apparandæ materiæ appetentior. De Mercurij uero communi uersatiliq; natura paulo ante dictum est. Ptolemæus autem putat Mercurium sequi diurnam conditionem, ubi matutinus fuerit, uespertinum uero atq; hesperium nocturnam. Quod ratiōe nō

atret, siquidem matutina regio propter accedentem atq; insequentem solem incalescat, redditurq; aridior, quæ diei qualitates sunt; contra uespertina pp solis recessum efficitur frigidior atq; humectior, quod noctis est proprium. Quod si prestare hoc regiones possunt, ut Ptolemaeus uidetur existimare, propter qualitatum similitudinem, nihil causa uideo, cur non tempora ipsa hoc est dies ac nox potius præstent, ut die diurnus, noctu uero Mercurius sit nocturnus, quorum profecto temporum hæc ipsæ qualitates sociæ sunt ac ministræ. An fortasse Ptolemaeus, præsciq; Astrologi Soli hoc ascribere uoluerunt? ut cum Mercurius nunquam signo uno, eoq; non integro longius ab illo recedat, diurnam quidē conditionem assumeret, ubi ante Solem proficisceretur, contra nocturnā, ubi illum insequeretur, uespertiq; post eū occideret. Siquidē Iulius Maternus in illa mundi genitura quæ ab ipso traditur, dicit Mercurij stellā communē fuisse habitā ab Aesculapio atq; Anubi, eorūq; sectatoribus, quod neq; Solem neq; Lunā de quadrangulo, triangulo ue, aut ex opposito loco intueretur, delectari in die, ubi matutinus fuerit, Sole, de nocte autem Luna, ubi fuerit uespertinus. quod ille diurnæ, hæc nocturnæ conditioni præsideat. Huius autem temporalis conditionis domini sunt Sol et Luna, et Sol quidem diurnæ, nocturnæ uero Luna. Cumq; uterq; generationi præsit, alterq; materiam præstat, uitam alter inducat, reliqui planetæ pro naturæ similitudine utriq; auxiliantur, nunc ualidius, nunc remissius, qualitatem conditionis secuti. Cui opinioni tot annorum ac seculorum observatio astipulata est, doctissimorumq; hominum consensus. Nec uero, quod ante a nobis abunde dictum est, huiusmodi qualitates corporibus stellarum insunt, ut ipsæ quoq; perinde ac elementa, corporumq; nostrorum humores nutentur, qui ppe quæ agant, uiresq; suas exercent in qualitibus. quibus ex actionibus tales eas esse dicimus, quales in elementis corporibusq; inferioribus qualitates excitant, id quod generationis atq; corruptionis gratia maxime necessarium est. Neq; enim natura ipsa hac quoq; in parte recessit ab artificio suo. et enim cuiq; ferè rei propria ac peculiaria quædam sorte sua insunt, idq; quanquam oculis minus cernitur, ipsæ tamen effectiones indicio nobis sunt, quæ quidem maiores, minores ue existunt, perinde alia quoq; adiumenta illis accesserint.

Mutari qualitates planetarum pro caeli regione.

○ ritus item, occasusq; ☿ ipse a media linea declinationes in austrum

septentrionemq; a quibus diuersarum quoq; qualitatum uetus flarum diximus, nunc quidem augent stellarum ipsarum qualitates ac uires, contra nunc imminuunt. Etenim Saturnus in parte quæ est ad orientem de die constitutus pp calorem siccitatemq; regionis, inde nanq; dies exoritur, non parum hinc sibi uirium adiungit, hoc est radijs eius uis insita. Secus autem in regione, quæ est ad occasum propter frigiditatem humectationemq; regionis, e qua nox surgit, quædo humidum frigidumq; ob solis discessum una increscit, uiribus eius ermultum deirahitur. Quod a solerti Mathematico in conciliandis stellarum effectiōibus non minus quam a medico in miscendis portionibus remedijsq; adhibendis obseruandū uidetur. Neq; enim tot ac tam inconstantes rerum, morū, euentorū, temporum diuersitates contingerent, nisi ob tantam immutationem ac diuersitatem qualitatum, motus, situs, aspectus, configurationisq; celestis. Ut nulla meo quidē iudicio in cognoscendis aut explicandis stellarum significationibus maior existat difficultas, neq; ubi solertius adhibendum sit studium, quam in illis perspecte temperanterq; commiscendis.

De Erraticarum qualitibus.

Quoniam autem dum de Zodiaci constitutione differimus, paulatim sermo noster ad erraticas peruenit, non inconuenienter deinceps de ipsis quoq; erraticis, idq; aliquanto diffusius differendum uidetur, quarum effectiones in elementis tā sint, elementaribusq; corporibus manifestæ, ut ne nubecularum quidem commotiones in aere, præterquam illis excitantibus fieri omnino contingat. Constant autē, ut ueri est simile atq; ut Physici arbitrantur, stellarum ipsarum corpora ex concretione orbium suorum parte qui nec elementa quidem ipsi sunt, nec elementare quicquam continent, non calidum, non frigidū, non siccum, non humidum, sed alia quædam illarum siue natura, siue, ut hodie dicunt, essentia est. Nec cum dicimus stellas, quædam esse corpora perinde ut de elementaribus corporibus, intellegi uolumus. siquidem appellamus eas corpora, quod dimensionem recipiant, quod suis circum terminis scribantur. sed nec mutantur, ut nostra corpora, nec corrumpuntur, ut inferiora hæc, aut in alas ex alijs qualitibus ac naturis transferunt, coelestia sunt, atq; ut cæli ipsam, cunctiq; coelestia ois prorsus corporeæ commutationis, elementarisq; alternationis experta, mouetur assidue, sed nec tamen ut inferiora corpora, aut perinde ut elementa

ipsa, ex quibus constamus, uerum eo motu, qui coeli, coelestiumq; corporum suus ac proprius est, rerumq; immortalium peculiaris. Quocirca nec solis corpus calidum est, tamen si qualitas haec ad inducendam formam est aptissima, nec Lunae humidum, quae natura est ad suscipiendam formam maxime idonea, nec caeterarum erraticarum aut frigidarum aut sicca sunt corpora, aut alia atq; alia qualitate praedita, uerum sua quadam ratione dicuntur aut calida aut frigida, humida, aut arescentia, uidelicet quod in elementis ipsis, elementaribusq; corporibus, eiusmodi qualitates moueant, atq; alternis agant, non eadem tamen ratione & uia, sed quod una quaeq; stella pro insita ui moueat, excitet, afficiat. Sarnensibus in fontibus, quae decidunt ac subsidunt frondes, ramuliq; lapidescunt certo quodam tempore, & quanquam alij etiam fontes, riuusq; illos aut superant aquarum cruditate, aut aequat, hoc tamen ipsum non praestant, adeo in rebus ipsis naturalis quaedam uis est insita, qua multa quidem efficiuntur, quarum tamen ratio nulla nobis certa appareat cur ita efficiantur. Quod si elementaribus ac passiuis in corporibus tanta inest uis, quid mirum in actiuis illis ac coelestibus semperq; consistentibus inesse uim propriam & peculiarem ciendas ad qualitates? easq; motu atq; irradiatione sua alternadas? Ut enim passiuas haec sunt ad patiendum nata, sic ad agendum illa, unde ab innata ad agendum ui, atq; ab effectiionibus sempiternis agnominata sunt actiua. Quocirca non quod qualitibus eiusmodi praedita sint, id agunt, uerum quod a natura sic illis inest, atq; attributum est. Utq; ad rem ipsam propius accedamus, ferrum ipsum frigidum est admodum, a sole tamen diutius percussum concalescit adeo, ut admota propius fomenta incendat. quod in speculis aeneis liquido cernimus. Ergo & Lunae corpus, quod frigidae compactionis esse uolunt, a sole percussum incandescat necesse est, a qua etiam igni admota feruescit. Igitur et Luna cum sit maxime humida, Solis tamen radijs percussa, eadem ratione ut effervescat oportet. quae re fit ut Lunae corpus crescendo magis ac magis ferueat. Non erit igitur minus calida, quam aut humida, aut frigida. praesertim cum Ptolemaeus putet ab euolantibus e terra uaporibus hoc ei contingere, quod falsum esse supra ostensum est. Quia Lunam ipsam, cum plena est, tunc uel maxime calefcere dicendum esset. Quam ob rem Lunae corpus nec frigidum, nec humectum putandum est, siquidem affectiones eae mortalibus, non coelestibus contingunt corporibus, uerum ab insita ui frigido atq; humido dominari, quo rerum inferiorum generatio sequatur atq; alternatio, ac pro calore quem a Solis irradiatione radij eius concipiunt, nunc magis, nunc minus hoc

ipsum praestare atq; efficere. Id quod de caeteris etiam erraticis dicendum est pro sua cuiusq; peculiari ad agendum natura, aliter enim rerum generationi pessime consultum esset. Etenim terrae corpus unum cum sit, regiones tamen eius non uno modo affectae sunt, cum alibi humor, alibi siccitas regnet, hic calor aestuet, illic frigus obtorpeat, suisq; etiam in locis sit maius quoddam elementorum temperamentum, quaedamq; equalitas qualitatum. Coelum item ipsum unum est, non uno tamen modo afficiat subiecta sibi corpora, quae passiuas uocari diximus. Eadem etiam ratione stellae afficiunt pro concretione sua, caeliq; situ, in quo feruntur. Aliter enim tanta rerum alternatio immutatioq; nullo modo contingeret. Nostro in corpore aures, oculi, nares, lingua diuersa ratione afficiuntur, ac nihilominus uni eidemq; insunt corpori, quod licet unum sit, sensus tamen ipsi hoc est instrumenta sentiendi ex una concretione nequaquam sunt, tamen si corporea e compage constant. Quod de Saturni, Iouis, Martis, stellarumq; omnium corporibus, quae in parte generationis instrumenta quaedam naturae ad agendum sunt, dicendum atq; sentiendum censeo. ut mihi etiam uideatur idem esse ius Solis in caelo, quod cordis in animalium corpore, idem Lunae, quod cerebri ad mouendum atque afficiendum. Atque ut cerebrum a cordis fouetur calore, sic de calore Solis Luna hoc est uis eius in actionibus proprijs, uisq; a cerebro manat defluctio quaedam humentior per membra partesq; corporis, sic a Luna demanat quidam quasi defluxus per corpora haec orbi eius subiecta. A maioribus autem nostris uocata est defluctio, a fluendo ut fluctus, quae nunc a recentiorum plerisque usurpatur tum defluxio, tum defluxus. Igitur quod nec frustra, saepius tamen dicitur, stellarum corpora nullis sunt elementaribus qualitibus addicta, sed omnino libera, eiusmodiq; ab alternationibus atq; immutationibus penitus uacua, quibus & ipsae dominantur, & pro natura sibi insita easdem citant, alternant, moderantur, quippe quae imperium in illis habent, earumq; commotionibus pro arbitrio praescribunt. quae re dicuntur eiusmodi earum esse corpora, cuiusmodi qualitates ipsae stellae in rebus aent inferioribus. Est itaq; Luna exatatrix ac foetrix humidi maxime, item frigidi, unde ipsa qualitatis frigidae atq; humectae ab antiquis est habitata, nihilominus radij eius a Sole calefiunt. quae re adiuta per calorem sibi immixtum uapores sursum in editam aeris regionem rapit. quod quidem est calidi, non humidi aut frigidi, quorum potius proprium est deorsum uehi atq; ad ima deferri. Eadem Luna procedit crescendo ac decrescendo per aetates, quatuorq; anni tempora, siquidem prima eius aetas dum

a' solis coniunctione digreditur, apparetq; corniculata, humido plurimum abundat. quale uer, qualis hominum pubertas atq; adoleſcentia. Aetas ſecunda quam diu ad plenitudinem accedit, præturmoq; apparet corpore, multum in ſe caloris habet, uelut æſtas, ac iuuentu. poſt plenitudinem, quæ tertia quædam ætas uidetur, declinat in ſiccitatem, ut autumnus, ut uirilis ætas, atq; ubi iterum ad corniculatiōē redit, frigescit admodum, ut hyems, ut animalium ſenectus. Nec ſentit tamen ſenectutem Luna, nec eſt unquã puella, uerũ radij eius, dũ noua eſt, humidum magis ac magis euocant, frigus uero, dum redit ad ſolis coitum, & tanquam calore defecta conſeſcit. Nullum habet ſibi inſitum ſaporem lingua, nullum oculus colorem, omnes autem hic colores, cunctos illa ſapores ſuſcipit, paſſiuũ utrunq; corpusculum, comparatumq; a' natura inſtrumentum ad ſentiendum. Minus igitur mirum uideri debet, ſi Luna ſydereum atq; actiuum corpus poſſimumq; nature inſtrumentum ad generationem paradam, quos diximus qualitates alternationesq; mouendo atq; afficiendo ſuſcit, & ex alia in aliam mutando conuertit. Saturni frigidam eſſe naturam cum primis uolunt, item & ſiccam, qualis eſt ſenectus, præcipue tamen dominari frigido, in eoq; permultum excedere, inde radios eius letales eſſe, uitæq; admodum animalium aduerſari. Vt enim motus ipſe cœleſtis et gignedi et corrupedi cauſa eſt, corruptio autem inde proficiſcitur, qđ nihil in quo genitũ eſt ſtatũ, pmanet, ſed in aſſiduo uerſatur motu, ſic ſtellæ ipſæ & generationis & corruptionis ſociæ, uel quædam quaſi inſtrumenta aliæ magis paradam ad generationem contendunt, ad corruptionem magis aliæ, perinde ut Saturni ſtella, quæ frigiditate ſua uitalem calorem hoſtiliter petit, ut Martis, cuius uis eſt urēdi magis quam calefaciendi. Namq; ut genitalis ille calor uitalem uim fouet, ſic feruor uitalem humectationem e' contrario exurit, penitusq; exicat. quod uidemus in ſegetibus, quas ſol quidem fouet, atq; ad maturitatem perducit, ignis uero incendit, incenſasq; omnino perdit. Si quidem Saturni radij quodam quaſi ueneno frigiditate nimia uitalem uim conſiciunt, Martis autem radij tanquam iniectis ſtammis excurrunt. adeo in utriuſq; radijs effectiōibusq; nihil in eſt moderati. Quando & calidum & frigidum quoddam dandũ eſt, quod ſit etiam ſua in qualitate temperatum. eſt enim & calidum, quod foueat, & frigidum quod refrigeret, utrunq; autem uitæ animalium opitulatur. Contra immoderatum ac nimium deſtruit, uitalemq; fermentationē labefactat. Mercurij ſtellam alio tempore humectam, alio arefactam ac retorridam eſſe putant, retorridam quidem

propter ſolis propinquitatem, humectam uero propter orbis Lunaris conſinia, et quia concitatoris eſſet motus, eadem quoq; uelocitatem conatationemq; in ipſis qualitatibus alternandis, quamuis inter ſe contrarijs retinere. Mihi quidem difficile admodum uidetur, parumq; omnino nature conſentire quod illinc de propinquitate ſolis, hinc de Lunaris ſphæræ orbita contingat tanta diuerſitas aut aduerſitas potius atq; contrarietas, ut modo ſummum in modum ſiccus, modo humidus. Mercurius ſit habendus. Quo nam enim modo Lunaris orbis exhalata aſpergine humectabitur? ſi ſumma illa & ultima aëris plaſta, de qua ante etiam diximus æſtuofa tota eſt, & ſuffumigationum, uſtarumq; aſpirationum receptaculum ac tanquam cella promptuaria. Cuius rei fideliffimi teſtes ſunt comete. Atqui hac poſſimum ratione areſcere Mercurium magis ac magis neceſſe eſſet. Cõtendunt etiã de ſolis propinquitate hoc idem ei euenire. quod ſi eſt, utraq; de cauſa Mercuriales radij exareſcent. Qua igitur ratione et cauſa humeſcet? cum utraq; ex aſſinitate uehementius exuri, ac duabus quaſi fornacibus ſupra infraq; par ſit excoqui? An fortaffe ſtellæ huius corpus ſpongium eſt? (licuerit autem aliquantulum iocari) cum ſpõgiæ propria ſit ariditas, quæ tamen aquis admota ſtatim turgeſcit, mox expreſſa plurimum liquorem effundit. Quod ut dem, nihilominus oſtendi mihi uelim, qui ſit ſpõgiæ ipſius expreſſor? Nam Mercurius ſtellæ dominus, ut deorum nuntius deferendis ac reddendis literis aſſidue occupatus eſt. Quia uero quæcunq; in hac diſputatione traduntur ad ſolis calefactionem referri uidemus, placuit & qđ ipſi hac de re ſentiamus, & quid naturalis dicter ratio, aliquanto uberius explicare. non quod libenter aliorum, maximeq; ueterum ſcriptorum opiniones inſectemur. ſed ne ueritas in obſcuro relinquantur, quæ cæteris rebus omnibus optimo eſt cuiq; præferenda. Sequitur itaq; de Mercurio, & planetis alijs quæſtio.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
IOANNEM PARDVM DE RE
BVS COELESTIBVS.
LIBER TERTIVS.

INTER rerum naturæ indagatores liqui-
dissime quidem constat Ioannes Parde, quæ
cælo feruntur corpora, ea minime corrupti-
bilis concretionis esse, omnis item alternatio-
nis experta, corporeæq; conuersionis, nihil
etiam elementare, nihil elementaris conditio-
nis penitus in sese admittere, quinimmo cor-
poribus his elementaribus, ipsisq; elementis omnino imperare, il-
laq; pro arbitrio afficere, & in alias atq; alias qualitates formasq;
conuertere, inde etiam eorum quæ genita sunt interitum se qui, rerum
mox aliarum generationem aliam atq; aliam, Quibus ex alternatio-
nibus conuersionibusq; illud quoq; iure effici, ut inferiora hæc corru-
ptibilia & censeantur & sint, contra cælestia ipsa perpetua, semperq;
in se se consistentia, quippe quæ alterius cuiusdam, sibiq; ubiq; con-
stantis naturæ sint, atque essentiæ. Quam ob rem si corruptibilium
propria sunt corporum siccitas humilitasq; caliditas item atq; frigi-
ditas, si quod paulo ante calidum erat, occupatur mox à frigore,
& quod aridum ab humore. quibus ab immutationibus sequitur
tandem rerum interitus, Nimirum stellarum corpora nequaquam
hac afficientur atque alternabuntur uia. incorruptibilia siquidem
sunt, nullisq; eiusmodi immutationibus obnoxia. Nihil habet er-
go Sol quod in stellarum corporibus calefaciat. quomodo ergo stel-
larum calefactio manabit à Sole? quomodo ab euaporationibus
terrestribus illarum humectatio? Adhæc qualitates hæc generatio-
nis atq; corruptionis ministræ sunt, ac penè dixerim nutricula.
Nulla autem in cælo generatio, cum nulla illic sit corruptio.
Quo'circa ut nulla in cælo generatio, sic nullæ stellarum corpo-
ribus huiusmodi qualitates aut accidunt, aut insunt. Nec Sol igitur
illorum calefaciet corpora, nec illa de Solis calore concal-
scent. Quid quod, ut in his ipsis elementaribus uidemus corpori-
bus, Solis calor concipitur de radiorum eius reflexione, quæ qui-
dem ipsa

dem ipsa fit in aëre, ac per aërem. At in cælo nullus est
aër, nihil omnino aërium, quia nihil omnino in cælo corru-
ptibile, nullaq; ex alia in aliam qualitatem transitio. nulla igitur
illic de reflexione radiorum Solis calefactio. Falso igitur, ac sine ulla
nova naturali q; asseritur causa, Mercuriū de Solis propinquitate per-
arescere, quam quidem arefactionem contendunt de finitima Solis re-
gione proficisci. Quid illud, quàm inepte, quàm etiam desipienter?
stellæ qualitatem ab eius colore iudicari, ut Martis feruorem à colo-
re illorum illo, ac si qualis cernitur in aëre, talis omnino color insit eius
stellæ corpori, ac non potius rutilescat in aëre. cum unus idemq; etiã
color eandẽ semper qualitatem non indicet, ut in calce, niue, ossibusq;
iudicari potest, quæ quidem albo colore pariter sunt prædita, neq; ra-
dijs solares in occasu appareant, quales in ortu, quin etiam Martis, Ve-
neris, Iouis, Saturni colores uariantur, & dum per regionem feruntur,
quæ est ad ortum, & dũ per eam quæ uergit in occasum. Nam et
aër medius, & radiorum tum rectitudo, tum obliquitas, & eorum
aut maior aut minor à terris recessus, aduentus etiam ad nos ac di-
gressio à nobis, mutationes eiusmodi colorum ut afferant, necesse est.
Quo'circa syderis qualitas seu calida seu frigida non debet à colore
iudicari, nõ in ut color ipse sæpenumero propriã rei qualitatem nõ in-
dicet, sed quod psæpe et fallat. Adhæc eadem lex esse nõ debet nec esse
omnino potest in cælestibus elementaribusq; corporibus. Non minus
etiam inepte sentiunt qui calefacere Solem ex eo arbitrantur, quod me-
dius inter erraticas constitutus sit, ac si loca media calorẽ excitent, quia
medij ipsius natura hoc ferat. Quod si detur, terra, quæ totius mundi
medium tenet, esset omnium corporum calidissima. Accidunt autem
hec, quæ de calefactione dicuntur, in aëre & per aërem. Quamob-
rem cum in cælo nusquam sit aër, ne calor quidem illic excitabitur.
perinde ut nullus excitatur strepitus ex tot uagantium stellarum, cæ-
lestiumq; corporum orbulationibus. Quod si in cælo querimus ea
quæ ad oculos atq; ad aures pertinent, cur non etiam ea quæ ad na-
res: nam & de calido odores etiam efflantur. Adde quod nec, Sol me-
dium ita tenet inter erraticas locum, ut tantundem à Luna atq; à Sa-
turno distet. Quod si medium aliquod iuxta Mathematicam dimen-
sionem metiri uolunt, legant Aristotelẽ impugnantem in causis natu-
ralibus numeros, numerorumq; potestatem ac regulam. cuius senten-
tia cognita, satis scio, nihil eis quod cum ratione aduersus afferant,
relinquetur. Nulli igitur colores insunt syderibus, uerum fulgores ac
splendores potius, qui per aërem diffundentes se se, non uno quidem

modo afficiuntur, tum pro natura corporis è quo splendor exilit, tum etiam pro natura aëris ipsius, aëriæq; regionis, ac pro rectitudine, obliquitate ue radorum, quam ad rem non parum etiam sua illorum imbecillitas confert, è remotissimis atq; altissimis orbibus defluētium. Itaq; neq; Sol in orbe suo calidus est, nec ipse stellarum corpora in caelo calefaciendo afficit, uerum inferiora hæc corpora, quæ & a se, & ab illis mouentur, affecta q; in aliam atq; aliam qualitatem ac temperationem transeunt. Nam si stellas Sol calore suo afficeret, perinde ut corpora, quæ ex elementis constant, afficit, et cœlū quoq; ab illo calefieret, de cuius cœli cōcretiōe stellæ existunt. unde et hemispheriū hoc superius frigeret noctu, contra inferius concalesceret. quod nihil esset aliud, q̄ ut et cœlū & stellæ, & ipsarum stellarum orbis eadem illa paterentur, quæ elementa ipsa, resq; elementares patiuntur, nunquamq; in statu suo consisterent. nihil etiam prorsus existeret in rerum natura a corruptione atq; a morte tutum. Eadem profecto ratione nec Saturni frigida in cœlo stella, nec Martis ignea, nec Iouis ac Veneris temperata est, nec item Mercurij arida, Lunæ humida ac uaporoſa. Sed in elementis ipsis, elementaribusq; rebus, eiusmodi qualitates stellæ ipsæ mouendo, atq; afficiendo moderantur, quo rerum elementarium prouentus sequatur, alternatioq; qualitatum, è qua generatio existit atq; corruptio. Quid autem mirum, stellas a natura sic institutas ad agendum pro qualitate orbis atq; concretionis suæ? quædo quæ in terris, quæ in aquis, atq; aëre uitam ducunt, diuersa etiam ratione ad patiendum, recipiendâq; in se se illarum effectiones nata atq; instituta sunt. An non in nostro corpore pulmones, iecur, lienis, renes, cor, quorum ministerio & spiramus & uiuimus, diuersa ratione & mouentur & mouent? Absit igitur, cum de cœlestibus loquimur corporibus, quæcunq; iniuria. Quid enim ignominiosius dici, aut excogitari aduersus cœlum, diuinamq; stellarum maiestatem potest, quam ut corruptibilibus, et nūquam in statu suo consistentibus qualitibus prædita esse illa aut dicamus, aut existimemus? Iterum dicam, absit tanta hæc, tamq; nefaria cœlestibus sempiternisq; a corporibus iniuria, deq; illis ut de immortalibus æternisq; corporibus, inferioraq; hæc moderantibus pie recteq; & sentiamus, et prædicemus. Habeat igitur Sol & Luna inter stellas, singulæ item erraticæ singulis in qualitibus id iuris, authoritatisq; ad generandum, alendum, alternandumq; quod cor, quod cerebrum, in corporis animalitate (utur enim sepius inuſitato, sed fortasse non inconcinno uerbo) quod alia item membra, quæ dicuntur primaria, & ut hodie uocant, prim

cipalia. Atq; ut qualitates ipsæ plus minus' ue mixtæ inter se uarias in corporibus temperationes faciunt, unde tanta diuersitas affectionum prouenit, eadem ratione stellarum radij mixti inter sese, atq; in unū conuenientes misceant, temperentq; uires atq; actiones suas, quæ è re prouentus multiplex, ac tantopere uariis existat in elementis, atque ex elementis, itemq; corporibus, ex eorum commixtiōe conflatis. Arbitrantur etiam Mercurij stellam maxime uentosam propter continuam motus sui seriem, quippe cum nunquam consistat, sed in assidua semper agitatione uersetur. Omnes enim erraticæ & cum regredi, rursusq; cum progredi incipiunt, dicuntur gradum sistere, compluribusq; diebus eodem in momento stare, quæ è re singulæ erraticæ binas dicuntur stationes facere. Solum autem Mercurium uolunt etiã in stationibus constitutum, nunquam adeo pedem sistere, ut non diebus etiam singulis, aliquot quamuis tamen paucis breuis circuli sui partes emetatur. adeo stella eius concitata est, assiduôq; semper motu gaudet. Ex hac igitur concitatione, perpetuaq; motus agitatione, cum etiam a Sole tanquam turbo quidam uoluetetur, raptatusq; uersetur, uentos excitare contendunt, usi ea comparatione, quæ similis admodum uideretur. Siquis enim flagello quamuis tenui aërem uehementius uerberet, flabrum profecto licet tamen tenuis excitabit, cum eiusmodi uerbationes sibilum saltem aliquem necesse sit excitent, quæ de causa Mercurium uentos semper gignere, quoniam semper mouetur, existimant, cum ceteri planetae in stationibus uideantur quandoq; conuiescere, ac Sol ipse propinquus, semper & moueat & calefiat. Hi mihi quidem uidentur aliquid dicere, nequaquam tamen exacte, atq; ad appendiculum omnia, siquidem ut leuissimarum etiã frigidum tenuissima commotio flabrum cieat, flabrum tamen ipsum, seu quædam quasi subobscura sibilatio ex aëris impulsione fit, quæ Græce est *πῆλός*. Cum autem in cœlo nullus sit aër, uentusq; sit aëris quædam impulsio, seu redundantis aspirationis commotio, quo nam modo Mercurius aut stationarius, aut incedens uentum excitet, motu sui corporis aëre impulsio, non uideo. Alia igitur ratio quærenda est, quæ ab illis quidem quæ paulo ante dicta sunt, originem ducit. Nam quæ dicuntur de Sole calefaciente, eodemq; circum raptante, ea sunt eiusmodi, ut astrum astro uim inferre credant, parum omnino uidentes ex illata ui corruptionem sequi necesse esse. Quo circa dicendum ac tenendum prorsus est, Mercurij stellam radijs suis, hoc est ab insita ui excitare aspirationes, simul illas scilicet, et tanquam fuliginosas, è quibus uenti existunt, ut

qui aridas exustasq; terræ fumigationes per aërem perlatas magis ac magis moueat atq; afficiat, quarum ex agitatione uenti gignantur. Quam ad rem plurimum etiam solaris uis confert, dū radijs suis Mercurij radios fouet, illisq; adnunciat, ad hauriendas subducendasq; è terris effumationes, quæ post per aërem exagitatae impelluntur, eademq; impellunt.

Quoniam autem in stellarum stationes, earumq; mentionem differendo incidimus, rei huius explanationem non minus libenter quam necessario exequemur. Quod erraticæ igitur moueantur, & certis atq; dinumeratis temporibus cursus suos peragunt, non solū ex dimensione constat ac numeris, uerum oculis quoq; cernitur. Mouentur certe non modo per spatiosam illam longitudinem signorum duodecim, ad ortum ab occasu, qui suus ac proprius erraticarum est motus, uerum etiam per certam atq; unicuiq; perscriptam latitudinem, quæ hinc in boream protenditur, illinc ad meridiem. hæc tamen ipsa latitudo à media Solis linea, per signiferum non una est planetarum omnium, uerum aliorum alia. Mouentur autem orbiculariter, nam & earum sphaeræ orbiculatae sunt, & corpora ipsarum orbiculata. Vbi uero tres superiores à Sole ita recesserint, ut inter ipsas & Solem quatuor interiaceat signa, hoc est caeli partes centum uiginti, paulo plus minusue, retro pedem referre incipiunt. Ante tamen quam earum apparere repeditio incipiat, ac si nullo pacto moueantur, compluribus diebus uidentur consistere, ac nullo modo progredi, eamq; quæ prima dicitur, stationem facere, tamen si nunquam adeo consistunt, ut non aliquatulum moueantur. Græci statum hunc uocant *σπιρμὸν*, ac dehinc continuo cursu repeditionis ac regressus, quam nunc retrogradationem libentius pleriq; uocant, antequam recto progrediantur itinere, iterum consistunt, secundamq; stationem faciunt. Quo interim tempore tantum caeli Sol dimensus est, ut quatuor item signis, hoc est centum uiginti partibus, quod ante de prima statione dictum est, ab illis absit. Pleriq; autem ueterum auctorum arbitrati sunt planetarum omnium regressum Sole ab ipso causam ducere, quod ubi planeta quos diximus, uel uenus item ac Mercurius certum ac decretum sibi spatium à Sole digressi essent, tanquam ab instituto itinere reuocati, retro ab illius radijs retraherentur, famulari quodam officio Soli addicti. Ego uero Solem ipsum inter stellas principem, ut sic loquar, esse duco, proprii luminis maiestate, tamen ut qui tyrannidem inter stellas exercere illum minime putem. Neq; enim hamatis Sol radijs uittur, ut tanquam

ut tanquam unco atq; harpagone tractos à solito naturaliq; distrahatur illos munere, cogatq; ueluti captiuos uictoris ipsius catenas sequi. Num fortasse magnetino Sol præditus est corpore; erraticæ autem ferreo? Nam qui hæc opinantur colorem suum erraticæ cuiq; attribuant. At qui nec Saturnus, nec Iupiter, nec Mars, nec planetarum quispiam ferreo est colore, multo Sol minus magnetino, qui ne exustione quidem illa Aethiopia, cum quam rectissimus flagrantissimisque uittur radijs, uel semiuincem lapillum è terra subleuare in aëra sursum potest. Num raptabit calore suo, qui in caelo nullus est, retroq; ad se trahet, ingentissima illa corpora? ac si obsessa externo frigore, post Solari irradiatione delinita, blandissimo illo tepore capiatur, captaq; proprii muneris sic obliuiscantur, ut, quod ebrijs accidit, suam nequaquam sint iuris. At qui sponte sua mouentur quadrupedando testudines, rependo serpentes, natando ac lubricando pisces, aues uolitando, pedes alternatim protendendo homines, quadrupedatim pedes, atq; ubi progressæ sunt, suo arbitrio regrediuntur, ac pedem sistunt. Videmus aues nunc sursum, nunc contra deorsum, mox ad dextram, sinistram uel uolatum facere, pisces item natatum, non raro etiam illas in aëre, hos in aquis sydere, sic enim à natura instituti sunt. Quid mirum igitur si erraticarum corpora per orbis suos peculiari motu, sibiq; insito mouentur, cursusq; suos nunc procedendo, nunc recedendo peragunt? interim etiam ita gressum retardando, ut oculis intuentium uideantur sydere, unius cuiusq; proprii cursus cum sit hæc natura. Nam si ab occasu mouentur in ortum, nulla tamen caelo ui illata, quod quædam caelum ab ortu fertur in occasum, ac nihilominus & caelum illis, & illæ caelo aduersis incedunt motibus, nulla Solari calefactione tracta, cur non naturali insitoq; sibi motu stelle quæ ex hoc dictæ sunt errantes, & procedant, et retrocedant, & stationes faciāt, nulla à Sole ui illata? nullis externis uiribus illas cogentibus? Est enim alia caeli, quæque illius essentiæ natura, alia aëris, reliquorumq; elementorum. Sit igitur motus hic earum uel incedentium uel repeditantium non uolentus, sed naturalis, non coactus, sed suus et proprius, incedantq; pro arbitrio ac uel cuiq; insita, non trahantur ut captiui, alienoq; addicti imperio, sed numeros atq; ordinem sequantur sua sponte, naturali suoq; nunquam ab officio recedentes. Neq; enim alia ratione sempiternæ illæ res sempiternitate sua fruere uentur. Quod si mortalia hæc ordinem suum, quicquid mortalitatis proprius est tenorem seruant, generando atq; corrumpendo, uimq; continua alternatione sibi inuicem inferendo, cur non etiā immortalia illa pro natura immortalitatis ordinem

sui, suosque numeros sequentia, ubique illi seruet, nulla externa vi, nulla forinsecus necessitate adducta? Quandoquidem in nostro quoque corpore vis inest illa, qua et ipsum totum et membra eius singula moventur et gubernantur. Etenim ubi loquendum est, statim os se ipsum nullis externis adminiculis adhibitis aptat instruitque ad eloquendi officium. Sed omittamus praestantiora quae sunt corporis officia, ut oculorum, ut aurium, Patet uia gulae qua abus ac potus ad uentriculum defertur, spiritus autem, ac uocis meatus hoc est guttur tanquam foribus quibusdam clauditur. Quoties itaque cibus potioque hauritur, canaliculus ille seu potius ductus qui uiam spiritui ac uoci facit, clauditur, at contra lingua ipsa se se attolente aperitur, quoties spirandum ac loquendum fuerit. Vesica quoque, ubi emittendum urinae quid fuerit, se se aperit ac relaxat, qua emissam confestim se se claudit, quasi foribus seram obdat, nulla hic exterior adhibetur vis, sed ea tantum qua corpori a natura est insita, qua corpus ipsum suis cum partibus at actiones singulas singulaque ministeria, ubi opus est a se met, suaque sponte afficitur, ultroque ad illa affectum mouetur. Neque enim de actionibus affectibusque caelestibus perinde ut de nostris sentiendum est, quippe cum caelestia ipsa corpora nullius externae opis indigeant, nullis egeant adminiculis, perfecta quidem per se, suisque uiribus integra. Quod circa non aliter mea quidem sententia tenendum ac sentiendum est, quod ut caelestia illa corpora motus suos suasque orbiculationes sponte utique sua, peculiarique potestate exercent, nullis externis uiribus adiuta, nulla Solis calefactione retro ad eum tracta, sed sola prorsus natura ministrante. Miris tamen laudibus prosequendi mihi uidentur, qui etiam $\epsilon\pi\eta\mu\kappa\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ (sic enim Graece uocatur) commeti sunt. Quo enim haberent ubi intellectus beneficio sensus conuiesceret, oculis quoque exposuerunt minusculos illos circulos, quibus corpora planetarum imposita, antorsum, retrorsumque, sursum ac deorsum orbiculatim ferretur, motus cuiusque dimensione seruata. Quid autem in disciplinis utilius, quid ad docendum accommodatius? quam ut sensus uires praesidiumque intellectui sumministrarent? et quod intellectus contemplando assequitur, ut oculis quoque uidentum exponatur? Quae admodum in horologijs, astrologisque machinulis ac tabellis usuenit, ut diuina haec potius quam humana sint inuenta indicanda. Verum ut existimemus stellas ipsas impositas circulis, ac tanquam curriculis quibusdam suis uehi, omnino est absurdissimum. Primum circulos illos quis mouet? qui si moueatur suapte natura, cur non stellarum quoque corpora sua etiam ui naturaque sic moueatur? quid enim opus exterioribus uiribus, ubi propriae uires su-

is sunt? Deinde corpora stellarum ipsa oculis cernuntur, quoniam e concretionem orbis sui constant. quod si quod delatum est, cernitur, quoniam e concretionem constat, circulos quoque qui deferunt, e concretionem constare par est, concretosque oculis se se uidentes offerre. non cernuntur autem quoniam re ipsa nulli sunt, sed cogitatione tantum concipiuntur, docendi atque comprehendi gratia. Etenim tot lineae intersectionesque linearum re ipsa in caelo quidem nullae sunt, uerum docendi ac demonstrandi gratia solertissimi uiri cometi eas fuerunt, quoniam uix ratione alia disciplina caelestis, caelestiumque progressionum cognitio iradi posset. Quid quod animalium se se mouentium nullum externo instrumento, sed tantummodo proprio sibique naturaliter indito mouetur? In sunt enim uolucris, pisces, hominibus, pecori sua cuique instrumenta. nullum denique animal externo alienoque instrumento, sed proprio sibique a natura indito ad se se mouendum utitur, motu scilicet eo, qui suus cuique ac naturalis est. Multo autem minus quam animalium horum corpora, externis adminiculis indigent caelestia, quibus qui dem neque iumentis, neque uehiculis opus est ad euagandum. Itaque et circuli et epicycli cum toto hoc genere habendi sunt imaginarij, non autem ut qui re ipsa sint in caelo, sed inuenti prorsus atque excogitati ad motus demonstrandos, eosdemque ipsos etiam oculis exponendos. Augures dum auium uolatus captant, aerem omnem lineis partuntur, eumque in regiones, suis quamque cum finibus diuidunt, anticam, posticam, dextram, sinistramque. Qui terrarum spatium metuntur, lineas etiam ab ortu ad occasum inter partes ipsas et ea quae dicuntur climata, quod in septentrionem ascendant, producant, uentorum quoque regiones lineis distinguunt. nulla tamen in terris lineae, nullae in aere, multo minus in orbibus sunt caelestibus. Ostendat mihi uelim quantumuis acutis utatur oculis quae uera illa existimat stellarum obseruator, ubi linea, quae Arietem distinguit a Piscibus, quae gradum a gradu, decuriam a decuria, quae latitudinem Zodiaci a meridie septentrionem uersus, quae obliquitatem eiusdem a Capricorno in Cancrum designat? Intueor ego stellas, contemplor earum motum. Lineas omnino nullas perspicio, nullas orbium distinctiones, aut circularum curuaturas, quandoquidem nullae sunt, neque illis stellae indigent, quippe quae sese ipsae moueant, nullis externis adminiculis adiutae, uel deferentium circularum, uel uolantium rotarum. Pictores etiam inertes lineas suas colore notant, quo distinctio ipsa appareat, Inertissima ergo, ac sibi ipsi maxime auara fuit natura, quae nullo prorsus colore, tanquam ei rubrica nulla esset, tot lineas, circulosque tam saepe sese intersecantes

distinxerit, distinctasq; notauerit. Sicut hæc igitur ad docendum demonstrandumq; diuina quadam uirtute comperta, credamusq; ita quædem sese habere, donec oculis etiam ducibus in tabella, quæ de stellarum motibus scrutamur perdiscimus, numerisq; ac dimensionibus comprehensa tenemus. Vbi uero mens abunde exacteq; illis imbuta fuerit, notioq; inhererit animis, re ipsa lineas circulosq; ab astronomis designatos multo minus in cælo esse, quam haruspicum in aëre iudicemus. Nam imaginarios eos esse illud plane docet, quod quæ oculis non cernuntur in cælo collocata corpora, ea nusquam sunt. Si quidem ea sunt, aut lucida aut opaca, si lucida uidentur per se, sin opaca, clarescunt in luce, quod probatur in corpore Lunari. Etenim circuli epicycliq; si ex opacis constarent corporibus, perinde ut Luna corpus, illustrarentur a Sole, aut ab eo sydere, quod epicyclo ipsi putatur insidere, aut etiam ab utroq; nam lucida ea nequaquam esse oblitus ipse noster indicat. corpus autem in cælo constitutum, quod sit tertij generis, nullum est dare, sicuti præter diem ac noctem, tempus aliud nullum, nec præter cælum elementaq; tertij generis est aliud, quod quidem corporeum sit.

¶ Sed iam ad erraticarum qualitates redeamus, quæ licet nullæ illis insint, tales tamen esse illas dicimus, quales in corporibus inferioribus ac passiuis humores excitant, excitatosq; moderantur. Opinantur autem ut in Luna, sic in quinque erraticis usuenire, ut ea matutine, hoc hoc est postquam à Solis coniunctione digressæ apparere iam incipiunt, in humectationem magis inclinent, quousq; confecto itineris quodam quasi triente, consistere iam putantur, inde calfacere arbitrantur, donec uespertinæ repedando effectæ sunt. Ex hoc uero tempore, quousq; iterum consistant arefacere, frigus inde inducere, donec rursus cum Sole coeant. Quod enim in annuo Solis circuitu contingit, ut principio humectet, quæ è re uer humidius prouenit, inde calfaciat, quo fit ut æstas sit ardentior, deinde siccet, quæ res autumnum sicciorum efficit, deinceps frigus inducat, unde hyems frigidior reddatur, idem quoq; in planetæ cuiusq; epicyclaris cursus conuersione contingere putauerunt. Nam et elementorum conuersiones eiusmodi sunt, et animalium ipsorum ætates hanc eandem seriem progrediendo retinent. Dictæ autem sunt matutine, quod mane ante Solis exortum postquam à coniunctione eius recesserint, in ea orientur cæli regione, quæ est ad Solis ortum. Quod ut manifestus fiat, exemplum statim subiiciam. Sit Saturni Solisq; coniunctio in primo Canceri gradu, ex hac coniunctione compluribus diebus Saturnus Sola-

ribus radijs occultetur, a quibus ubi sese explicauerit, matutinum facere exortum, quod ante Solem orientem mane appareat, dicitur. Vbi uero ad Leonem Sol transierit, antelucano Saturnus tempore, hoc est duabus ante Solem horis, plus minusue radios ab oriente cæli parte suos exercet. At postquam ad Virginem Sol transierit, nunc quatuor, nunc quinque ante Solem horis, aut etiam amplius intempesta nocte Saturnus sese ab exortu ostentabit. Tandem ubi Libram Sol ingressus fuerit, eamq; peruagabitur, ad mediã noctem Saturni ortus differetur, siquidem Cancro ex oriente Libra inuicem cæli cardinem obtinet, in qua Sole tanquam demerso, media nocte ut sit necesse est. Ex eo tempore, quoniam confecto itineris recti spatium repeditio incipit, sistit Saturnus gradum, aliquot diebus, perinde ac si dat, sic Iupiter, sic Mars eadem qua Saturnus ratione, pro cursu tamen uterq; suo, ac tam diu retro graditur, quam diu Sol Scorpium, Sagittarium, Capricornumq; permensus, Aquarium iam perambulat, id est alterum Zodiaci orientem progrediendo conficit, tunc enim iterum sistit gradum seq; à repedatione ad rectam progressionem dirigens iter instaurat, donec confecto signiferi triente tertio (non minus enim libenter trientem, quam triangulum uocamus) Sol ipse iterum post annum suum cursum cum Saturno coniungitur. Locuti autem sumus de Saturno, Ioue et Marte, quoniam Venus ac Mercurius cum Sole ab opposito, quadrangulo, triangulo aut sexagulari loco nunquam configuratur, sed sola tantum coniunctione, quæ corporalis dicitur, cum eo familiaritatem inuenit. Quandoquidem neq; Mercurius triginta, neq; Venus sexaginta gradibus plenis, quin etiam aliquot subductis a Sole longius recedunt. In media uero repedatione, cum Sol ad Capricornum peruenit, ipso Sole occidente, ac sub terras delato, Saturnus uesperis ab opposita hoc è oriente cæli regione exoritur, utq; sex ante mensibus, quod mane oriebatur, a tempore ipso uocatus è matutinus, sic post uesperitinus, quandoquidem post Solem occasum apparere iam incipit, noctuq; hemispherio hoc superiori uidentus defertur. Constituerunt autem ut Lunæ cursus, sic etiam erraticæ cuiusq; ætates omnino quatuor, primam quæ magis ac magis humectaret, secundam, quæ calefaceret, tertiam quæ exiccaret, quartam, quæ maiore in modum frigus induceret, secuti anni ipsius ex alia in aliam qualitatem transitionem, in hoc etiam consentientes, ut commixtæ inter se et addant et demant plus minusue pro natura commixtionis. Quantum autem mixtura ipsa qualitatum tum ad augendum, tum ad minuendum ualeat, cum primis media docent, quorum proprium uidetur officium in adhibendis

remedijs miscere ac temperare. Ex hac profecto commixtione unius atq; alterius, itemq; complurium inter se planetarum contingunt in corporibus inferioribus tam multa illa ac diuersa, quae partim quidem cernuntur oculis, partim ingenio assequimur, ipsiq; ex effectibus, quorum prorsus omnium causae ad configurationes ipsas erraticarum referendae sunt. Statuerunt itaq; primam erraticae cuiusq; aetatem ab exortu matutino, quem Graeci dicunt ἠώωρ, ad primam usq; stationem. Ab hac ipsa statione aetatem secundam, usq; ad ἀπόβυτον hoc est dum de nocte iam media Saturnus (ne ab exemplo quod posuimus, recedamus) ortum ab ascendente caeli regione facit, quod contingit Sole Libram in gressu, tunc etenim surgente Saturno, media hoc est profunda nox, quod Graeci dicto indicat, existit, Sole in umbo caeli cardinem iam tenente. Ab Acronycto id est ab ipso exortu, quem nocte media facere primum incipit, ad secundam usq; stationem, tertiam planetae aetatem esse uolunt. Quartam eamq; ultimam, quam diu erratica ipsa ab initio secundae huius stationis ad Solem regressa ei coniungitur, cuius etiam radijs oppressa delitescit, moxq; ab illius subadiatione liberata, mane exoritur, de nouoq; efficitur matutina. Has igitur erraticarum quinque perinde ut Lunae Solarisq; anni aetates quatuor, prisca rerum coelestium scriptores statuerunt, in quibus stellae singulae utiq; quas diximus qualitates uehementius excitant, pro aliarum tamen stellarum mixtura plus minusue, non tamen ut a se ipsis suaq; natura omnino discedant. Dicimus autem mouere qualitates, easq; afficere libentius quam elementa, quod hoc idem magis sibi placere Aristoteles ostendit, cum ait, E' triplici compositione primam quidem constitui e primordijs is quae a nonnullis uocentur elementa, quaeq; ipse dicit terram, aquam, aërem, ignem, sed rectius fortasse dici posse ex elementorum uirtutibus. appellat enim uirtutes frigiditatem, caliditatem, humiditatem, siccitatem, quae materia corporum sunt compositorum, quas postea differentiae sequantur aliae, ut grauitas, leuitas, densitas, raritas, quaeq; alia sunt generis eiusdem. Videre etiam oportet in quam caeli partem a media signiferi linea erraticae magis uergant in austrum ne an in septentrionem? Praeter Solem enim caeteri omnes planetae ab ipsa linea deerrando spatio quodam suo declinant, & alius quidem magis alius uero minus. Fit igitur ex hac digressionem per signiferi latitudinem ab eius medio, ut alias meridianales austrinae q; alias septentrionales boreales q; dicantur stellae, quae re uires cuiusq; erraticae, in quam uergit partem, magis intenduntur propter radiorum propinquitatem ac rectitudinem. quod cum primis

Mathematico in enuntiationibus caeli decretis obseruandum uidetur. Declinare autem eas nunc in austrum, nunc assurgere in septentrionem, atq; alias magis, alias minus non solum numerorum collectione, motusq; dimensione constat, uerum etiam oculis ipsis cernitur. Quid enim euidentius, quam quotidianus Lunae discursus? cum hoc mense uideamus eam nunc Iouis, nunc Saturni, nunc Martis sociari aut ueneris corpori, in eodem etiam latitudinis gradu. Siquidem non nunquam accidit erraticae corpus inter Lunae cornua comprehensum uideri, in sequenti uero mense compluribus gradibus per latitudinem ab illo distare, cum per longitudinem eodem in gradu corpore letur. Quae res manifestissime indicat erraticarum corpora, ut non nulli contendunt, caelo ipsi infixa nequaquam esse, si enim caelo infixa, ab eodem ferrentur, eandem semper latitudinem retinerent, quam minime retineri, utiq; multa docent. Primum enim in coniunctionibus corporalibus non semper sub eadem latitudinis coniunguntur linea, quaeq; stella priore in coniunctione fuerat australior, eadem in posteriore reperitur in boream ascendere, rursus in alia atq; alia, sic deinceps copulatur, ut corpora ipsa uideantur sese penè contingere, atq; in unum coire. Deinde ut de Luna, cuius cursus est maxime per spectus, expressius loquar, in menstruis eius cum Sole coitionibus aut semper Solis deliquium fieret, atq; ut Graeco utar uerbo, κλειψις, aut omnino nunquam. Rursus quoties Soli opponitur, aut eius defectus nunquam contingeret, aut in singulis quibusq; oppositionibus deliquesceret. Vtrumq; autem falsum est, quando utriusq; contrarium uidemus contingere, idq; ob Lunae peruagationem euenit per signiferi latitudinem, quae quidem latitudo in eius menstruo cursu eadem semper esset, si caelo infixa cum illo & ab illo tantum moueretur, perinde ut cum nauis & a nauis mouetur ea, quae nauis ipsius tabulatis affixa sunt, quoniam potius Luna caeteraq; erraticae sic mouentur, ut uectores, ut nauis, q; & cum nauis longius procedendo iter suum consciant, & per ea a dextro in sinistruum latus, rursusq; a sinistro in dextrum oblique discursantes officium suum peragunt. Nam ut orbibus affixa sint suis, ab illisq; ut rapiantur, hoc idem est dicere, quod paulo ante de epiciclis dictum est. Cur enim ab orbibus suis potius quam a se ipsis ferantur, ratio nulla est, cum multo sint perfectiora, quam nostra haec corpora, nec ad mouendum exterioribus indigeant adminiculis, quibus ne corpora quidem nostra licet mortalia, minusq; perfecta indigent. Nisi fortasse ut infantulis instrumenta quaedam natura parauerit, quibus se se ad incendendum instruerent, ac nihilominus tempus quoddam ipsis constitutum est, quo decurso, infantes ipsi

reiectis instrumentis sponte sua ac per se huc illuc eunt et redeunt. Nisi maluerimus coelestium illorum corporum primam infantiam aeternam esse, quae in nobis brevissima quidem est, per suamque uelimus exterioribus instrumentis, quae re ipsa nulla omnino sunt ea perpetuo indigere, usque uti, dum differendi studio, atque arguiis hoc ipsum per tendimus. Sint itaque orbis ipsi imaginarij, quando coeli moles continua tota est, et ad docendum, ipsisque oculis exponendum representandumque stellarum motum diuina quadam inuentione comperti, quo intellectus habeat sensibile aliquid, in quo ab initio perscrutationis suae coquiescat, ex eoque paulatim progressus abiecta tandem imaginaria orbium configuratione, numeris, numerorumque rationibus assequatur quod suum est. Dedit natura ab ipso initio animatis omnibus corpora pro constitutione et habitu cuique aptissima. Habent homines, habent iumenta, ferae, alites, pisces, reptantia commotionibus suis apta concinnataque corpora, ex toto atque etiam e partibus, Cur non et coelestia? quaedam orbiculata sunt, quod necesse nequaquam fuisset, nisi ipsa et a se orbiculata mouerentur. Quod si caelo ipsi, aut orbibus quaeque suis infixa sunt, superuacaneum, ac perquam ineptum fuit, ea ex omni parte orbiculata constitui. At nihil omnino inepte, nihil frustra natura statuit, cum appositissime singulis quoque consuluerit. Quocirca nequaquam illa superiore a parte quod oculis cernimus, in orbem conformasset, quin potius aut acuisset ea, ut tanquam aculeata, orbibusque infixa penderent, perinde ut in cubiculorum laquearibus, caelatisque testudinibus uidemus, aut complanasset utique, complanataque commissuris perpolitus caelo ipsi aut raptantibus illa circulus glutinasset. At non a superiore, uerum ab inferiore sui parte orbibus infixa sunt, quod si est, cur non pars haec, imaque ipsa curuatura, uel pote alij corpori infixa latet? quod secus quidem esse aspectu constat, cum rotunditas ipsa corporum tota, omniisque a parte circum appareat. Ex his igitur, aliisque quae supra dicta sunt, efficitur, ut neque caelo, orbibus uel suffixa sint erraticarum corpora, et euagari per signiferi latitudinem plane constet, ut alias magis, alias minus eadem ipsa aut in austrum procumbant, aut in aquilonem subleuentur. Quid quod si quis diligenter obseruet e planetis quemuis unum quouis etiam in signo, et in quacumque eius latitudine collocatum, qui scilicet hoc anno calendis Martijs nocturno tempore aut oriatur aut occidat, annisque item subsequenter, ubi idem ipse planeta ad idem illud signum ac signi gradum reuerterit, in pluribus profecto eius reuersionibus uix hoc continget, ut in eadem illa signi latitudine per partes easdem oriatur aut occidat, quod singulis qui-

dem mensibus in Lunae peragracionibus subinde, ut dictum est, cernitur. Adhaec significationes ipsae planetarum, propriaeque effectiois effatae, eadem ubique semper essent, tam in locis austrum uersus, quam in aquilonem proclinantibus. Quod secus euenit, propter maiorem ipsorum propinquitatem in alterutram mundi declinationem, quorum, ut dictum est, fieri nihil omnino uideremus, si caelum et ipsi illi orbis tantopere celebrati quasi clauo quodam in una certaque sui parte fixa secum traherent, ac tanquam raptarent errantium stellarum corpora. Aristoteles diuino uir ingenio huius siue sententiae, siue opinionis uel auctor quidem fuit, uel patrocinator. Nec uero nos igitur sumus, qui ad uersus acutissimum et solertissimum naturae rerum indagatorem uideri uelimus haec scripsisse. Caeterum dum illae ad se, naturalisque philosophiae cognitionem trahere uult omnia, ab ipsis longissime dissentit quae post a Mathematicis inuenta sunt et tradita, quaeque multo aliter quam ipse sentiat, habere sese ratione comprehensa obseruationeque etiam ipsa comprobantur. Vt cumque tamen haec ipsa quae uerendi studio magis quam quod ita prorsus sentiamus a nobis traduntur, nec tam ea affirmamus, quam posteros adhortamur ad ea ipsa melius ac diligentius perquirenda. Latet causa lactei anguli, atque ita quidem latet, ut quae de eo traduntur, inania quaedam fabulosaque magis quam physica uideantur. Quid mirum latere etiam partem hanc coelestis philosophiae, quasi nostra haec ipsa mens assequi possit quaequam in rerum sint natura, et quo quidque fiat modo, ac geratur ordine. Est etiam antiquae ac penes dixerim confirmatae sententiae inter coelestium significationum exploratores erraticas stellas inuicem se aspiciere et contueri, ubi quantum inter ipsarum domicilia interiacet spatij, tantumdem inter ipsarum corpora interiectum fuerit interualli, Graece hoc aspiciendi ac inter se distandi genus est ἰστροποικωτέρω quod barbare est Almuega, Latine non improprie dicitur contueri. Idque tale est, atque ut de Venere exemplum tradam, constituo eam in Tauro, Lunam in Cancro, Solem in Piscibus, namque contutus hic inter erraticas luminariaque esse dicitur. Hac in constitutione Venus est cum Sole uerspertina, contra cum Luna matutina, abestque utroque a luminari, quantum Taurus propria domus a Cancro Lunae domo, quantum etiam Libra propria item domus a Leone Solis domicilio. Hicque contutus inter Solem et Venerem, item Lunam, sex angularem habere uim creditus est ab antiquis. Mihi quidem uidetur aspectus hic non a domorum interapedine, uerum a sextante circuli, sex angulaque signorum ipsorum radiatione iudicandus. Etenim Pisces Taurum, Taurus item Cancrum

sexangulariter aspiciat. Quo circa Venus Solem è Tauro in Piscibus constitutum quo potest optutu, eoq; non integro, sexangulariter tamen intuetur. Quod Mercurio contingere neutiq; potest, quippe cum abesse à Sole sexangulariter nequeat. Qua igitur ratione, si cum Sole Mercurius sexangularis esse nullo modo potest, sexangularem cum illo inire familiaritatem poterit? quam quidem sexangularem familiaritatem inibit, cum Lunam in Cancro positam, de Tauro intuebitur, non quod ab ea tantum distet, quantum est inter Virginem, suam ipsius domum & Cancrum distantiae, sed quia sexangularibus è signis sexangulariter se se aspiciunt. Abest à Leone Taurus coeli quadrantem, aspectus hic quadrangularis est. Nunquam autem potest Venus à Sole quadrangulariter abesse, nunquam igitur inter utruq; quadrangularis aspectus intercedet. nis atq; conciliatio. Quo circa anile hoc totum est, ut & alia quidem multa, frustra q; de domorum distantia observandum in Veneris ac Mercurij significationibus praecipitur. Venianus iam ad Solis ac Saturni domos, ac domorum distantias. Abest Aquarius Saturni domus à Leone Solis domo diametro intervallo. Quoties autem Sol ac Saturnus in signis constituentur diametris, erunt ipsi inter se diametri, non propter domorum propriarum interapedinem, sed quia signa ipsa in quibus collocantur, inuicem sunt diametra. Sagittarius Iouis domus à Leone distat triangulari interapedine, eodem spatio Aries domicilium Martis. Quoties autem Iupiter & Mars tantundem à Sole aberunt, aspicient illum triangula irradiatione, non domiciliorum distantiae gratia, sed signorum aspiciet etiam Mars Solem quadrangulariter, quando cunq; ab illo tantum aberit, quantum abest à Leone Scorpius ea, scilicet de causa, qd è quadrangulo seipsos intuentur. Quam ob rem quid ineptius quam existimare hoc ipsum contingere propter domorum distantiae consimilitudinem? Sunt à Leone octauum signum Pisces, Capricornus est sextum, haec inter se signorum distantia nullum parit aspectum, nullam gignit benevolentiam. Quadocunq; igitur Saturnus ac Iupiter à Sole tantundem aberunt, quam rogo benevolentiam quae nulla mutuo ex aspectu inter se signorum est, quam inquam conciliare familiaritatem poterunt? Itaq; anilia mihi quidem haec uidentur omnia. Quae autem ratio de Solis ac planetarum domiciliis, earumq; inter se intervallis tradita est à nobis, eadem de Lunae domiciliis, domiciliorumq; interstitijs inter se ac planetarum domicilia si tradatur, eadem profecto observationis huius uanitas inuenietur. Multa quoq; Astrologi ueteres à regum ac magistratum gubernaculis ad

stellas transtulere, ut cum dicunt erraticas ipsas in thronis suis, & tanquam regia in sella perinde ut reges consules uel publice ius dicere, unde Ptolemæus ait stellas in suis quidem fulgoribus ac thronis constitutas tum dici, cum in quibus reperiuntur signis ac locis duas saltem in eundem cum eis familiaritatis causas, de quibus ante dictum est, nocte fuerint, quod propter consimilis cognataeq; signorum qualitatis affinitatem, magnum inde sibi fauorem atq; adiumentum uendicent, magnaq; ex hac conuenientia, et quodam quasi animorum consensu fiat earum potestati ac iurisdictioni accessio, ut uideri iure possint tanquam in solio sedentes ius mortalibus dicere, ac maiore cum auctoritate potestatem in populis exercere. Id autem est eiusmodi, Iupiter inuentus in Geminis, in finibus suis, undecimo in loco, diurno etiam tempore, & à loco in quo latatur, & à qualitate signi humecta & calida, & à conditione, est enim masculinum, atq; ex eo diurnum, mirificam ex hac ipsa conuenientia effectioibus suis adiumentum affert, cum non mediocri etiam à potestate finium fiat accessio.

De parte fortunæ.

In loco autem ac parte fortunæ plurimum etiam auctoritatis uno omnes ore Astrologi repositum esse consentiunt. Cuius tamen rei ratio cum non extet ab illis tradita, uidetur à nobis qui non tam facile dictis illorum acquiescimus, diligentius perquirenda, cum ex tanta credulitate id deniq; effectum sit, ut peruagata ferè habeantur & uana, quae de coeli significationibus id est Astrologorum praedictis hodie feruntur in publicum. Quo circa uisum est, debere hoc ipsum à me queri, cur disciplinae huius constitutoribus placitum sit, inter alia non nulla, quadam quasi sanctitate observanda praecipere ea, quae de fortunæ parte hac traduntur, à qua quidem parte & loco potissimam ac maximam eorum quae in uita eueniunt portionem arbitrati sunt defluere. Itaq; ut se se habent in generatione materia et forma, rerum principia, ut genus quod è mare constat et foemina, ut tempus, in quo nihil non à natura efficitur, idq; è die ac nocte constituitur, sic sese habent Sol & Luna, ut generationis ipsius authores & penè dixerim parentes, ut primæ quoq; ac potissimæ generationis & uitæ causæ. Praestruit enim Luna apta q; materia, Sol autem inducit formam, hic diurnum moderatur tempus, illa nocturnum, Luna corpori praestat alimentum, Sol animalitatem conseruat, nihil ille negligit eorum quae spiritui ac sensibus, quaeq; animato conferant corpori, nihil haec eorum quae ipsi accidunt homini, ut uterq; simul Sol ac Luna tum corporis sensuumq; id est ani-

malitatis, ac hominis deniq; ipsius, tum accidentium atq; euentorum, quæ in uita eius tam multa contingunt, tum auctores, tum ministri prorsus uideatur ac suppeditatores. Cum autem horoscopus, ut dictum est, nascentis hominis animalitatem indicet, animæq; eius cum corpore conglutinationem, cui rei Sol, ut dictum est, præest, erit ascendens ipsum Solis iurisdictioni in hominis genitura subiectum, cui in uniuersa uita ius a Sole ipso dicitur, quo fit, ut nati horoscopus in genitura soli addicatur. Atqui Luna ubiq; potestatem in his suam cum Sole simul exercet, ac iuxta etiam præsidet, habent enim coniuncta tempora, diem & noctem, coniunctas actiones, materiam & formam, coniuncta domicilia, Leonem et Cancrum, coniuncta etiam loca, in quibus libentius ius dicunt, nonum atq; octauum in cœli figuratiōe locum. Par est igitur in nascentium genituris, uti Sol quidem horoscopi sibi assumat, Luna uero ut aliquod etiã sibi ascendens pro sociâ potestate uendicet, quo parte ex omni rerum se nostrarum communes uterq; exhibeant tum auctores, tum ministros & curatores, coniunctamq; simul potestatem exercent. Dandum est igitur suam etiam Lunæ in genituris ascendens, quod autem esse illud debeat, quærendum relinquatur. Sed nec ascendens ipsum Lunæ ab ascendente genitura, quod Solis est, distare par fuerit, nisi quantum Luna Sole ab ipso abesse comperita fuerit genitura tempore, quo ascendenti etiam utriusq; loca eadem simul distantia ratione iunguntur. Iunguntur autem ratione eadem si quot signiferi partes inter Solem ac Lunam interiectæ fuerint hora geniturae numeraueris, ipsæq; tot rursum partes ab ascendenti prima parte retro progrediens collegeris, quibus post collectis quo in loco numerus ipse partium omnium desierit, illic fortunæ partem hoc est Lunæ ascendens constitueris. Quæ constitutio ita quidem constare mihi uisa est, ut omni e parte eius constituendæ ratio ex amissis sibi consensuat, atq; undecunq; quadret. De qualitatibus autem partis ac loci huius deq; significationibus eius uberius suo loco dicitur.

De stellis quando masculas uires suscipiunt, quando foemineas.

Nec uero una tantum uia stellarum uires incrementum accipiunt, aut damnum, cum mutare etiam genus secundum ipsarum situm ac statum existimentur, quod huiusmodi quidem est, ut stellæ ob qualitates quibus præsent, aliæ dicantur masculinæ, contra aliæ foemineæ. Putantur aut foemineæ qualitatibus Venus ac Luna, propter humidi, cui dominantur, naturam. siquidem humidum ipsam in generatione materiam

sumministrat,

sumministrat, Sol uero existimatur esse uirium masculinarum propter calorem, quem excitat, cuius proprium est formam inducere, calfaciendo humidum, atq; animando calefactum. Masculinarum etiam uirium habentur Iupiter ac Mars propter calorem. Mercurium medie naturæ putauerunt, unde Poetæ genitum ex eo hermafroditum fingunt, siquidem stella eius nunc humidum abunde euocat, nunc uehementer exiciat pro situ suo ac motu. Mutantur uero, ac modo quidem augentur, modo uero minuantur qualitates hæ tum tempore, nam calor augetur die, minuitur nocte, contrario modo humidum, eadem quoq; est frigidi & siccæ ratio, frigidum enim sequitur noctem, siccum potius diem, tum regione & situ. Etenim masculæ sunt stellæ constitutæ in eo cœli quadrante ac tractu, qui est ab oriente cardine ad cœli medium, et in opposito item quadrante qui ab occasu in innum protenditur, contra foemineæ sunt duabus in reliquis cœli quadris, hoc est ea quæ cœli culmine occasuq; continetur, & ea quæ illinc immo, hinc continetur exortu. Nec uero quod nunc dicimus eo spectat, ut mutare genus stellas credamus, quod nullum est in cœlo, uerum ut qui cœli decreta promulgant, facilius intellegant cœli ipsius uires, nunc maiores, contra nunc remissiores eẽ, quod in rebus ipsis nostris uidemus, nãq; regionum qualitates pro temporum qualitate et remittuntur & intenduntur, dies item ipse idem illud patitur, quod uita etiã nostra patitur, quæ non modo pro qualitate anni temporum, uerum etiam ætatum mutatur, nunc crescendo, nunc decrecendo, cum assiduò in motu ac uarietate uersetur. Nec uero mirum sit cuiquam, quadrantem ipsum qui est ad innum ab occasu concalescere, quemadmodum concalescit propter assurgentem Solem quadrans ille, qui est ad medium ab exortu. Siquidem qui noster occasus est, is subterraneis regionibus id est terris habitationi nostræ aduersis solis ortum denuntiat, contra exortus occasum. Mutantur etiam stellæ pro habitu ad Solem suo, ut quasi masculæ sint, hoc est maioribus utantur uiribus, cum a Solis complexu digressæ antecedentesq; matutinis oriuntur temporibus. Matutina enim qualitas robur maius et, ut ita dicam, masculas sumministrat uires, tum propter suam a sole digressum, orientisq; cœli regionem, tum propter stellarum adolescentiam. Contra debiles eas atq; imbecillas uespertina reddit conditio, ubi Solem subsequuntur tanquam fessæ decurso spatio, atq; senescentes, quæ re stellæ ipsæ uidentur quodammodo foeminescere. Quod si de cœlo & stellis cum loquimur, non alijs uerbis utimur, quàm ubi de animalium qualitate, genere, ætate, moribusq; differimus, merebimur iure

ueniam, quando alijs uti uerbis q̄ tralatitijs nequimus, quam ueniā,
ubicunq; locus ac sermo exigat, dandam nobis deposcimus.

De Collocatione planetarum in angulis.

In perscrutandis autem stellarum uiribus atq; effectiōibus hoc quoq;
seruandum uidetur, ut non signa modo ac loca cœli Solusq; ue! ante
gressio, uel subsequitio, status item seu uespertinus, seu matutinus, ad
hæc tum incessus repeditioq; tum diurna, nocturnaq; conditio, ac
quadrantum posituræ probe inspiciantur, uerū etiā suis ut numeris,
exactaq; ratione colligantur cœli quoq; totius cardines, hoc est ortus,
occasus, medijs atq; imi partes. Stellæ nāq; in illis, finitimusq; in parti-
bus præsertim succedētib; collocatæ plurimū in utraq; partē ad felici-
tate infelicitatem uel sibi uēdicant, angulorū ipsorū auctoritate muni-
tæ. Etenim in cœli medijs culmine cōstitutæ, proximisq; in partibus, ui-
res regias, regiamq; potestatem adeptæ uidentur. Quæ e re quod aut
benigne pronuntiant, aut aduersus minantur mali, nisi potentioribus
impediuntur radijs, constantissime præstant. Verum de angulorum
observatione, planetarumq; in illis consistentium, suo loco plenius di-
cet. nunc satis sit de efficacibus illorum uiribus pauca quædam dis-
serere. Igitur medijs cœli prærogatiua, & (ui ita dixerim) maiestas au-
gusta quidem est, cum locus ipse teneat mundi totius culmen, quo e lo-
co radij cum in terras iaciantur quàm rectissimū, ydem in res inferio-
res illabuntur quàm potentissimū. At ab ortu atq; occasu cum non re-
cti, sed obliqui potius, neq; superioribus deferantur e locis imbecillio-
res, minusq; ualentes sunt. Cuius rei idem Sol, ydemq; Sola-
res radij nunc e medio, nunc ab horoscopo, occasu ue irradiantes
testes sunt locupletissimū. Quo circa propter loci maiestatem, ra-
diorumq; ualentissimam projectionem planeta in culmine collocatus
plus habet uirium quàm in ortu, et in hoc ipso exortu, amplius quàm
in occasu. Ab ortu nāq; radij ad nos cum luce ueniunt, ab occasu eri-
piuntur, cum luce simul. Quoniam autem de occasu atq; imi cœli an-
gulis dubitatio non nulla incidit, hoc est uirius auctoritas præfere-
nda sit, placet Ptolemæi ipsius e primo A potelesmatum libro uerba po-
nere, deinde auctoris eius qui uerba ipsa explanauit. Ptolemæi uer-
ba sunt hæc, Culminantes enim, siue ad cœli culmen proficiscentes in
primis potentes sunt, secundo autem loco, quando in ipso finitore sue-
rint, siue ad illum accedentes feruntur, magisq; cum in orienta-
li, minus uero cum sub terris immo in loco culminauerint, siue

alia ratione orientali loco configurantur, aliter uero constituti imbe-
cilli prorsus sunt, uerba hæc ipsa Ptolemæi (cum duo sint finitores, al-
ter ad ortum, alter ad occasum) uidetur innuere, planetam in occiduo
finitore collocatum minus ualidis uti uiribus, quàm cum in orientali,
hoc est efficacie multo maioris esse, cum in ortu constitutus fuerit, quàm
cum in occasu. Cum autem subdit, Minus uero in angulo subterraneo
collocatus, uidetur innuere, inum cœli locum, quàm occasum auctori-
tatis utiq; minoris esse, planetamq; illic constitutum uiribus uti non
adeo ualētibus. At explanatoris uerba aliud omnino sentiunt. Nec
uero cuiquam sit mirum, si orientales atq; occidentales planetas dici-
mus, cum hæc duo uerba hodie tam sint in usu, & a recentioribus
scriptoribus sic recepta, ut alijs, ac maxime suis appellationibus uix
utantur. Inquit igitur explanator, Orientales enim, addentesq; ad nu-
merum, potentes sunt, occidentales uero, numerumq; minuētes, imbe-
cilli, in medio item cœli, seu in oriente cōstituti, potentes sunt, at in imo,
atq; in occidēte imbecilli. Nec multo post subdit, Primū quidem cœli
mediū, secundus est oriens, tertium inum, quartus occidens. Succes-
sionū autem prima qdē medijs cœli, secunda horoscopi, tertia imi, quar-
ta occasus. Quibus e uerbis planissime intellegitur explanatorem, in-
terpretemq; hunc, inum cœlum præferre hac in parte occasui, hoc est
stellam in occasu occiduoq; finitore positam, minoribus uiribus instru-
ctam esse, quàm quæ sit in imo cœlo collocata. Addentes ad numerū
planetæ dicimus, quos Græci προαήτας uocant, hoc est ad motus suos
appositos, immuētes uero numerum, quos illi ἀπαρήτας dicunt,
quoniam de motu demant, tardioresq; effecti sint. Hac itaq; mensu-
ra & circumspectione uti Mathematicum oportet, in cœli atq; erran-
tium stellarum significationibus primo expendendis, post etiam pro-
nuntiandis, quo prædictio ipsa non solum a coniectura, uerum etiā
a ratione, quantum assequi humanum potest ingenium, profecta ap-
pareat, quantumq; disciplinæ instituta, diuturna observatione com-
probata doceant. Pro erraticarum enim loco, situ, signo, prærogatiua,
configuratione, uiribus deniq; atq; aspectibus aut fauentibus eis, aut
nocentibus, significationes ipsæ, erraticarūq; effectiōes futuræ sunt
aut imbecilliores, ac minus certæ, aut magis ualentes, uiribusq; fir-
moribus præditæ.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
FRANCISCVM PVDERICVM DE RE
BVS COELESTIBVS LIBER
QVARTVS.

VMANI uis ingenij natura duce, quæ sci
endi nobis cupiditatem infixit, eo cogitandi,
differendiq; Franciscæ Puderice peruenit stu-
dijs, ut difficile dictu sit quantum in omni re
rum fecerit cognitione operæpretium. Hac
enim ipsa duce mortales non nulli, quanquã
perpauci illi quidem, nam in quoq; genere nisi
perquam paucorum uix existit perfectio, in id peruenere cogitandi
assiduitate, ac perspicendi acumine, coniuncta etiã differendi argutia
cum diuidendi perpensione, itemq; concludendi cautione ac ueritate,
ut mundum ipsum omnem, mortaliumq; atq; immortalium naturas in-
genijs subiecerint suis, duplici uia progressi. Nam quo ratio ipsa qui-
bus dictum est artibus penetrare haudquaquam poterat, signa quæ
rebus ipsis inessent, de quibus solliciti erant, quæq; iudicia uideren-
tur habere earum naturæ, et secuti sunt illa, et contemplati. Quo
effectum est, uti quæ ratione ac dissertationibus comprehendere minus
poterant, diuturniore ex inspectione ea tandem in cognitionem deue-
nerint considerantissimorum hominum. Quia in observatione, sub-
secutisq; illam coniecturis etiam maximæ uersantur facultates, eaq;
potissimum, quæ non ingenij solum uiribus, uerum etiam corporis
presidio indigeant, cuiusmodi quidem sunt orandi, militandi, meden-
diq; facultates. Verum ut facessere has à dictione nostra, hac nunc
in parte et hoc in loco iubeamus, explorandis quidem ac cogno-
scendis hominum ingenijs, propensionibus, moribus, quid obseruatum
olim ab illis fuerit, quid effectibus ipsis cognitum, tum alij per-
multj ante Aristotelem, tum Aristoteles ipse et retulit fideliter, et
constantissime assenerunt. Maior inquit frons animi se gnitiem, mi-
nor instabilitatem, latior mentis agitationem, ad eamq; exercendam
facilitatem, rotundior iracundiam indicat. Supercilia quoque rectius
porrecta mollitiem animi, secundum nares inflexa austeritatem nõ
sine acerbitate, secundum uero tempora dissimulatorem animum ac
derisorem, at omnino demissa inuidentem significant. Hæc principio
studioforum

studioforum ac perspicacium hominum et animaduertit sedulitas,
et obseruauit diligentia. Quam uiam post ingressa ratio et capitis
contextum, et cerebri posituram, qualitatem, quantitatemq; contem-
plata, eiusq; naturæ pēsitate dimensa, de animi quoq; ipsius applicatio-
nibus (etsi institutio ipsa, legesq; ciuiles, ac gentis studia in utraq; par-
tem permultum ad mores ualent) et iudicium tulit, et causas est
ipsas propensionum complexa. De auribus quoq; perinde atq; animo-
rum indicibus signa hæc ab eodem auctore perhibentur, quod earum
quidem mediocritas proborum index sit morum, magnitudo uero,
earumq; arrectio, aut stultitiæ aut loquacitatis. Ex oculis quoq; signa
hæc animi propensionum traduntur, eorum angulos ubi quàm æquum
est productiores ipsi fuerint, morum esse peruersorum, improbitatisq;
animorum indices, eosdem ubi naribus propius inhaesissent, animi
malitiam indicare, ipsos uero oculos neq; penitiores, neq; nimis expo-
sitos atq; emissitios, sed mediocrè nactos situm morum æqualitatem quã-
dam promittere, mediocrem quoq; illorum conuientiam, eandemq;
temperatorem, commotionum animi temperamētum innuere, at qui
rigidius conuient, aut properantius, alteros impudentiæ, alteros in-
constantiae testes esse. Sed nec pedum constitutio ab iisdem fuit neglecta
auctoribus. ponam uerba non minus spectati quàm eruditi uiri The-
salonicensis Teodori, qui Aristotelis de animalibus libros fecit Lati-
nos, cuius ego memoriæ tantum iudico tribuendum, quantum illi, qui
in media rerum ignorantia lumen cæcitiētibus aut potius nihil uis-
dentibus accenderit, tamen si ipse ut Græcus homo Latinus quibusdam
literatoribus nimium fortasse indulsit. Eius uerba sunt hæc in Ari-
stotelica translatione, Quibus hominibus plantæ pars interior non
caua est sed ita plena, ut solum toto attingat uestigio, uersuti sunt et
fraudenti. De dentibus quoq; traduntur hæc, quibus animalibus
plures insint, ea magna è parte uinaciora esse, quibus hominibus tum
pauciores, tum rariores, eos plerumq; uitæ breuioris esse. Hanc itaq;
uiam ad multa eaq; obscura et abdita diuturnior diligensq; aparuit
obsersuatio, præbuitq; ad illa aditum rationi. Ac tamen si frustratur
aliquando obseruatio obrepentinos occurfus, eosq; parum prouisor,
in uniuersum tamen nunime fallit, constatq; ipsa sibi ut explorata ee
uera. Igitur si pedum, frontis, supaliorum, si oculorum, aurium positus atq; con-
textio alia atq; alia et ad morum qualitates atq; affectus uarios, iudicia
significationesq; habet suas, quãto significatiõra secum afferunt, certio-
raq; iudicia, Solis Lunæ, stellarumq; aliarum collocationes, habitus, con-
figurationes? è quarum constitutionibus ac decretis et illa confor-

mantur, & tantas inter se mutationes suscipiunt, ac uarietates, tum
 texture corporis totius, tum animi quoque affectionum. Idem est auctor
 Aristoteles affectus ipsos nostros sanguinis sequi cordisque, proportionē
 ac naturam, & cum purus, tenuis, fecundus, calidus, si uens ille fue-
 rit, & ubi contra crassus, turbulentus, aridus, tepidus, exiguus, et cū
 alio atque alio modo afficietur. Atque affectioes ille sanguinis a Sole Lu-
 naque potissimum atque a stellis manant, quoniam inferior hæc natura superio-
 re ab illa temperatur. Nec tibi autem Puderice, nec cuiquam uideri
 mirum debet, si tam sæpe eiusdem rei tam etiam studiosè commone-
 mus Mathematicos, hortamurque eos ad inueniendum pensitate stellarum
 commixtiones ac temperaturas, è quibus tot, ac tam non modo uariæ,
 uerum etiam diuersæ & corporum formantur effigies, & animorum
 excitantur propensiones atque affectus. Quæ ubi ualidiores fuerint,
 maioreque autoritate præditæ et ex obscurissimis parentibus illustres
 edunt fœtus, & ex illustribus maxime abiectos atque obscuros, deque
 formosis fœdos, rursumque è deformibus & pulchros & perueni-
 stos. Quod in frequentibus præsertim ciuitatibus ac populis penè
 quotidie & uidemus, & miramur contingere.

q
 Vartus hic liber Erraticarum uires, quales quan-
 tæque in rebus his inferioribus appareant, quæ item
 earum significationes sint ac decreta, continet. Qui-
 bus explicandis & ueterum auctoritatem, & proba-
 tissimam cuiusque auctoris cum primis sequimur, quan-
 tumque ingenij nostri uires ferunt, physicas è causis rationes eruere,
 erutasque in mediū afferre moliti sumus ipsarum & uirium & signifi-
 cationum. Neque enim uideri uolumus partem eam cognitionis quæ ce-
 lestibus agitationibus maxime est cognata, neglectam omnino deseru-
 isse. Quæ in re si traditio hæc nostra, manca, uel ingenij fert tenuitas,
 reperietur, in quo ueniam petere non erubescimus, compensabitur ab
 æquis fortasse lectoribus cum eo, quod primis quidem hæc prodimus,
 aliosque ad perscrutandum solertius, hoc est ad tantam promerendam
 laudem labore industriæque hac nostra inuitamus, a Sole primum ex-
 orsi, propter euidentiā magnitudinemque eorum omnium quæ in ele-
 mentis ipsis, elementaribusque corporibus, illorumque qualitatibus, quas
 uirtutes etiam ab Aristotele uocari diximus, assidue efficit annua sua
 per signiferum euagatione atque incessu, unde cuncta hæc quæ uiden-
 tur, & oriuntur & occidunt, eque alio in aliud conuertuntur, post
 de Luna, deinceps de reliquis ordine suo dicemus.

De Sole.

p
 principio homo fit ex aliquo, quoniam ipse est aliquid, est enim ani-
 matu corpus, cuius principia sunt materia & forma, quæ ubi in unū
 per generationem conuenere atque animam, accidit ijs quæ gignuntur
 ea quæ dicitur uita, unde uiuentia dicuntur corpora, quæ ex ijs simul
 constant. Constat autem uita ipsa è calore maxime, qui humidū ipsum
 animat, siquidem generatio è calido existit & humido, quibus ut cor-
 pora ipsa quadrent, quando quadratio è contrariorum constitutione
 manat, frigidum adiungitur, quæ qualitas ferè humidi comes est, &
 siccitas, quæ tū frigoris est, tum caloris sociæ, cuius cū Sol ipse fons sit,
 erit & uiuæ idem quoque ipse auctor, atque uiuentium pater. Iure igitur
 ad Solem generatio refertur, ut pote formæ inductorem, uitæque
 ipsius datorem atque artificem. Uicere autem homo ipse, quàm diu spi-
 rat, dicitur, ergo & spiritus ipsi, qui corpus mouent, qui sensus excitant,
 cogitationesque ac mentem nostram & fouent & agitant, ad Solem
 quoque referendi sunt, qui caloris est auctor, quo etiam auctore spiritus
 ipsi uitam constituunt, constitutamque conseruant, donec calor ipse cum
 uita simul corpus tandem destituat. Quam ob rem uitalis animæ uis
 qualitasque spirituum, et ea quæ animalitas nouo nomine, ut dictum
 est, a nobis uocatur, Soli est attribuenda. Hæc autem ipsa animalitas
 ac uita lucis ipsius maxime mihi uidetur similis, quæ statim Sole se
 abortu ostēdente mundū omnem illustrat, eaque illustratio tam diu per-
 manet, quàm diu Sol sub ortu se præcipitet, è qua præcipitatio tenebræ
 oriuntur, noxque exurgit luci contraria. Eadē ratione et uia uita nostra
 permanet, dum calor corpus ipsum fouet, quo destitute, uita recedit, mo-
 risque repete sequitur, ut calor ipse lux sit quodammodo corporis, p̄inde ut
 Sol est mundi. Oportet autem his in corporibus partē eē, sedēque aliquā, in
 qua calor locū suū ac ius retineat, et tanquam in prætorio quodam exerceat
 quo è loco cæterū corpus foueat, fouēque inspiret et moueat. Hic autem ip-
 se caloris locus, ac potius fomes quodam est cor, in quo calor ipse humido
 coniunctus, in unūque agens ac patiens uis conueniētes altera concoquendo,
 altera fouendo se se de calore, sanguinē ingenerat, ingeneratūque fœ-
 cundant & ad procreandū & ad alendū. Hæc autem ita se habere
 docent tum cordis ipsius constitutio, cum interior & caui & spissum
 sit, cauum scilicet quo sanguinem contineat, quem per uenas diffun-
 dat, spissum uero, ut calorem tueatur, ne si rarum sit, euanescat, tum
 etiam situs ipse ac positura, cum paulum ad leuam declinet, quo re-
 gionis ipsius frigida uel refrigeretur. Leua enim pars in homine

præcipue est frigidior, contra uero cor est omnium calidissimū. Quia
 è re principatus illi inter cæteras corporis partes membraq; attribui
 tur, efficiturq; ut cor ipsum iure soli sit etiã dedicatum, dedenturq;
 eidem & nerui, quibus multis præditum cor est, hiq; intendendo ac
 remittendo sese efficiuntur caloris instrumenta tum ad motus alios, tum
 ad sentiendum, ut Sol, id est calor ab eo defluens sit quoddam quasi
 sensuum animæ, mentisq; concitabulū etiã ad cogitandū atq; ad con
 templandum. Siquidem titillationes illæ sensuum ac spirituum à calo
 re proficiuntur omnes, eaq; animæ subseruiunt, uiamq; illi aperiunt
 ad ea quæ intellectus propria esse dicuntur, unde nõ immerito à Ci
 cerone animi ipsius satellites uocantur. Est autem radiorum Solis &
 caloris proprium propter tenuitatem atq; acumen ad interiora pen
 trare. Vt aut imperatori milites parēt, milites uero ipsi armis quisq;
 suis instruuntur, Sol item perinde atq; imperator in his se se gerit,
 sensus uero uti milites. Nerui, uenæ, præcordia, partes item reliquæ ha
 bendæ sunt ut arma, tela, sagittæ. Ad imperatorem uero cuncta re
 feruntur. Quoniam autem calor, corporis lateribus tanquam uallo
 quodam continetur, ne exhalando euanescat, latera quoq; ipsa Solis eē
 dicuntur, & item caput, intra quod, corde ipso cerebrum ibidem con
 clusum calore suo fouente, copiasq; ac uires suas cum illo tanquam so
 cio communicante, instrumenta uisus, auditus, olfactus, gustatus & mo
 uet & afficit ad officium quodq; suum. Quapropter à præcis illis
 sentientia, à recentioribus sensualia, sensuq; dicta sunt animalia, q;
 à calore id est corde caloris ipsius fomite ad sentiendum moueātur.
 Nam & aqua lebetes contenta ubi ignem sensit, quæ prius stagnabat,
 moueri statim incipit, moxq; pro caloris exagitantis temperamento
 plus minus ue feruescit. Quodq; lux est à Sole, oculi etiã ac potissi
 simū dexter illi adiudicati sunt, nam de sinistro post dicemus. Adiu
 dicatur etiã soli è coloribus aureus, licet color omnis in luce quidē ap
 pareat, quippe qui dempta luce nullus existit. Etenim aduentante Sole
 mane primo cū diffundi tenebræ, paucillatimq; illustrari aër cernitur
 qui cœli affectus Aurora est uocata, color quidem subrufus croceo im
 mixtus apparere primum incipit, quod in igne quoq; primum accenso
 cernitur, isq; paulatim rarefendo clarescit, donec clarissima illa illu
 stratio & fulgor toto pariter orbe candescat. Quocirca color is meri
 to peculiaris esse Solis dicitur, quãdo aduentu eius primum hic in aëre
 color apparet. Merito etiã è saporibus acutus atq; acer ad Solem re
 fertur. Quid enim Solis radijs acutius, aut eius calore acrius? Eter
 ræ quoq; frugibus triticum hordeumq; è metallis aurum Soli etiã

dedicantur, An quia auro nec materia, nec colore, nec usu aliud inter
 metalla præstantius, nec quod à calore ipso concœtius sit, atq; defec
 tius? sicuti inter stellas nulla est, nec luce, nec calcfactione Soli com
 parabilis, nec è qua hominum præcipue genus maiorem sentiat utili
 tatem, quod idem è frumentorum commodis accidit mortalium gene
 ri. Quid quod tritici genus quoddam Martio mense feri, dum Sol
 Arietem peruagatur, oportet, natura seminis ipsius, agricolarumq; di
 sciplina ex obseruatione profecta hoc postulante. Ac tamen si semen
 omne & herbarum et arborum ad Solem, ut generationis principē,
 referendum uidetur, tamen cum primum triticum, quod, ut obseruatio
 docuit, perinde prouentum affert, ut aër è Solis affectione fuerit etiã
 ipse affectus, Luna simul operam suam conferente, quæ Solis ipsius
 ministra est & penè dixcrim, uicaria. Siquidem ut in gignendo ho
 mine forma quidē è à patre, corpus uero à matre, propter alimen
 tum quod è materia suppeditatur, sic à Luna conferuntur alimenta
 corporibus quæ à Sole formam accipere. Vtq; una absoluat senten
 tia, generandi uis omnis seminibus insita est à Sole, ut pote à prin
 cipe, tamen si stallarum cæterarum accedit etiã opera, quemadmodū
 & uenarum & neruorum & arteriarum accedit opera cuiusq; sua
 præsidio cordi. Ab ipso namq; Sole ut ab authore ac principio gene
 ratio cum existat, itemq; à corde tanquam principio corporis totius
 procreatio ac uita, cætera quidem omnia quæ ad generationem ac
 uitam conferunt, perinde se habent, ut media quædam instrumenta,
 quæ subministrandi fungantur officijs, obtemperantq; architecto, ad
 quem opificium ipsum & quidem totum refertur. Ac mihi quidem ui
 deri illud idē in generatione solet, quod in bene constituta re publica,
 ubi magistratus unus temperatorq; rei totius quædam partem agit ip
 se per se, partim faciūda immutat, alijsq; per agenda permittat, quædã
 & gerat ipse, & aliorum simul in gerenda re utatur opera, alia ue
 ro nunc decernat ab his aut illis administranda, nunc imperet qui
 bus sit obtemperandum, ac nunc præscribat, nunc geri ex officio cu
 iusq; rem, atq; ex usu annuat, ipse tandem unus ille ac solus sit, ad
 quem omnia referantur, et cuius nutu administrantur cuncta. Quo
 nam autem à calore, ut dictum est, spiritus excitantur, qui quo uehe
 mentior quidem fuerit, eo uehementiores hos excuscat, à quorum ma
 gitudine, animorū quoq; appetitiones incenduntur ad res magnas
 illas quidem, maximeq; honorabiles, hinc & prouinciarum præfe
 cturas, & ciuitatum magistratus, principatus quoq; & populorum
 & nationum Solis stella sibi uendicat. Cumq; & honorum & do

minatus duplex sit genus, alterumq; ad regēdum, atq; imperādum duntaxat spectet, ad Deorum immortalium cultum atq; ad religionem alterum, quamvis non nunquā idem quoq; magistratus utruq; exerceat, atq; ut est apud Virgilium, Rex idem hominum Phœbiq; sacerdos, Nimirū uterq; honor utrumq; dominandi genus Soli ascribendū videtur, propter suam ipsius maiestatiē, numeq; augustissimū. Quō circa sacerdotia, potestatis, uaticinia, potestas ac iudiciū uitæ & necis, magistratus, præfecturæ, principatus, regna, imperiaq; à Sole primū proueniūt, à quo etiā honores, tituli, fasces, corōæ, statuæ, felicitatis, auiliūq; bonorū euentā, nec non ab infimo ad summū locū euectio. Atq; hæc in bonis quidē externis. Ex animi uero bonis à Sole quoq; proficiuntur et intellegendi acumē, et ea uirtus quæ prouidētia dicitur, grauitas item in cōsulendo, & quædā quasi generositas, forma quoq; corporis et speciosa mēbrorū cōpositio. Etenim cū sit generatiōis pater ac formæ dator, iure à Sole species corporis uidetur exigenda. Cumq; idē ipse sit fons caloris, ac de calore ingeniū foueatur, iure etiā intelligēdi uis, quæq; intelligentia à prisca dicta est, animiq; ipsius bona Solis potestati, beneficioq; ascribēda sunt, pro illius scilicet statu ac tēperatione, genituræ cuiusq; tēpore. Ab hoc etiā quā formā materiæ, uitāq; indat corpori, pater q; sit & qualis in filij genitura, patrisq; i tē status, aperte indicatur, atq; ab ipso Sole quærendus est. Et uero ut rerū substantijs suo quidē iure coniuncta statim quædā sunt, quæ illas naturaliter sequuntur ipsq; tanq; affixa inherēt, Sic Solē, Lunam, stellāq; alias earum effectiones ac uires, perinde ac ex ijs quæpiam dominatū in genituris suscepit, permulta insequuntur quæ post et in ijs quæ ad corpus ac sensus, et in illis quæ ad animū, uitæq; actiones pertinent se se ostēdūt. An quod in cæpa, halio, ruta, sisymbrio usuuenit, non eueniet in illis à quibus hæc ipsa existunt? & à quibus afficiuntur, conseruantur, demq; etiam corrumpuntur, atq; corruptione intereunt, & in alia post atq; alia conuertuntur.

De Luna.

Quod aut in generatione Luna sumministratrix sit materiæ pp humidū, cui præest, sitq; Solaris lucis uicaria quasi quædam, de illius enim radijs illustratur, aliāq; inde ipsa illustrat, quodq; ab illa suscitatum est humidū adulterino, ut ita dixerim, fouetur calore, iccirco Solis in generatione et comes habetur & socia, perindeq; ut patris uices Sol, ita maternas Luna in generatione uices retinet. Hæc uero ipsa hominū generationi quātopere cōsentiant, illud planē docet, quod genera-

ipsa animalū, eorumq; potissimū quæ sanguine cōstant, in mares diuiduntur ac foeminas, & foeminae quidē materiā tantū, sanguinēq; excrementitiū, quæq; menstrua dicuntur, ad generationem conferunt, mares autem semen ipsum, quod calore suo menstruosam illā massam cogit, ac paulatim concoquēdo fermētat, postmodūq; informat. Haud dissimiliter Sol et Luna, maris alter, altera foeminae subeūtes officium animantium generationi consulunt, Sol calorem, Luna humidū suggerendo. quo fit ut genitale semen & calidum sit & humidum. Atq; ut à matre infanti præbentur alimenta, sic à Luna uires animato corpori sumministrantur, quas assidua peruagatione ac reuisione quasi quædam à Sole primum, deinde cæteris à planetis mutuatur. quo fit ut uitæ, animalitatisq; sit etiam particeps in cuiusq; genitura, ac tum matris, tum materni status indicatrix, quin etiam ut concepti in utero foetus significationem ac dominatum obtineat, quippe quæ discursibus, agitationibusq; suis foetum ipsum assidue fermentet, consumandēq; informationi apparet, qui postmodum de Lunæ ipsius alimonia, deq; Solis calefactione fatus, tandemq; perfectus ac consumatus in lucem editur, editusq; inter uiuentes numeratur. An non è quæ materia concipitur, ex eadem quoq; in utero foetus alitur? calore illam cōcoquente. Etenim materiæ ipsi ut uis procreationi commoda, sic etiam educandis foetibus insita est idonea ac perutilis. Eiusdem etiam Lunæ ius est in utero ac uulua, quæq; hodie à physicis matrix dicitur, in qua foetus ipse & concipitur et fouetur, in mammis item è quibus lac manat, infantulorum alimentum, quæ duo muliebria membra sunt, alterum quidem ad concipiendum fouendumq; à natura constitutū, alterum uero ad educandum, postquam in lucem foetus uenerit. Ad hæc cum sit Solaris etiam luminis, ut dictum est, uicaria & (ut ait Aristoteles) paruus quidā Sol sinister ei oculus, in corpore attribuitur, ut oculus etiā luminis sit cum Sole particeps. Quin etiā quod generationis ac luminis socia, uitæq; simul custos est, ab eadem ipsa corporis quoq; status quærendus est, aspectusq; ipsius qualitas, & ea quæ effigies dicitur, exigenda. E' membris quoq; interioribus præcipue dominatur stomacho, ut pote receptaculo eorū omnium quibus corpus alitur, uentri quoq; uesciæq; quibus cibi potionisq; excrementa deijciuntur. Potissimum uero in cerebro potestatem suam exercet, quod ita quidem se se habet ad cor, quemadmodum ipsa ad Solem Luna. Nā quod mediocritas temperatis constat è contrarijs, iccirco temperando cordis calori cerebrum obiectum est, natura sua frigidum atq; humidum, similiter etiam temperandis commotionibus quarum prin-

capium sit in corde constitutum, cum cerebrū ipsum omni prorsus sensu sit uacuum, ut pote summum in modum frigus humensq; cui quidem qualitati Luna praesidet. Quae est re qui cerebrum male affectū habent, atq; ex eo uitio repente cadunt, Lunatici dicuntur. Lunari etiam iuris est membrana cerebrum ipsum complexa, quem panniculum sunt qui hodie uocent, inter praecordia dominatur lien, neq; enim aut iniuria aut ab re quidam membrum hoc Lunae ascribunt, ut quemadmodum Soli cor propter similes utriusq; potestates, sic Lunae lienis deditur, trahit enim ad se, quod Lunae proprium est, superfluentem humorem e uentriculo, quem concoquat. nam et lienis sanguineus est, iecinoriq; opitulatur. Praeterea quia cum Sole coit, et tanquam uxoris cum illo exercet uices, coniugū quoq; coniugalique societas quae suscipienda proles gratia imitur a Luna quaerenda est in genituris. Quae de ratione, socia illa uiri uxorisq; in administranda re familiari cura ad Lunam quoq; merito quidem pertinet. Eadem etiam dominas, reginas, augustas propter solis uictriatum denūtiat. Et, quoniam, sicuti supra diximus, necesse est plurima, maximeq; diuersa in hominum uita contingere, unde et in externis bonis, quae fortuita etiam dicuntur, multa subinde accidunt, lucra quidem ipsa, item et damna, et bonorum augmenta, iacturaeque; maritimae, item uestigationes, comportationes, mercationes, et quibus merces ipsae deuehuntur nauigra ad Lunam quoq; referenda sunt. Propter uarietatem enim inconstantiamq; luminis, ac celeritatem disursuū ac traiectio num eius nunc ad hanc, nunc ad illam stellam corpore, inuitu ue sese adiungentis atq; ab alia ad aliam defluentis, uarietates haec in hominum actionibus euentisque contingunt. Quo circa iure haec omnia Lunae ascripta sunt, simili etiam ratione itinera, peragrations, et qui errores uocantur, quales ab Homero Ulyssis dicuntur fuisse. Quidam enim non tam negotiorum gratia, quam diuagandi cupiditate irahuntur, ac palantes errant, hos erroneos maiores nostri a uoluntariis erroribus uocauerunt, inde enim errare sunt dicti, quod nunquam consistat, et ab alijs ad alias terras incertitudine quadam cupiditatum studio rumq; suorum ferantur, huc atq; illuc passim uagaterq; diuertentes. Ex ijs uero quae ad domesticum censum, remq; familiarem pertinent, Luna ignobiliori sordidioriq; praest suppellectili. Siquidem Luna corpus suapte natura mirifice opacum est, atq; ex eo inter erraticorum corpora satis ignobile propter maculas quae in illo apparent, cum reliquarum corpora insignia sint, singularemq; nitorem praeferant, unde plebem significare dicitur, ignobilissimam ciuitatis ipsi-

us partem. Praest etiam uitro, quando illud perinde ut aqua colorem quidem omnem accipit, prospectumq; intra se oculorum admittit, uirumq; enim perspicuum est, naturaeq; persimilis. E coloribus autem attribuitur Lunae uiridis, siquidem etiam arbores et haerbae, quae a Luna potissimum ali creduntur, folijs frondibusq; uiridibus uestuntur, eaeq; humido uel plurimum abundant. An non ligna focoadmotā, quo plus habent humoris, eo ex ijs incensis flamma uiridior exilit? Veteres tamen non iniuria putauerunt album Lunae colorem attribuendum, aquis enim dominatur. quae ubi concreuerint, in albe scunt. Nec temere a Virgilio quanquam fabulose dictum est,

» Munere quā etiam lanæ, si credere dignum est,

» Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit

» Per nemora alta uocans, nec tu aspernata uocantem.

Inter sapes quoq; is qui salsus est, Lunae putatur peculiaris. nam cum in arido sapor concipiatur et quidē madefacto, cūq; ariditas atq; salitudo terrae sit propria, nimirum terrā uisua propriaq; irradiatione humectans, iure saporē hunc Luna sibi uēdiat. Sinistræ quoq; partes omnes nostri corporis Lunae subiectae sunt, quemadmodū Soli dexterae. Quo circa partes ipsae dexterae masculinarum id est robustorum sunt uirum, sinistrae imbecilliorum. foeminae nanq; ubiq; imbecillae sunt, quando marium est agere, foeminarum uero pati, et Sol qdem agendo formam inducit, patiēdo aut Luna eam suscipit. Quodq; a duobus his generatio quasi parentibus a quibusdam fiat, iure corporū dominatus utriq; permittitur, atq; huic ut matri sinistrae partes, illi dexterae ut patri conceduntur. Reliquae uero stellae partim huic, partim illi in generatione assunt, pinde ut huic q̄ illi magis conciliantur tum qualitate ac natura, tum etiam conditione. Quae de re statim dicemus.

De Quatuor elementis, et quinque planetis.

Quatuor haec corpora quae rerum inferiorū naturam et constituunt et referunt, ita quidē inter se propter adiunctas qualitates connexa sunt, ut secerni tantum ingenio, re aut nullo modo possint. Siquidē terra sic est arida, aqua sic frigida, aēr sic humidus, ignis sic calidus, ut nec terra sine frigore, nec aqua sine humido, neq; aēr absq; calore, aut ignis sine arido usq; in his sit. Cū in ipso etiā terrae corpore insint haec omnia, nā et aquarū fontes riuūq; ē terra manant, et ignes plurimus ē locis scintillant, ac tā multi halitus euaporationesq; ex ea euolant, q̄ quotidie ac singulis pene momentis uidetur et sentiuntur. Quo circa cōposita cū inter se sint, neq; eni aliter cōuertibilia essent aut ulla generationē aperiretur uia, corpora quoq; ipsa nostra quae ex illis cōstant, cū sint etiā

composita, mixturas longe plurimas in se se ut habeant necesse est, quo et fit, ut tam multae corporum, ingeniorumque; uarietates et sint, et re ipsa uideatur in nobis. Nihil omnino profecerit in generatione Sol, omnisque eius actio frustra cesserit, ubi humidum in quo se se exerceat nullum fuerit, nihil in uiuentibus atque sentientibus cor, aut aliud quippiam cordi simile absque cerebro aut humido aliquo cerebri quod simillimo. Sunt administratores utriusque; et, pene dixerim, famuli, nerui, uenae, arteriae, pulmones, iecur, lienis, renes. Eadem ratione et uia Saturnus, Iupiter, Mars, Venus ac Mercurius in generatione constitutisque corporibus. Lunae Solisque socii atque adiutores sunt, quae re uarietates ipsae et innumerabiles, ut dictum est, proueniunt et corporum et ingeniorum, cum eorum uniusqueque miscendis fermentandisque corporum humoribus operam suam conferat, suoque fungatur officio. Cuiusque enim pro natura sua talis est opera, qualis est ad Solem, Lunam, stellasque inter se alias figuratio, atque in Zodiaco positura, ut tamen si Sol et Luna principes generationis ipsi sunt, erraticae tamen caeterae et per se et per configurationes plurimum etiam generationi conferant. Neque enim absque illarum opera auxiliisque uarietates ipsae proueniret tam multae cum corporum, tum et ingeniorum, quin generatio ipsa maerere quod esset, nihilque in suo existeret genere perfectum atque consumatum. Quod si et mare et aer pro uetorum agitatione uariat, et quae praerentia natura sunt, si eorum quae imperant praescriptis obediunt, cum et a natura ipsa nihil frustra constitutum sit, plurimum quoque ad has ipsas mixturarum uarietates, quinque erraticorum motus conferet. Nam ex illarum uaria commotione posituraque; uarietas quoque corporum atque ingeniorum prouenit. Cor est licet et spirandi, postmodum et loquendi causa primaria sit, prestare tamen hoc neutiquam potest absque pulmonum arteriarum et linguae ministerio. Ante tamen quam de his dicam, non alienum fuerit, quid Ptolemaeus, quid Porphyrius quoque de membrorum attributionibus sentiant, referre. Putat enim Ptolemaeus, Saturnum dextrae auri praesse, adhuc et uesicae, et lienis, et ossibus, et pituitae, Iouem pulmone, arterijs et genitali semini. Martem sinistrae auri, uenis, renibus, genitalibus. Solem aspectui, cerebro, cordi, neruis, atque in uniuersum dextris corporis partibus. Venere odoratum, iecinori, carni. Mercurium sermoni, linguae, felli, et naribus. Lunam gustui, stomacho, uentriculo, uentri, uuluae, partibusque; sinistris omnibus. Porphyrius a Ptolemaeo dissentit in quibusdam, ut qui existimet Ioui et hepatis, et neruis, et quae sub stomachum sunt, tribuenda esse, Marti sanguinem, renes, meatusque; genitalis seminis. Venere pulmonem ac fel. Mercurio auditum arteriam ac linguam. Huic parti illud etiam acc

det, ut quod Zodiaci signum cui corpus nostri membro imperat, explicemus.

De Duodecim signis, et corporis nostri membris.

Licet enim a Sole ac Luna tanquam generationis authoribus, corporis ipsius proficiat informatio, ipsa tamen duodecim signa per quae stellae feruntur, disponendis membris, partibusque; corporis caeteris operam cum primis suam conferunt. Motus namque cum generationis ipsius causa sit, quae mouentur caeli loca praesertim signiferi uel maxime optulatur generationi. Etenim motus ipse per ea quae mouentur corpora, opus suum perficit. Singulis autem corporibus ac signis suam inesse uim tum natura ipsa rerum, tum observatio tot seculorum et docuit iam et assidue docet. Inest agris ac terris et sua cuique; uis. Videlicet non inuenit caelo? eisque praesertim caeli parti, quae signifera est, per quam tanquam coloni semina dispergentes erraticae stellae uires suas diffundunt, propriasque facultates illius facultatibus miscent. Quae ob rem ordine suo ab Ariete quod primum signum est, atque a capite, quod etiam primum corporis nostri locum obtinet, distributionem fecere, hac quidem ratione, ut Aries praesideret uniuerso capiti. Taurus collo, ceruicis, iugulo. Gemini humeris, scapulis, lacertis, manibus. Cancer pectori, costis, lateribus. Leo transuerso septo, quod Graece est διαφραγμα, et stomacho et uentri. Virgo precordijs, quaeque non nulli uocant subchartilagina, Graece sunt υποχονδρια, et ilibus. Libra renibus, uertebis, clunibus. Scorpium pudendis ac genitalibus locis. Sagittarius femoribus, coxisque; inuicem tenuis Capricornus genibus ac poplitibus. Aquarius suris, tibijs ac talis. Pisces pedibus. Quae uero apposite, illud docet, quod homo capite ac pedibus totus includitur, caelestis uero angulus Ariete ac Piscibus. Quae ob rem non incocinne Iulius Maternus dicit, caput hominis in signo Arietis est, ceruix in Tauro, humeri in Geminis, cor in Cancro, significare illud uolens, partes has nostri corporis illis signiferi partibus ascriptas esse. Idem et dicit, pectus et stomachum esse in Leone, uentrem in Virgine, renes ac uertebas in Libra, naturam in Scorpio, femora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibias in Aquario, pedes in Piscibus. Haec autem ita se habere, effectiones ipsae signorum pro beneuola maleuola uel stellarum configuratione ac situ geniturae tempore, manifestissime declarat. Siquidem aegritudines, tubercula, uitia, uulnera, malique; membrorum habitus ratione hac colliguntur. Propter domicilij aut familiaritatem erraticae singulae in parte, societateque; dominatus membrorum recipiuntur a signis illis, quibus stellae ipsae praesident. Etenim Mars propter Arietem et Scorpionem, domesticum uirumque; signum, uis quoque; suum in capite ac pube exercet. Venus in collo, ceruice, renibus,

natibusq; propter Taurum ac Libram. Mercurius in scapulis, brachijs, manibus, precordijs, locisq; cartilaginosis, ilibus quoq; Gemorum ac Virginis gratia. Luna in pectore, costisq; propter Cancrum. Sol in transverso septo, stomacho, uentre, propter Leonis domesticam coniunctionem. Saturnus in genibus, tibijsq; propter Capricornum atq; Aquarium. Iupiter in femoribus ac pedibus, quoniam in Sagittario ac Piscibus domum sortitus est suam.

De Saturno.

Stella Saturni, ut quæ Solis est Lunæq; in generatione adiutrix, aridum simul ac frigidum fouet, quodq; Solis est etiam exicare, Soli hac in parte, hocq; auxiliij genere opitulatur, nec minus etiã fouendi frigoris gratia subseruit Lunæ, itaq; propter qualitatum communicationem, socias utriq; vires adiungit, quò circa terrenæ præesse qualitati existimatur. Cũ autem neq; generatio fiat sine calido, cuius comes est siccitas, neq; absq; humido, cui libenter comutatur frigiditas, cum etiã terræ, quæ una è quatuor principijs est, Saturnus dominetur, illiusq; qualitates foueat, merito Soli Lunæq; in generando atq; corrumpendo stella hæc adesse dicitur. Quin etiam quia frigus aquæ q̄ peculiarissimum est, siquidem frigiditas ex erraticis solius Saturni per q̄ familiaris est, atq; inter elementa aquæ ipsius propria, illiq; à natura addicta. Vtinur aut libenter his dictionibus, Frigiditas, Humiditas, Caliditas, quippe cũ significantius q̄ frigus, q̄ humidum, q̄ calor, inuuant quod animo cogitationeq; intenditur. Lunæ quoq; hac in parte Saturni stella sociæ efficitur in eo humore conseruado, quod plerumque Græci uocant, Latine pituita est, ut sæpius diximus. Quo fit, ut huic humori, q̄ in corpore aiantiu inest, Saturnus èt dominetur. Nec uero mirũ cuiq; uideri debet i Saturno illud usuenire, quod in uetis quoq; euenit, quando, ut Aristoteles ait, subsolanus qui calidus simul et sicus est (ab ortu enim spirat) facile uentum in meridianum transit, qui calido humidoq; temperatur, uidelicet propter regionum cõfina, calidiq; communicationem. Quod et auster etiã facit ob humidam communicationem, transiens in fauoniũ humidũ ac frigentem, pro cardinis occidui natura. Adhæc cum duæ tantum erraticæ è stellis maleficæ sint Martis quidẽ ac Saturni, duoq; sint etiã nociui humorum excessus è calido scilicet atq; humido, bene perspectũ uidetur, ut Marti qdemq; è calido, Saturno uero q̄ ex humido excessus est, deditur. alter enim ob exustionem prolabitur in nimiam ariditatem, quæ exitiosa et letalis est, alter de nimio madore in frigidũ. Neq; enim prolabi in excessum humiditas potest, nisi ob caloris defectum, è quo frigus existit.

Non temere

Non temere igitur hac ratione et uia pituita in Saturni iurisdictionem concessit. Cui opinioni tam multorum seculorum, ac doctissimorum hominum observatio accedit, quæ plurimum in omni disciplina et cognitione ualet. Nam et senectus arida cum sit ac frigida, humescit tamen extrinsecus efficiturq; ueteriosa. Est enim ueterius siue habitus humidior senilis corporis, dum excrementa non concoct, siue morbus q̄ de superfluenti humectatione gignitur. Nec non Saturnus et mari, ac nautis, nauticamq; præsidet exercentibus. Tamen si nequaquam oia quæ inferioribus his corporibus accidunt, qualitatibus ascribenda sunt, potiusquam insua cuiusdam ui celestibus illis corporibus, quod res ipsa comprobat. In eodem etiam animalium corpore, propter aridum ac frigidum, dominatur ossibus, quin etiam neruis, sunt enim exicatio interiore à calore, humido, constituendis illis idoneo, præterea intestinis, uesicæ, uulua, quæ nervosa admodũ sunt, lien quoq; item genibus, poplitibus, ac tibijs propter Capricornum et Aquariũ. Nec uero Sol et Luna licet totius corporis principatũ teneant, licet utraq; stella membris quibusdam peculiariter præsit, alias tamẽ stellas non admittunt in societatem, moderandorumq; membrorum ministerium, tanquam subministras quasdam officij sui, quem morẽ Reges quoq; rerumq; publicarum temperatores moderandis populis seruant. Eiusdem etiam stellæ potestati, propter insitam qualitatem ac uim, subijcitur plumbũ, subijcitur materies, siue ea è ligno, siue è lapide consistet, pleraq; enim ea terrenæ compactionis habent in se plurimum. Artifices quoq; qui in hac illa uie materie se exercent, eidẽ stellæ subiecti putantur, item agricola, quiq; terræ culturã exercet, unde inuentor sationis ab antiquis fuisse Saturnus phibetur, uitis item atq; inuentionis repertor. Excitat autem stella hæc latentis atq; perniciosos humores, quod in senibus maxime cernitur, cum ætas ea Saturninæ qualitatis sit, et eã præcipue bilem quæ atra dicitur in corporibus nostris regit, unde ad eandem stellam referuntur morbi ex aqua inter autem ex nimia alui deiectione, ac torminibus, intestinorumq; leuitate, coliq; dolore atque inflatione ex dolore articulorum, ex neruorum resolutione, ex grauedine, tussi, tabe, ex lienis dolore, tumore, malaq; affectione, hernia quoque, quæq; febres cum frigore et horrore sunt, ac præsertim quartanæ, item quæ ex uitijs ac morbis diuturnioribus ac lentis, quiq; tabem inducunt, sunt ad Saturnum referendæ. Quò circa quæ mortes à Saturno inferuntur, his è morbis originem ducunt, item mortes eæ quæ de naufragijs, aquarũq; submersionibus, suffocationibus, uenenis, ueneficis,

carceribus, uinculis, ad Saturnum referuntur propter syderis malignitatem, uimq; peculiariter ei insitam. Ab eodem etiam sunt sterilitas, orbitas, uiduitas, impuritas quoq; coitus in agendo & patiendo, lites, captiuitas, expositio, mendicatio, luctus. Inficit etiam animos ob insitam malignitatem inuidia, auaritia, solitudine, solitudinis studio, austeritate, simulatione, squalore, humilitate, abiectioe, mœrore, tristitia, fraudulentia, prigritia, quæ uitia Saturninam fermentationem in generatione comitantur, propter humoris aridi, frigidiq; qualitatem, astriq; ipsius naturam, cum etiam effectiones quædam occultæ atq; ignoratæ tum rebus alijs, tum uero herbis, etiam parum cognitis cauis, insint propriæ, ut hærbæ cui nunc nomen est Scatapotio, & deiciendæ alui, & uomitus ciendi tanta uehementia. Sed nec minus complura etiam animorum bona ab eadem conferuntur stella, ut rectitudo consiliorum atq; prudentia, ut rerum occultarum contemplatio atq; cognitio, item in agendis rebus cunctatio atq; p̄sistatio, seueritas quoq; constantia, firmitas, propositiq; pertinacia atq; uictoria. Nec uero hæc in parte me ipsum aut puduerit aut piquerit, pauculos uersus ex uania referre, qui sunt,

Nigra seni facies, tardus gradus, horrida barba,
Et cani crines, & membra effœta senecta.
Ingenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
Consilijs, constansq; animi, prudensq; futuri.

De Atra bile.

Neq; etiam ab re fuerit hoc præsertim loco de atra bile, hoc est de humore ipso, quæ Græco nomine *μλαυχονία* est, aliqd differere. Hic aut humor supremum quidem in modum q̄q̄ est aridus, humor tamen est, quiq; è sanguinis calore feruentiore gignatur, atq; ab eo manet, quo fit, ut facile etiã tamesi refrigit, postrecalescat, seruetq; diutius calorem, de quo genitus est. Efficitur etiam ut humor hic sit de cale factioe penetrabilis, sit etiam tardior, quando lentiuscule ignescit, diutiusq; hæc ipsa causa permaneant, cum nõ tam repente exhalet, aut in flammam euolet, ut cū lapis quispiam ignem concepit, neq; enim aut statim, aut modo aliquo in flammam exilit, quin calore potius conceptum diutius fouendo retinet, deq; conõ efflato candescit. Ac mihi qdẽ lapis q̄ sillex dicitur, atræ bilis p̄similis uidetur, q̄ ferro percussus, aut lapide alio attritus ignem cõceptum euomit, qua etiã ratione excitata bilis recalescit, mouetq; uim eã, cuius proprium est cogitare ac contemplari, moxq; discernere. Atq; ut ignis acensus quærno in stipite & calefacit

amplius, et calor ipse diutius permanet, q̄ in populeo aut abiegnio trũ co, sic humor hic uariat, pro natura fermentationis, cæterorumq; humorum commixtione, ac præsertim pro qualitate sanguinis, de quo in initio tanquã liquefactus feruescendo atq; arefendo prouenit. Quod in ebris facile apparet, cum idem uinum alios ad risum excitet, ad lacrimas uero alios, hunc ipsum tristitia, at gaudio illum alium afficiat, quosdam silendi studium, non nullos loquendi importunitas ut capiat, facit. sunt quoq; quos in sopore, quos etiam in furore uertat. Licet enim idem sit uinum, non eadem tamen est ebriorum omnium concretio, humorumq; è quibus constant, mixtura. Cum ex ignitis quoq; materijs fiat non una euaporatio, alia enim flamma euaporat ex abiete aut picea, alia ex alno aut uite, cum tamen ignis eadem natura sit. Quo circa propter huius ipsius humoris fixam stabilemq; qualitatem, quam ad artem quispiam animum applicauerit. humoris huius ductu, in ea exercenda fixiores, magisq; assiduas cogitationes habeat necesse est. quæ è re cogitando assidue, p̄scrutando diligenter, mentem ubiq; continenterq; in ijs quæ artis eius sunt, exercendo, in illa ut excellat, omnino futurum est. Proficiscuntur etiã hæc de causa ab eodem humore consilia recta, grauiã, multum p̄si habentia, atq; (ut ita dixerim) concocta propter cogitationum p̄scrutationumq; assiduã ac continuatam operam, ut cū ignis continuatus, diutiusq; liquandis herbis admotus est, num liquor ex illis manat maxime defecatus? Quamobrẽ licet Saturni stella malefica admodum sit, et in corruptionem procliuior, probe tamen temperata in agendis rebus, consultandis dubijs, pertendendis propositis, causisq; explorandis maximam quoq; excellentiam parere consueuit. Nã & medici uenenis quibusdã arte tamen industriaq; temperatis sanitatẽ ægris representat. Et uina licet salubria, in intemperatè sumpta et aîo et corpori plurimum nocet. Quoniã autẽ qualitatum diuersitas, colorum quoq; ac saporum diuersitatẽ affert, suus è tũ color, tũ sapor Saturno attribuentus est. Quo circa neq; de saporibus dulcis, q̄ humidi calidiq; plurimum habet, uerũ acerbis, q̄ et siccus est admodum, atq; ad maturitatẽ non dũ uenit, et tactu linguã id est uim illã de gustandi saporis astringit, et tanq̄ obstipat, quod est proprium siccitatis atq; immaturi, Saturni proprius sapor est, qui de Græco etiam uerbo *στυπτικός* a medicis nostri temporis dicitur, cum dulcis utiq; saporis sit laxare linguã, uehementiusq; aperire propter humidum calidumq; abũde simul mixtum, contra siccitatem sit acerbioris cogere, atq; contra here propter aridi concretumq; atq; (ut proprie magis loquar) ob crudum immaturumq; conditionem. Sapore hunc Neapolitani Ponticum (ut ar-

bitror) à pungendo dicunt, quo uerbo medici quoq; præsertim Cæpani libenter utuntur. Is autem sapor neq; linguam acuit, neq; eo lingua acet, ut acidus dici recte queat, quando ab acendo acidum dicitur, indeq; etiam acetum, neq; acer est. cum acria sint calidiuscula, ac non nunquam sternutamentum moueant, neq; austerus est, quanquam huic quàm illis propinquior uidetur. Siquidè austerus neq; dulcia sunt, neq; aut acida aut acria, qui saporis aut blandiuntur linguæ, qd præstant dulcia, aut eam cogunt acescere, & tanquam à sensu ipso abhorrere, quod est acidi saporis proprium, aut linguam ipsam sic afficiunt, ut aliquantulum calfaciant, non nunquam etiam suburant, quod acer quidem sapor efficit, neq; (ut eodem redeamus) est asper, cui quod lenè aut mite est, opponitur. ac tamen si asperitas ipsa ad tactum magis refertur, quàm ad saporem, tamen & gustatus quoq; ipse tactus est. Verum sapor hic, quem tum acerbum, tum ponticum, aut stypticum nouis appellationibus dicimus, linguam ipsam ita pungit, aut potius submordicat, ut neq; sapor ipse reformidetur ut acidus, neq; eo relaxetur lingua. qd euenit gustatis dulcibus, qn potius de submordicatõe illa gustandi uis astrigitur, neq; mō ullo sensus ipse offenditur. Hanc ipsam gustandi affectionē, ea quæ concocta nō dū sunt, neq; maturitatē adhuc sentiunt, id est quæ acerbæ sunt inducūt. Hi autem saporis in uino maxime distinguuntur, cum uina quædam sint dulcia, quædam acida, quædam acria, & (ut hodie non nulli parum in loquēdo cauti appellant) fumosa, quædam lenia, aut contra aspera, atq; alio noīe immatura. quæ tamen in ipsis dolijs sensim æstate maturescunt, sunt etiam quædam austeræ, quæ medium quasi quoddam inter hæc retinent, habenturq; à medicis magno pere salubria, quorū sapor pontico huic finitimus est. de quo quidem hæc nunc differimus, quoniam non uidemus de hoc genere saporis à maioribus nostris ita disputatum, ut sapor hic ponticus distinguatur ab austero aperta ac discreta quadam possit differentia. cum ponticus quàm austerus longe magis astringat, sentiaturq; in eo maior quædam siccitas, quam lingua etiā gustatu ipso refert. quod in demorso mansoq; cydonio manifestissime sentitur. Ad hæc in hominū moribus institutionibusq; aliud est quod austerū, aliud quod siccum dicitur, abest enim à madore siccitas, unde siccū sobriū dicuntur, austeritas à lenitate recedit, inde austeri dicti qui paulo seueriores sunt. Quin etiam inueniendū uina quædam lenia, quæ post ad austeritatem transeunt, cum eadem ipsa lenia ponticum acerbūq; saporem nunquam assumant. Nec uero alienum uidetur, quid medici de saporibus ipsis sentiant, paucis referre. Omnino enim fieri saporem

fieri saporem uolunt terrena è materia, eamq; aut crassam esse, ac spissam, aut tenuem ac subtilem, aut forte inter has ipsas qualitates mediā, eandem quoq; materiam aut calidam esse, aut frigidam, aut temperatam. Itaq; terrena è materia quæ crassa & spissa est, dum tamen sit calida, saporem educi amarum illum quidem, at frigida ubi fuerit, ponticum, hoc est acerbum, de quo satis multa iam diximus, dulcem uero è temperata & media. Tenuis uero ac subtilis materia cum fuerit, simul & calida, ex ea saporem existere acrē, quē et acutum nominant, at cum frigida, acidum, quæ si æqualis et media fuerit, unctosum & pinguem, ex ea autem quæ mediū inter spissum tenet ac subtile, sic calida ipsa est, saporem inde salsum exprim, sine frigida, stypticum, de quo diximus, quod à potico aliquantum distet, at ubi media, insipidum eundem ac fatuum. Acrem autem saporem amaro longe calidiorē, salsum uero ab utroq; calore superari, contra ponticum styptico frigidiorē, utriq; uero cedere in frigore acidū. E' coloribus autem neq; uiridis Saturno dedicari potest, quod humidū plurimum habeat in se, neq; rufus, quod ignei succi abunde multum neq; niger, cum luce maxime aduersetur densitate sua, ac purpureus fiat è nigro à luce postillustrato, atq; ubi lucis aliquanto plus accesserit, transeat in croceum. Itaq; qui Græco nomine ωχρὸς est, nostro pallidus ac subliuidus, atq; ut proprie magis loquamur, plūbeus, Saturno addictus est color, quemadmodū è saporibus stypticus atq; acerbus, quē colorem radij quoq; eius penè representant, est autem color hic terreni maxime coloris similis. Terra enim exiata atq; in puluerem redacta colorem hunc aut huius maxime similem refert, ita enim malbescit, ut liuore tamen quodam retento perpalleat. Nec uero prætermittenda duximus quæ à Ptolemæo de Saturni stella scribuntur tanquam ab optimo disciplinæ huius authore tradita, prætereūtes tamen non pauca, quæ ab eiusdem authoris studiosis aniliter quidem suggeruntur ut pote rerum naturæ parum peritis, quasdamq; coniecturas, potius quàm aut rationem aut naturā sequentibus. Quoties igitur Saturnus in alicuius genitura ita sibi dominatum arrogauerit, ut solus ipse in tota configuratione, & quo ad cardines spectat, et quo ad motum ac progressionem suā, item quo ad aspectus, reliquamq; positurā, cum Sole præsertim ac Luna nec non cum Mercurio, qui rationis author est, opportune dominanterq; se habeat, quadamq; quasi cum maiestate præsit, ex ipsius Ptolemæi sententia, natos faciet sui ipsius amatores, sibiq; uacantes, pertinaces, abunde sapientes, austeros, suæ sententiæ addictos, laboriosos, dispensatores, animaduersores, aff. 10

entes, auaros, uehementes, pecuniarū a ggestores, inuidos. Cōtra uera ubi stella ipsa Saturni iacuerit, faciet sordidos, attenuatos, suæ et seictiæ addictos, inuidos, meticulosos, seductores, maledicos, solitarios, luctuosos, impudentes, superstiosos, laboribus deditos, sine affectione, insidiatores domesticorum, tristes, suiq; met osores.

De Ioue.

Iouis stella quod humido calidoq; humori præsidet, putatur et præesse liberorum procreationi, ac genitali semini, pariq; in generatione opera et Soli propter caloris sui temperantiã, et Lunæ propter humiditatem moderatiõem adinoculari. Itaq; non iniuria sobolis ad Iouem procreationis potestas, primaq; existit prærogatiua, sicuti penes cor ac cerebrū uitæ, atq; animalitatis. Quod si de rebus his coelestibus hunc in modum loqui mihi fas sit, quod semen genitale maribus præstat officium, quod manus, quodq; instrumenta ipsis artificibus, uidetur illud ipsum Iupiter in generatione Soli præstare. Etenim genitalis seminis cum sit calida humidaq; natura, insiti autem caloris uis cum sit moderata et temperans, retineatq; certum quasi terminum in humido calfaciendo, iure uidetur Iupiter ob insitam peculiaremq; temperantiã Soli, ut ita dixerim, semen subministrare, eum quoq; aduersus Lunam se se gerere, quale se se gerit semen ipsum in muliebri menstruaq; materia, quam ipse calefaciendo et concoquendo sensim afficit ab insita quidẽ sibi facultate ac ui. Cũ semen ipsum, si Aristoteli credimus, excrementũ sit alimenti sanguinei probe concocti atq; ad exactũ defecati. Loquimur autem de his atq; differimus hunc in modum, ueniam a lectoribus exposcentes, coelestia enim ac superna inferioribus aut coaptare, aut comparare est omnino difficile, et fortasse accommodare fieri quoquoersum nequit. Eadem stella propter summum radiorum temperamentum et benefica et felix dicta est, atq; a iuuanõdo nomen duxit, ab eius enim moderatiõne, salutariq; aspectu plurima in animis hominũ insunduntur bona, ut æquitas, rectitudoq; iudiciorũ, ut iuxta, honestiq; ac ueritatis studium, ut amicitiarum, familiaritatumq; appetitio atq; conseruatio, fratrum quoq; ac cognatorũ complexio et in eosdem beneuolentia, ut beneficentia, liberalitas, probitas, fides, promissorumq; obseruantia. Humorũ enim quibus præest moderatio, stellæq; ipsis uis propria moderatas et commotiones in animis faciunt, easdẽq; cõponunt, hacq; è re actiones ipsæ commotionibus similes proficiuntur tum sequendis honestis, tum etiam fugiendis ac prohibendis turpibus. Purissimus enim cordis ipsius calor, ut inquit Aristote-

les, cum hominis cerebrũ maxime humidum sit, temperamentum profecto intellectus significat. Non iniuria etiã tactus ipse ac uis ea quæ tangendi sensum gignit, stellæ huic ascribitur, nullus enim è sensibus nec prius inhaeret nobis, quàm tactus, nec etiam magis cum nullum quidem sentiens corpus absq; humido calidoq; cui Iupiter præsidet, nullo tali munere fungi queat, nullus etiam aliorum sensuum sine tactu existat, cum eo destituente, uita quoq; corpus destituat. Eiusdem etiã tactus proprium est de calido, frigido, humido, siccatoq; contrarijs qualitatibus è quibus constamus decernere. Si enim Iupiter et genitali semini et foetus procreationi præsidet, quod è foetu prouenit animal, sine tactu esse nulla ratione potest. Itaq; tactui etiam sicuti procreationi Iupiter præsidebit, quin etiam pulmõni atq; arterijs, quæ spiritũ corpori subministrant. Spiritus enim aërius est, nec temere ab antiquis præsidere aëri putatus est Iupiter. Femorum, coxarumq; pedum itẽ cura Ioui tribuitur, propter Sagittarium ac Pisces. Verũ de duodecim signorũ dominatu paulo ante dictum est. E metallis stagno præest, inter sapes dulci de quo paulo ante diximus. Quo fit, ut Iouis stella et uitam nobis afferat, quando ab eo existit procreatio, et illa tueatur. Siquidẽ dulcia potissimũ alunt, cuiusmodi etiã sanguis est, et sapor ipse dulcis è calido atq; humecto gignitur, quæ duo gignendi atq; alendi principia sunt et causæ. Est etiã stellæ huius propriũ moderatiũ Saturni, et Martis puersos conatus. Itaq; eius fauore ac suffragijs recuperatur amissa libertas, reuocatur i patriã exules, principũ iræ mitigatur, sedatur odia, cõponuntur bella, quæq; aduersa ac tristia animum uexabãt, cõmutata post sorte, in letitiã uertuntur ac felicitatẽ, pinde ut exacta iã hycme, pulsusq; frigoribus, appetẽte uere oia mutantur, quæq; terræ sterilitas fuerat, in foecunditatẽ cõuertitur, è tantãq; illa tristitia aër ac terra liberati letari iã incipiunt, et cũ illis ridere simul cuncti. Quoniã autẽ nihil in rebus hominũ aliquãdo cõpit, quod destitutum tandẽ aliquando nõ sit, neq; humidi calidoq; æqualitas esse potest tãta, ut nõ ad corruptionẽ atq; interitũ quãdoq; delabatur, mortes quidẽ illæ quæ a Ioue innuuntur, ortũ ducunt ut è Ptolemæus arbitratur, aut ab angina, qui morbus occupare fauces cõsuevit, neq; respirare animam patitur, Græce ουνάχη est, aut a uicio maloq; pulmõnis affectu, quæ Græce est περιπνομία, aut a neruorum resolutione, quæ interdum totum corpus, interdum ex parte illud occupat, Græco uerbo tum ἀποπληξία, tum παράνοια uocatur, ex hoc etiam genere est corporis ac mentis stupor ille, quo qui affecti sunt, attoniti dicuntur, ex eo sic uocati

quod non nunquam afflatu fulminis malum hoc contingat, neque enim de nihilo à Poëtis fulmina Ioui assignantur, aut etiam à dolore capitis, quæ affectio Græce est *νεφαλαλγία*, aut à nervorum distensione & spasmò, aut à cardiaco morbo, qui (ut Celsus tradit) de nimia corporis imbecillitate, stomachiq; languore proficiscitur, quo fit, ut in ægroto ipso, uenarum exigui atq; imbecilli pulsus sint, sudorq; nimius in partibus corporis superioribus, aut ab illis deniq; corporis affectibus ac morbis, qui ex inflatione, quæq; hodie à medicis nostris uentositus dicitur, oriuntur. Cum autem inflatio fiat ab humido, ubi calor illud exciuit, quod in olla cacaboq; apparet, in quibus intumescit atq; ebullit aqua, igni admotis, iure ad Iouem hæc mortes referuntur, qui humido calidoq; imperitat, iure etiam mortes illæ, quæ à cohibendo atq; corrupendo spiritu eueniunt, cum idem ipse Iupiter spiritui atq; arterijs præsit, quæ humido calidoq; extinctis, ipsæ quoq; extinguuntur. Quod uero ad colorem qui fuscus est, attinet, quoniã humidum abunde in se coactum nigri speciem præfert, quod arborum frondes, herbarum item declarant folia, quæ ubi humidi plurimum suscipere, subni grescere uidentur, quin etiam quoniã calor ubi humidum ipsum temperauit, rarefaciendo nigrorem ipsum disperdit, efficitq; ut quantum ex hac dispersione attri perdidit, albi tantum assumat, itarco fuscus hic color, qui huius est, modi, Ioui et ascribendus uidetur, propter humidi calidiq; admixtum temperamentum. Itaq; natura ipsa duce, quæ fuscæ sunt, perinde ut dulciæ ad Iouem referuntur. De hac autem ipsa Iouis stella ubi sola dominabitur in genituris, opportunèq; in coelo collocata & cum dignitate in configuratione præsidebit, à Ptolemæo sic iraditum est, eos scilicet qui nascuntur, futuros magnanimos, munificos, religiosos, honorificos, uoluptarios, humanos, magnificos, liberos, iustos, magniloquentes, honestos, suis negotijs deditos, misericordes, eloquentiæ studiosos, inuentores, beneuolos, ductores. Contra ubi stella ipsa minime opportune, indigne abiectèq; collocata fuerit, licet sola præsideat, tamen easdem ipsas animorū applicationes et, ut ipse Ptolemæus uocat, *φαντασίαις*, hoc est uisæ, mutabit atq; corrumpet, siquidem sublimia deiiciet, atq; obscurabit illustria, nullo recto iudicio delectuq; adhibito, Itaq; pro magnanimitate subiciet luxum ac prodigiam illam, quam etiam Cicero Græco nomine *ἀσώτως* uocat, Enniusq; luxu perditos uocat *ἀσώτους*, pro religione ac Dei cultu suggeret superstitionem pro prudentia, rusticam quendam pudorem, & (ut ita dixerim) lucifugum, pro honestate non eius quidè usum, sed speciem quandã, ut eã

tantum præ se ferat, re autem ut eius sit ostentator, pro humanitate firmitatem atq; insulsum quandã, ut etiam contemptibilis appareat, pro elegantia ac munditie, uoluptatem conquistam atq; odibilem, pro animi elatione seu magniloquentia stoliditatem, pro libertate licentiã, quæq; his similes affectiones sunt. Omnino autem quod in prole suscipienda, idem in significationibus atq; affectionibus stellarum usuuenit. Vbi enim genitale semè exactissime cõcoctũ fuerit, numerosq; oēs secũ suos habuerit et concoquendi, et constituendi, et secernendi, facultatumq; aliarum, mas utiq; procreabitur, & quidem patris ipsius similis, corpore etiam omni è parte probe constituto. At ubi parũ exacte concoctum, destitutumq; facultatibus concoctionis fuerit, procreatio ipsa in foemnam recidet. Cui si cognatitia facultas desit, foemella ipsa non patris aut proauorũ, sed matris potius similis futura est. Quod si multis à partibus semen destitutum fuerit, numeriq; defuerint illi quidem, qui sexum, qui patrem, paternamq; cognationem referant, quiq; maternam etiam originem, quod uitium etiam insit in materia excrementitia, quæ à foemina sufficitur, proles ipsa nihil paternum nihil maternũ, aut omnino uitium referet, sed ea tantum, quæ hominis id est generis sunt. Eo autem fit, quoniã facultates ipsæ omni ferme è parte defectæ sunt, ut partus quandoq; ipsi mostrosi gignatur. Itaq; planetæ in genituris excellenter collocati, iusq; perinde ac è tribunali dicentes, suãq; cum maiestate, actiones illas quidem præclaras atq; illustres decernunt, mores item spectatos, honores primarios uitamq; omni è parte suo in genere commendabilem promittunt. Mediocriter autem collocati mediocria omnia. Qui si quanquam dominatum sortiti, abiectis tamen in locis humiliter langueant, illustria quidè in obscura, probada in opprobria, uirtutes in uitia cõmutabũt.

De Marte.

Martis stella ignea est, calorq; eius urens, ac propter intemperantiã noxius, quam ob rem præesse putatur bili, quæ rubra dicitur, quin etiam quod propter intemperantiã torrida quædam ei siccitas adiuncta est, malefica atq; infelix, ab eaq; & uitia & mala plurima tum externa, tum etiam corporis atq; animi inferri existimantur, ut bella, rixæ, contentiones, uolentiæ, iurgia, opprobria, contumeliæ, inimiciæ, proscriptiones, exilia, uirginum corruptiones, puerorũ raptus, adulteria, incestus, illegitimi coitus, abortus, perfidia, iracundia, temeritas, stoliditas, audacia, impudentia, implacabilitas, ferocia, grassatides,

latrocinia, furta, prædæ, periuria, vulnera, mutilationes, cædes, incendia, rapinæ, orbitates, cruciatus, tormenta, supplicia, flagellationes, suspēdia, iudicium severæ sententiæ, febres, pustulæ, tubercula, ulcera, carbunculi, inustiones, præcipitationes, casusq; è locis editioribus, damna, periculaq; ex quadrupedibus, ex igni, ferro, ex hominum uolentia, superbia. Itaq; stellæ huius effectiones propter naturalem malignitatem ad corruptionem, quam ad generationem spectare magis uidentur. Licet enim calor generationis principium sit, Martis tamen calor urit, potius quam calefacit, et exiactat magis quam fouet, cū sit igneus neq; ex igni quicquam generetur. Ex intemperato igitur Martis ardore, ac rubræ bilis, cui præest, uehementi commotione in animis hominum excitantur intemperatæ similiter cōmōtiones, quas in compositæ quoq; actiones, uolentiq; atq; inconsiderati sequuntur affectus, unde ira, temeritas, impotentia, sanguinolentia, crudelitasq; proficiunt, è quibus civilibus in rebus atq; in hominū uita mala proueniunt plurima, sanguinis item efferuescentia, bilisq; rufæ inflammatio nimia ab eadem stella defluit, de qua febres oriuntur, diuersaq; morborum genera. E' corporis aut partibus, ipsisq; è sensibus sinistro Mars præest auditui, ut qui a Sole propter calorem in societatem excitandorum sensum receptus fuerit, quodq; Lunæ conditionem sequatur, sinistra illi auris attribuitur. adhæc renibus ac uenis, propter signū quoq; Ariens capiti, propter Scorpionem genitalibus præsidet, E' metallis ferro, an fortasse quod ex ea materia fiunt enses, armaq;, Martis id est bellorum instrumenta? an quod artes eæ quæ igni exercentur, plerisq; ferreis utuntur instrumentis? Dominatur etiam uino, propter propriam qualitatem, E' coloribus uendicauit sibi rutilum, propter ignis similitudinem, è saporibus amarum, qui dulci opponitur, propter calidi exuperantiam, humidisq; defectum atq; exustionem. Quoniam autem belli principia & causæ originem præcipue ducunt ab odio atq; ira, quæ animum ad uindicandum incitat, atq; ab auaritia habendi, eaq; de nimia sanguinis ac bilis calefactione incensa, animum ipsum ad inferendam uim præcipitat, eoq; impellit, ut nihil agi moderatum patiantur, igitur ad Martem rapinæ, bellaq; referuntur, traditumq; est, ob diurnam obseruationem in hominum genituris honores dignitatesq; militares pro qualitate configurationis ab eius stella portēdi. Quoniā autem mors ipsa aut uiolenta est ac ui infertur, aut est naturalis, uide licet cum a' morbis atq; ab annis uita eripitur, quæ mortes aut è ferro uulneribusq; aut ex igne, aut è præcipitatione ac præruptis è locis, aut a' bestijs infliguntur, ad Martem referendæ sunt, ut uiolentū atq;

immanē, simili modo quæ aut tertianis è febribus, hemitriticisq;, nã et hemitritica febres inter tertianas numerantur a' medicis, aut è sanguinis quacunq; profusione, aut ab igni sacro, cancris, ulcerumq; inflammationibus, quicq; morbus ἡ πυοειτίας dicitur a' Græcis, aut a' renum ægritudine, aut ex abortu, aut è partus malignitate, aut è pestilentia, aut deniq; è sanguinis calorisq; maiore exuperantia, præsertim ab insania, quæq; uulgo phrenesis dicitur. Quocirca non iniuria fortasse Porphyrius, ut initio libri huius dixi, sanguinē Martis ascribendū duxit, cum Ptolemæus genitali tantū semini putet Iouē præesse, non sanguini. Quam in re quid ipse sentiam, non fuerit fortasse alienum paucis explicare. Si enim uitæ principia a' calido humidoq; proficiunt, cui humori præfectus est Iupiter, unde tanquam subminister quidam procreandis animalibus Soli Lunæq; attributus est, quodam quasi iure naturæ sanguis Ioui ascribitur, in quo uitalis illa uis humidi calidiq; una coniuncti æqualiter inest. Quod uero accidat in calido humidoq; exuperantiam perinde ut in frigido fieri, ubi calor ille efferbuerit adeo, ut tanquam in flammis euolet, eaq; inflammatio rubram in bilem abeat, iramq; ipsam pronocet, hac ratione & uia placet inflammationem ipsam sanguinis, è qua ira gignitur, ad Martem referri, cuius exuperantia hæc propria est. Perinde enim ut è qualitate in qualitatem, sic ab unius stellæ dominatu ad alterius fit imperium iurisdictionemq; transitio. Annon administradæ iustitiæ qui præsidet, ita quidem illam moderantur, populi ipsius iustitiam, constitutus, decretisq;, ut alij iurisdictionem eam tantum quæ civilis dicitur exercent, eam alij quæ uersatur in puniendis flagitijs ac criminibus? unde criminalis iurisditio uocata est. utraq; tamen potestas adiustitiam pertinet. Quam ob rem sanguis ipse, ac præsertim temperatissimum, & defecatissimū illud semen, quod generationi subministratur, Ioui debentur. Exuperantia autem illa efferuescentis sanguinis, quæ tanta est, ut morbos procreet, Marti iure tribuitur, alteri quidem ut temperanti ac salutari, alteri uero ut intemperanti et noxio. Etenim bilis cui Mars præsidet, excrementum est, quædãq; superfluentia efferuescentis sanguinis, sicuti pituita humentioris, ut pote cui perexiguus calor inest, de caloris namq; egestate atq; carentia frigus existit. Adhæc pituita ut humido frigidoq; abundat plurimum, sic bilis rubra calido atq; arido maxime affluit. Itaq; ut pituita, quod dictum est, Saturno attribuitur, sic bilis Marti attribuitur, cum sit uterq; humor exitiosus, atq; in exuperantiam prolatur. Quoties autem Martis stella sola in genituris

excellenterq; præfedit, perq; opportune in ipsa figura collocabitur, è Ptolemæi sententia, natos faciet potentes, concitatos, bellicosos, uersutos, ualidos, stolidos, incautos, periculis se se obiectantes, indomabiles, peruicaces, promptos, feruidos, arrogantes, tyrannicos, efficaces, iracundos, ductores. At ubi stella ipsa secus se habuerit, crudeles faciet, conuiciatores, sanguinolentos, seditiosos, sumptuosos, clamorosos, percussores, proteruos, uinosos, rapaces, maleficos, immites, præcipitosos, insanos, suorum osores, ac religionis, deiq; contemptores.

De Venere.

Veneris stella propter humidum temperamentum cum sit etiam genitalis ac prolifica, non solum Lunæ ad fouendam humectationem, Soliq; ad informanda corpora, plurimum adiumenti affert, in generatione, uerum propter naturalem benignitatem, salutaris dicta est, atq; inde felix beneficiaq; agnominata. Quemadmodum enim calorem ipsum alium esse qui foueat, alium qui urat, diximus, idem quoq; ipsum de humido affirmandum ducimus. Siquidem et humidum ipsius mensura quedam est, tum in generando et in alendo, tum etiam in corrumpendo. Stella itaq; Veneris ex hac humidum temperatione, insitaq; sibi uis suapte natura benefica est, et salutaris, quod etiam obseruatio tot seculorum docuit, in genituris, uniuersaq; hominum uita. Ne autem a generatione animalis recedamus, quod paulo ante de Ioue, deq; genitali diximus semine, dicemus item de Venere, deq; materia illa excrementitia menstrui sanguinis, cui semine ut materia se insinuat, additus est Iupiter Soli subministrat in suggerendo semine. nam et idem die letatur, Solisq; sequitur conditionem. Et quonia natura ipsa nullam aut gignendi, aut educandi animalis partem necessarijs destitutam præsidijs reliquit, adiuncta quoq; Venus est Lunæ subministra et adiutrix in sufficienda accomodandaq; materia, cum et noctu gaudeat, et Lunæ conditioni sit addicta. Quodq; natura ipsa rerum generationi æqua lance consultum iri uellet, recte a nobis fortasse dictum est aduersus Ptolemæi opinionem, Venerem humidulam esse, ac frigidulam, eamq; seruare mensuram in humido, frigidumq; temperatius, quam in calido et humido Iupiter. Hæc est enim iuxta naturam ipsius perpensio, æquabilisq; circumspectio, et libratio quasi quedam. Quod autem dicimus Venerem roridam esse ac frigidulam, intellegimus uolumus, uti utraq; in qualitate temperamentum retineat suum, quod de uere sentiunt medici, quod ita humidum haberi et calidum

uolunt, ut sit omnino temperatum. Perinde igitur uti parte ex agente, quæ Solis est, ac genitalis seminis, calori inesse oportet mensuram certam terminatamq; in calefaciendo, ne aut remissior si calor sit, quam oportet, det locum frigori, aut ne si feruētior, ushlet potius quam calefaciat. Itidem ex parte patiente quæ quidem est Lunæ ac materiae, frigidum necesse est tantam inesse moderationem, ut nec humidum con crescat, et tanquam gelascit aduersus calorem, eoque insinuationem in se caloris non admittat. Quo circa quod Soli ex parte seminali officium præstat Iupiter, idem Lunæ præstat Venus ex parte materiali. Ut enim caloris potentie admixta est exsiccatio, sic humidum potius refrigeratio coniuncta est. Cum exsiccatio quidem sit a Sole propter calorem, refrigeratio uero a Luna propter humidum. Ab hac autem ipsa Veneris stella propter insitam, uim temperatamq; humectationem (cum materia sit formam appetere, siquidem humidum in generatione, materiae locum ac uim optinet) manant cupiditates atq; oblectamenta. Etenim uoluptas concupitis è rebus capitur, eas ubi adepti sumus. hinc amor, hinc rerum diuersarum quæ uoluptatem afferant, studium, ut munditiarum, ut cultus, ornatusq; ut pigmentorum, ac picturarum, ut leporum, ludorum, histrioniarum. Cum enim natura duce et utilia quæ sunt, et quæ iucunditatem afferunt, appetamus, huic appetitionis parti, quæ iucundi studium habet, Veneris præfere stellam uoluerunt, atq; inde effectum est, ut inter corporis partes, iecur illi attribuerint, in quo cupiditatum titillationes, fomentaq; collocata esse putauere, ut sicuti a corde est uita, quæq; a nobis tam sepe dicta est animalitas, sit a iecinore appetitio, sine qua esse sentiens animal nequeat, unde iecur dictum, quod iuxta id est secundum cordis uires, potestatem suam exerceat, ac tanquam illi assideat, in appetitione suscitanda. Omnis enim appetitio ad uitæ ipsius conseruationem spectat. Post ipsum autem cor iecur maxime omnium sanguine abundat, utiq; existimare uidetur Aristoteles, cæteris è uisceribus præter hoc, animali necessarium est nullum, neq; enim sine appetitione est animal, cum materia è qua constat, formæ sit appetens, nec forma agere nisi subiecta in materia queat. Sanguis autem alimentum est animalis ipsius, cuius ut proprium est alere, sic iecinoris, quod eo abundat, appetere. Animalium autem appetitioni Venus præposita est, atq; hinc habitæ uoluptatum ministra. Ascribitur etiam stellæ huic odorandi sensus, ex ijs profecto rebus quæ extrinsecus insistentes, ac sensum ipsum uoluptate afficientes deliniunt animal. Ac mihi quidem nec fortasse inconanne ea quæ odoratum mouent, duplici uidentur ra-

tione partienda, ut altera scilicet sensum moueant, alendi ac pascen-
 di corporis peculiari cupiditate, insitoq; a natura studio, quales sunt
 dapes, cibiq; gustum excitantes, cum etiã uideamus uultures, miluios,
 simas, lupos olfactu ipso trahi ad gustum ac pastum, altera quæ tan-
 tummodo delectent, ut amatoria odoramenta, quæq; ad solam nariũ
 uoluptatem uidentur comparata, etsi & hæc quoq; ad alimoniam cor-
 poris non nihil conferunt. Iure igitur uis hæc odorandi ad Venerem
 relata est ab antiquis disciplinae huius scriptoribus, iure etiam caro
 ipsa quæ corpus totum in glutinat Veneri ascribitur, in qua uolupta-
 tum incitamenta posita sunt, & tanquam ab ea pullulant. Etenim ut
 irascendi Martis stellæ, ratiocinandi Mercurij, sic syderi huic appe-
 tendi uis ascripta est. Quibus de rebus post cum de hominum loque-
 mur artificijs, uberius fortasse differemus. E corporis etiam parti-
 bus præposita est collo propter Taurum, & clunibus, uertebusq; pro-
 pter Libram, E domestica supellectile gemmis, unionibus, toreumati-
 bus, ornamentis, quæq; alia generis huius in delicijs habentur, ac de-
 lectionem afferunt. E fortunis prædiorum, oleo fortasse, propter sa-
 poris qualitatem, quodq; observatio ipsa sic docuerit. E coloribus al-
 bo, nam & aqua quæ humida & frigens est, ubi concreuit, alba effi-
 citur. Sunt qui arbitrentur uiridem colorem Veneri attribuendum,
 album uero Lunæ. Vtraq; autem attributio, propter humidi naturã,
 ac frigidi, non caret ratione. E saporibus pingui, cum enim Ioui tri-
 buantur dulcia, propter calidi humidiq; temperamentum, non imme-
 rito Veneri tribuuntur ea quæ pinguius sunt saporis, quando sub eo-
 dem dulcis genere collocantur & pinguia. Et medica, ut dictum iam
 est, asseuerant, e tenui subtiliq; materia ubi tamen media inter calorem
 ac frigus æque fuerit, pinguem saporem confici. Quo autem genere
 mortis quispiam interiturus sit, ubi eius in genitura Venus signifi-
 cationem assumpserit, declaratur ab ijs morbis, qui ab illa denuntian-
 tur, hoc est à mala stomachi, iecinorisq; affectione, atq; ab alui profu-
 sione, ut Ptolemæus arbitratur, item à fistulis, potionibus, ueneficijs,
 lichenibus, quem morbum Tiberij Cæsaris principatu in Italiam ir-
 repisse Plinius est author, appellatumq; mentagram, ut prodagram,
 quod à mento plerumq; incipiens, os deinde, uultumq; omnem occupa-
 ret, moxq; in colla, pectus, ac manus descendens serperet, contagio-
 neq; alios præsertim osculando inficeret, quodq; ei malo nullum in
 initio inueniretur remedium, ex Aegypto, unde morbus transierat,
 medicos euocatos fuisse. Hunc eundem morbum post tot etiam secula re-
 gressum in Italiã sunt q arbitrentur, in gruente in regnum Neapoli

annum Carolo Octauo Gallorum Rege, cum ingentibus copijs terre-
 stri itinere, contra uero ingenti nauium numero suppetias ferente Fer-
 dinando Hispaniarum Rege, quo tempore permulti & Galli & Hi-
 spani milites eo morbo correpti Sicilia, Italiæq; partem non parnam
 denuo infecere, quam ob causam hic ipse morbus ab alijs Gallicus,
 Hispanicus ab alijs hodie uocatur, teter sane atque abominabi-
 lis, siue ipse idem, siue alius sit à lichenibus. Ab omnibus de-
 nique declaratur morbis, qui de nimia humiditate, eiusue cor-
 ruptione gignantur. Etenim Venus humido etiam præest, ut Lunæ
 socia, ut eius in suggerenda materia subministra. De cuius sydere,
 ubi in figura geniturae digne excellenterq; collocatum fuerit, ipsumq;
 solum dominabitur, hæc à Ptolemæo traduntur, eos scilicet qui na-
 scuntur futuros mansuetos, bonos, deliciosos, sociabiles, facundos, com-
 ptes, puros, saltatores, æmulatores, prauorum osores, artificiosos, de-
 centes, appetentes, beneficos item, ac misericordes, contractandis re-
 bus aptos ac uoti compotes, Veneriq; omnino deditos, quorum etiam
 affectiones non modo propensæ sint ad beneuolentiã, familiaremq; con-
 suetudinem, uerum etiam nocturna eorum uisa iucunda, læta, quæq;
 bonam ubiq; spem polliceantur, Secus autem, facit desidiosos, amato-
 res, mulierosos, uxorios, nihil audentes, abiectos, uituperabiles, obscu-
 ros, ac probrosos.

De Mercurio.

Mercurij stella uersatilis naturæ cum sit, pro stellarum quidem aliarũ
 configuratione, in has illasue qualitates magis minusue conuertitur,
 nihilominus proprium est eius imperium in ijs maxime quæ ra-
 tioni subiecta sunt atq; orationi, quæ re & disciplinarum inuen-
 tor Mercurius dicitur, & deorum ipsorum nuntius habitus, pro-
 pter rationem scilicet atq; orationem, quibus præsidet. Humor enim
 ille qui ab hac stella excitatur, maxime penetrabilis & acutus cum
 sit, hominum cogitationes (homo enim animantium unus, ut oratione
 sic et cogitatione utitur) ad inquirendũ atq; ad contemplandũ incitat,
 et ad ea quæ ipse inuenit, ac contemplatus est, alijs atq; alijs explican-
 da. Nam quod homines sciendi cum primis cupiditate teneantur, ab
 hac ipsa stella, excitatoq; ab ea humore potissimum proficiunt, atq;
 hinc progressa ratio, rerũq; cognitio lingue officio post depromitur
 inter mortales, fitq; hac uia ministerioq; rationis inter eos communi

ratio, unde homo rationabile agnominatum est animal. Cui sane quæ soli data est ratio, data etiam soli est locutio, et ea quæ ratio ratio dicitur. Itaque fortasse non improprie orationale etiam animal dici atque finiri potest. Est autem Mercurialis humoris propter propriam agilitatem excitare spiritus, quæ in re Soli cum primis opitulatur ex eaque commotione uidendi vis illa, quæ Græco nomine *φάρμακία* est, et concitatur et acuitur. Quo fit, ut animus peruestigando ad rerum cognitionem scientiamque perueniat, dum quaerendo inuenit, inueniendo cognoscit, ex eaque cognitione sciens efficitur. Itaque non temere humor ille de quo paulo ante differuimus, cum de Saturni stella mentio facta est, Mercurij stellæ adiçitur, quanquam et Saturnus eidem præesse iure ipso, naturæque similitudine potissimum existimandus est. Nam et cogitationes ab illo excitæ nascuntur à Saturno stabilitatem, efficiunturque tenaces admodum ac fixæ, atque, ut ita dixerim, peruicaces propter terrenæ ariditatis qualitatem ac firmitudinem, à Mercurio uero celeritatem atque acumen sibi uendicant, siquidem ab eius stellæ calore siccitas illa incenditur, ignis enim et cito mouetur, et penetrat, atque ob hanc ipsam uim Mercurij natura retorrída esse dicitur, quod calidi siccique plurimum exuscitet, quodque irradiatione sua qualitatem hanc generationis tempore foetibus ipsis, sanguinique infundat. Atque hinc rationalis animæ uis stellæ ipsius adiçitur, itemque oratio, quæ conceptæ rationis explicatrix est. Artes quoque omnes, in quibus ratio plurimum ualet, eaque præsertim, quæ in numeris, in mensuris, in mercatura, commutationeque uersantur, Disciplinæ item omnes ad Mercurij stellam referuntur, de quibus post uberius, cum de artibus, quæ ab hac stella portenduntur in genituris, explicabimus. Sermo autem hoc est oratio, ut dictum est, uisque intellegendi cum deditur Mercurio, merito etiam lingua, quæ rationis atque intelligentiæ ministra est, eidem addicitur, fel quoque propter humoris melancholicæ qualitatem de qua multa diximus. Aristoteles autem putat fel nullius gratia sensus esse, nullumque eius ad sentiendum officium, eoque errasse qui sentirent partem animæ quandam in iecanore sitam mordicando ab eo excitari. Cum equi, muli, asini, cerui, felle careant, quædamque animalia affixum illud iecanori neutique habeant, uerum aut dispersum, conclusumque uenulis quibusdam, aut per intestina discretum, cum est ex hominibus reperti sint quæ felle uacui essent. Quo circa excrementum esse ait purgantibus se iecanoris, non fecus atque alui sordem, intestinorumque sedimentum. Nec desunt qui nares quoque ascribendas Mercurio putent, quæ olfactui subministrant, ut enim odores sentiantur, calido siccisque in primis opus est. Et metallis autem liquido

aut liquido plumbo Mercurius præsidet. est substantia numis propter commutationem, est membris corporis, humerus brachij, manus, digitis propter Gemmarum signum, adde et præcordijs propter Virginem, et quoniam orationis ac sermonis arbiter est, commercia quæ officio sermonis exercentur, stellæ quoque attributa sunt eius. Portenduntur autem ab eadem hac stella genera mortis illa, quæ de mentis alienatione, stupore, delirioque eueniunt, de morbo item comitiali, tussi, spūto, morbisque alijs que ab atra bile profecti melancholici dicuntur à medicis, quæ in re à Saturno neutique dissentit. Nam etsi atræ bili uniuersim Saturnus imperitat, Mars rufæ, ea tamen quæ facile, uehementerque incenditur, ac multum habet retorrída, Mercurio tribuenda est. Nam etsi aurum Soli dicitur, numus tamen aureus, ut argenteus atque æreus Mercurio ascribitur. Ager etenim Neapolitanus cum regi subijciatur, prædium tamen Antinianum quod est a gri Neapolitani meum est, quique inde proueniunt fructus mei. morbi que item ipsi coniuncti, atque ab uno tanquam riuo defluentes, nil mirum si ad utranque stellam, aut ad ipsarum alteram pro genitura configuratione referuntur. nam et uitia et uirtutes quædam sunt sibi finitimæ. Item colores, sapes, tactus, anaphoreticæ ite affectiones, Mercurij stellæ referendæ sunt. Cuius astrum est Ptolemæi sententia opportune insigniterque in genituris collocatum, si solum, quaque oportet potestatis suæ excellentia configurationi præfuerit, natos faciet intellegentes, ingeniosos, sagaces, æmulatores beneficos, computatores, coniectores, contemplatores, mathematicos, mysteriosos, uoti compotes. Vbi uero secus abiectumque se habuerit in figura, uastros faciet, proteruos, obliuiosos, impetuosos, inanes, leucs, quos ob animi inconstantiam incepti, paulo post pœniteat. Idem ipsi sub fatuorum speciem erunt nequam, maligni, proque configurationis abiectioe insipientes, mendosi, mendaces, instabiles, infidi, iniuxti, quique excellere ac præesse quoquo modo aueant, cogitationibus uero adeo dubijs ac periculosis, ut inde de gradu suo deiectione sæpenumero maximas in calamitates incidant.

Nedum autem cœli, quæque cœlo feruntur stellarum uires, effectiones, facultates, earumque causæ ignotæ non paucae nobis sunt, sed est rebus etiam inferioribus, quæque sensibus subijciuntur, earum causæ per multæ adhuc incomprehensæ. Itaque ut in ijs sensus multa quidem ipse assequitur, quorum causæ tamen parum omnino compertæ sunt, sic obseruatio remotissimorum temporum magistræ quasi quædam rerum sese plurimarum exhibet. Quid enim apparet causæ cur dextera potius auris quam sinistra Saturno ascribatur, Marti uero sinistra aut audi-

tus magis quam odoratus utriusque cum & audiendi, & olfaciendi instrumenta id est meatus illi, & ductus quasi quidam, aeris ipsi sunt. Neque enim sonus nisi in uacuo, concavoque fieri potest, quae loca ab aere occupantur, neque olfactus nisi per aërem ac per nares, quae uacuae & ipsae quoque sunt. Adhuc aër hic ipse, coeli erraticarumque omnium com motionibus aequè subiectus ac parens est, qui cum sit calidus atque humidus, Saturnus tamen frigidus & siccus, Mars uero calori addiderit siccitatem, eo fit, ut uterque siccitate, alter etiam frigiditate, aëris ad uersetur qualitati. Cur igitur in auditu auctoritatis plus habere Mars, Saturnusque existimandi, quam Iupiter, quam Venus, quorum alter aëriam ex utraque qualitate temperationem amplectitur, altera per humiditatem cum illo congruit. Nam quod auris dextera tribuitur Saturno, potest hoc diurnae conditioni ascribi, dextera enim Solis sunt, cum nocturnam Mars, hoc est Lunae conditionem sequatur, cui sinistra dedicantur. Verum his in rebus ea ut habeatur quae debet, quaeque potest ratio, considerandum est, in animalibus procreandis a corde animal ipsum constitui, quod de sanguine constitutum eodem quoque uiget, animaturque ac per uenas arteriasque uiscerum ministerio ac praecordiorum alit, atque conseruat. Et idem Sol naturam hanc inferiorem, subiectaque haec corpora informat calore suo, erraticarum etiam ministerijs usus, signifero cum primis operam suam conferente. Quis autem causam sibi prospectam omnique parte notam afferet, cur quassiam naribus ubi caseum admoerit, nauseet, euomatque illico? qualem ipsi nouimus hominem, cum praesertim caseus est lacte cogatur, quod primum hominis alimentum est. Cur aliquis ad rutae olfactum repente concidat? Habui ego catulum indelicis, qui statim ex aedibus se proripiebat, ubi edendam gallinae pulli carnem obiecissim. Ladislai Neapolitanorum regis tempore, est familia Tomacellorum Neapoli fuit quae nunquam potum hauserit, cumque a rege in conuiuium adhibitus rogatu eius poculum tentasset, non mediocriter inde affectus indoluit. contingunt & multa talia, quae sentiuntur quidem, particulares tamen eorum atque enucleate nesciuntur causae. Amplissimos viros referentes audiui, uidisse se in Hispania ulteriore puellam, quae comederet nihil, haustuque tantum aquae uiueret, esseque tum cum eam uiderunt duorum ac uiginti annorum. Ex observatione igitur quia sit animaduersum Saturnum ac Martem obesse auribus, morbosque earum ac uitia, a malo illorum statu, configuratioque oriri, hinc traditum atque acceptum est, in ijs quae ad aures atque ad auditum pertinent, Saturni statum ac Martis in genituris obseruandum esse. quid enim causae, cum Veneri olfactus sit at

tributus, ut nares quae instrumenta odoratus sunt, Mercurio, uti Ptolemaeo placet, assignentur. instrumentum enim artificem sequi suum debet. uidelicet quod obseruatione prospectum sit ipsa, malum in genituris Mercurij habitum, uitium post modum aegritudinem uel aliquam in naribus peperisse. Multa quoque eiusmodi traduntur his aliisque in rebus ab obseruatione magis quam a naturalis causae cognitione deducta. Cum enim effectus sit ipse posterior, ratio tamen causaque illius minime apparuerit, idemque ipse effectus aut semper aut plerumque successerit iam atque succedat, standum uidetur obseruationi, nec si quandoque rarissime tamen ea fallat, aut accusanda ex eo uidentur, aut reijcienda omnino. Nam et in animalium generatione, quae naturalem sequitur constitutionem, aliquando etiam accidit, uti natura ipsa ab ordine diuertat suo. Sed iam ab erraticis ipsis ad signiferum transeamus.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
 MARCVM MVSVRVM DE RE
 BVSVS COELESTIBVS
 LIBER QVINTVS.

¶ *Voniam in explicandis naturis signorū que in orbe constituta sunt signifero, in uentorum sepe numero mentionem incidendū est, non ab re fortasse uidebitur Marce Musure, cum scriptorum de his opiniones tantopere dissentiant, si pauca prius quā de signis ipsis dico, explicatius disseruerim, meamq; si non sententiā, per pensionem tamen potius quasi quandam, in tanta opinionum diuersitate attulerim. Non quod præferri meam aut ipse uelim alijs, aut contendam, uerum ut collatis simul alijs, qui hæc legerint, possint iudicium quiq; suum maiori penso adhibito temperare. Nam eistea quæ supra de uentis diximus, Aristotelis maxime dictis conueniunt, tamen de signorum triangularitatibus, de errantium effectibus magna est inter scriptores ipsos controuersia, cum idem etiam uentus uarias subinde qualitates suscipiant, pro naturis regionum ac locorum situ, neq; idem ipse uentus eodē tempore finitimus perftet in locis, cum etiam è uentis ipsis quidam terris quibusdam peculiare sint, ac certo tantum constitutoq; spirent tempore. Quocirca de toto hoc tractatu pauca quædam, eaq; uniuersim non tam præcipiam, quā ad monebo iudicantes, eaq; sunt huiusmodi. Terræ anhelatio cum sit duplex, altera quidem calida & sicca, quæq; suo nomine dicitur aspiratio, altera humens & calida, cui nomen est euaporatio, utriusq; in aërem subducendæ propter calorem auctor est Sol, cum autem similia naturaliter conferant similibus, subducendæ quidem aspirationi præsto sunt Mars ac Mercurius, Solis ipsius suffragatores propter calidi societatem & item siccitatem, euaporationi uero, quæq; etiam exhalatio dicitur, Luna & Venus propter humidum, quo utriusq; lætatur stella, signa etiam ipsa. Nam et situs, & locorum ratio adiumenti plurimum afferunt, & utranq; ad anhelationem summum in modum conferunt. Ipsorum enim signorum alia terræ naturam fouent, alia aëris, aquarum alia, aut ignis. Calore igitur ac siccitate prædita Marti ac Mercurio uires maiores suggerunt, aquatica Luna ac Ven-*
 ri, terrena

ri, terrena Saturno, licet senex hic obstringere uideatur potius quā laxare, aut sursum ab imo educere, tamen a Sole calefactus, & ipse quoq; Soli uires adiungit. Quæ aëria sunt plurimum et ipsa Soli materiae sufficiunt ciendis flatibus. calor enim humidum mouet, quæ è commotione flatus gignitur. quod uidemus in ollis & cacabis bullientibus. Quocirca & Iupiter qui calidæ humidæq; nature præsidet, maiores hinc sibi uires assumit, quas Soli etiam communicet, in aëre q; ipso exerceat, utrunq; ad halitum educendum. Ad hæc quemadmodū suo etiam loco dicemus, signa quædam sponte sua, alia è parte quadam, ex toto alia uentos ciunt. Cardines item ipsi non tenui adiumento sunt, cum siccus sit ortus, meridies calidus, occasus humidus, septentrio uero frigeat, eamq; ob rem cœli cardines qualitatem quisq; sua uentis impertiat inde flantibus. Itaq; & ortus dicitur est Soli propter siccitatem, quæq; inde lux emicet at occasus Lunæ, propter humiditatem, quædo etiam tenebræ ab eo erumpunt. Hæc autem a nobis in hanc qui dē sententiā physicas a rationibus neutiq; ab horretia dicta sunt. Parte ex alia sunt qui assueverunt Iouem tota cum triangularitate ignea excitare uentos a septentrione, qui frigidi sunt et siccitatis, quæ qualitates tum Ioui, tum triangularitati igneæ tota fronte aduersantur. Martem autem cum triangularitate aquatica euocare flatus ab occasu humidos quidem ac frigidos, cum sit Mars ipse & uisilans et exicans. quid tam omnino inter se dissentiens? triangularitatē uero terrenam quamuis frigidam & arcantem, Veneris tamen stellæ addicunt licet humidæ, eamq; excitandis austris præficiunt, calido et humido præditi. At Saturnū cum triangularitate illa aërea statuunt subsolani excitatores ob unam ipsam peculiaremq; siccitatem. quæ in re solam noctis dieiq; conditionē sequuntur. Nec uero Aegyptij scriptores dubitant septentrionalis uentos salubres esse dicere ac temperatos, quia Iouis stella illorū suscitatrix salutaris sit, ac maxime temperata. At qui in Britania, Germania, finitimusq; in regionibus sunt, ij quidem turbulentissimi planeq; intemperantissimi propter nubes ac frigora, cum natura Iouis tranquilla sit ac moderata. Quod igitur situs ipse, quodq; spatium terrarum efficit, Iouis moderationi attribunt. Nā & auster ubi oritur nequaquam in Italia, aestuat, neq; tam ualide humet, ac fortasse pluuus minime illic est. subsolanus quoq; qui in ortu oppido q̄ est aridus, ingentissimos solet hymbres diffundere nostris in regionibus quos colligit in aduentu. Sunt qui flatē a meridie spiritum Marti assignent, ab occasu uero Saturno. Nec desunt qui primam triangularitatem ex Ariete, Leone, & Sagittario

addicant ortui, uelintq; cum Sole illam ac Ioue dominus, cumq; Saturno eiusdem partem euocare uentos à mundi exortu. Secundam triangularitatem è Tauro, Virgine, & Capricorno, eiusq; dominos Venerem, ac Lunam, Martemq; eiusdem partem excire flatus meridianos, Tertiam triangularitatem è Geminis, libra et aquario, Saturnumq; ac Mercurium eius dominos cum Ioue partem uentos agere ab ortu. Quartam deniq; triangularitatem è Cancro, Scorpio, et Piscibus cum eius dominis Venere, ac Marte, & Luna sociis flatus à septentrionis cardine suscitare. Hæc autem quætopere ipsa inter se penè di gladiantur, contrarias ob qualitates, facile est iudicatu. Ecce alius quàm affert diuersa, inquiens, Ariès medium tenet orientis cardinis exortuq; subsolanum. Assistit Arieti à parte dextra Sagittarius, à quo effiatur uentus illi propinquior inter ortum ac meridiem nomine suo eurus. à sinistra Leo, de quo fluit uentus ei propior à septentrione, cui nomen est uulturnus. Itaq; ab hac una triangularitate tres hi uenti emittuntur, perinde ac tribus è coniunctis cardinibus. À secunda triangularitate uentos fluere meridianos existimat, à Capricorno quidem quod cardinem tenet, austrum, à Tauro qui astat ei à sinistra euronotum, qui ei propior est à parte orientis, à Virgine quæ è ad dextram propius assistentem ei, occasum uersus, libonotum. À tertia triangularitate oriri uult, de Libra scilicet, quæ cardinem illum obtinet, fauonium, ab Aquario qui adest illi propius ad sinistra, septentrionem uersus, argestem, qui ab ea parte propinquior est, à Geminis africum, quæ est illi coniunctior à parte dextera ad meridiem. De quarta triangularitate putat effiari à Cancro, qui tenet septentrionis centrum, uentum eum, cui nomen inde est septentrio, à Scorpio qui statim adest ei à leua uersus ortum, aquilonem, à Piscibus arcium propinquior è illi uentum, occasum uersus à dextera. Quis igitur inter tam dissidentes secum opiniones, de uentis iudicare recte poterit? cum nullæ ex his rationes bene sibi, firmiterq; inter se quaq; è parte consistant. Nec nos uisum, qui in re tam incerta et lubrica certam ferre sententiam aut possumus, aut audeamus. Cum præsepe regionis qualitas aduersetur cardinis qualitati. Nam et auster qua uergit in meridiem Sicilia, abunde aridus est, contra septentrio pluuus, maximeq; procellosus. cum in Campania alter quidem sit summum in modum humidus ac turbulentus, alter uero aridus ac sevens. Principio uentorum omnium materia è qua ipsi constant, summa est, calida quæ ac siccata, euehitq; secum terrenæ qualitatis non modicum, è terra enim aspirat, unde hic ipse halitus aspiratio dicta est, quæ neq; educi sursum posset, neq; agitari, tam ualide quæ agitur dextra sinistraq;

nisi ob ingenitam siccitatem. ob quam unam, tantum aspiratio ipsa sibi caloris arripit, ut uehementius calefacta eò deferatur, quo Solis eam calor euexerit. Cardines autem et ipsi sua quæque qualitate præditi sunt. cuius quædam res idem sol auctor est et causa. Caloris enim atq; aduentus ad nos Solis perpetua continuatio siccitatem parit. qua de re ut orientis cæli cardo siccus est, sic è contrario humidus occidentis. ut enim præsentia Solis atq; aduentus calorem adducit, calor autem siccitatem, sic absentia ac remotio humiditatem, humiditas uero frigus. Duoq; hi cardines inuicem sibi aduersantes, quo reliqui et duo sibi aduersentur, efficiunt. Sole siquidem longius à septentrione digresso, necesse est septentrionalis plagam nimio plus algere, præque frigore ac gelu illam et siccari et cogi supremum in modum, contra meridiana terræ tractum incallescere uehementius ac relaxari, deque finitimo occasu humidi secum multum asciscere. Horum autem omnium Solis, ut dictum est, præsentia aut absentia, propinquitas aut remotio causa est, id quæ anni ipsius partes uer autumnus, hyems, æstas ite edocent. Neque cardines igitur, neque signa per se hoc præstant, adiunat tamen, sed Solis ipsius per signa, perque cardines, siue illos uersus peragratio, uigorq; illi inditus, quippe quæ mundi est ipsius cor, elementariumq; commotionum principium, ac rerum inferiorum primaria causa, à qua manet et cæteræ. In prædicendis igitur uentis præcipe Sol loco autem dedus est, cursusq; ipse prædicendi ad Solem quasi ad metam dirigendus est certam. Erratica deinde sidera præsertim Mars ac Mercurius probe consideranda, quæ loca teneant, quæ et ferantur ratione aut regione cæli. Nam etsi Saturni frigida et siccata natura est, quæ sua quædam sponte cogit atq; agglutinat, eius in radij à Sole calefacti, et ipsi quoque foris externo hoc admuniculo (motus siquidem calorem exuscitati) et subrahunt sursum, et agitant et palanter. Quocirca in hac tam difficili consideratione et causa, erratum stellarum omnium status, habitus, situs, collocatio, configuratio inter se, et in his Saturni quoque partes examinandæ sunt, quæ et è planetis ipsis pollere, et tanquam dominari inter alios uideatur. Quibus recte simul ac diligenter perpensis, terrarum inde situs, regionum habitus, anni partes aduertendæ diligentia summa sunt. Cum sæpenumero sit animaduersum (id quod in quaque etiam regione animaduerti potest) spirare septentrionalem flatum in Campania aut Hetruria aut Liguria non à cardine quidem illo tam remoto euocatum, sed à uicinorum montium ac uallium habitu, propter niues aut pluias, proque anni ipsius tempore. Itaq; flatus illi referendi potius uidentur ad eos planetas, qui ipsas aut niues excitant aut pluias. Post Solem uero secundo loco uidenda est Luna, Solaris et lucis et caloris uicaria, in copulationibus, in oppositionibus, in quadrans-

gulis, triangulisq; qualem se se cum Sole habeat, & quas etiam ad
 stellas feratur, & per quæ signa, qualis sit etiam eius habitus ad Mar-
 tem præsertim ac Mercurium. indicet siccitatem ne an humiditatem
 an sit anceps. Quæ res simul omnes maximam efficiunt prædicendi
 difficultatem, quippe cum sæpenumero natura regionis coelestibus re-
 pugnet indicationibus. Ac mihi quidem uidentur rerum harum scri-
 ptores eo dissensisse inter se tantopere de uetis, deq; suscitatoribus eorum,
 aut agitatoribus. quod unus quisq; è primis illis authoribus regionis
 suæ naturam, & quid in ea contingeret, obseruabat, quos etiã quisq;
 planeta status illic excitaret, & è qua parte, et quod qui in initio sta-
 re stans coeperat, paulo post inhumescebat ratione loci. Ioanes Angli-
 cus qui multa quidem super his et tradidit ipse ex semet, et ab alijs
 præcepta retulit, nõ inficiatur Iouem in Aegypto cetero septentriones,
 quanquam Iouis qualitatibus parum putat conuenire. tamen assue-
 rat constãtem in modum a Saturno prorsus in Britania spiritus illos
 frigidos ac niuosos exciri, eademq; ratione ab erraticis alijs spiritus
 alibi alios. Cum uideamus passim regiones tum palustres, tum flu-
 uiales aut uallibus profundioribus interruptas assidue humectari.
 Sat quidem scimus cœlum Campanum esse perquam humidum, Apu-
 lum contra præstium, solem aut ipsum in Apulia calidas aspiratio-
 nes subducere, easdemq; perquam siccitas, at in Campano tractu eua-
 porationes subuehere illas qdẽ planè humentis et calidas. Quo fit,
 ut idem ipse Sol nisi alia stella impedierit, eodem pariter tempore et
 æstuosam in Apulia siccitatem euocet, & in Campania pluias. Itaq;
 quod idem fit in exiguo & finitimo terrarum spatio, fit etiã in car-
 dinibus, remotioribusq; orbis terrarum tractibus. Excitabit hinc Sol
 suffragio etiam Martis ac Mercurij peculiarem suamq; & illorum
 simul aspirationem, illinc euaporationem, Venere ac Luna, forte et
 Ioue opem suã conferente. Eodem igitur tempore in diuersis hæc et
 fortasse iisdem subducuntur regionibus, moxq; per aërem raptatæ,
 ac simul permixtæ nunc huc nunc illuc distractim feruntur incerta
 palantesq;. Perindeq; ut existit in aëre alituum ipsorum pugna, sic
 est etiam exagitantium illos stellarum in signifero certamen. Accedit aut
 his omnibus altera, atq; item altera consideratio, hoc est tunc ortus
 atq; occasus fixi alicuius syderis, tum partium signorum, quæ sua spõ-
 te uentose sunt, quemadmodum deinceps ordinatim dicemus, cum ad
 ipsas signorum partis peruenerimus. quas quidem ad partis ubi Sol
 Luna uel coniunctim, seorsum uel concesserint, seu uentosarum stellarum
 aliqua, aut eas forte minaciter percusserint, necesse est ea tunc euenire,

quæ ab illis decreto naturæ statuuntur. Quid autẽ ortus, quidq; occasus
 ferant syderum, obseruatio tot seculorum adeo manifestauit, ut ea sint
 etiam rusticis q̄ notissima, nedum nautis ac nauium gubernatoribus. Ara-
 ti Poætæ scripta nihil ferè curare aliud aut præcipere uidentur. Sol
 igitur locis illis propinquior factus, aut coniunctus, aut contra ips
 aduersus & suas & partium ipsarum ac locorum uires pro natura
 etiã temporum quibus ipse moderatur, magis ac magis exuscitat. Hæc ha-
 bui Marce Musure, in parte hac de uentorum prædictione quæ dicerè,
 ut qui in admonet, non præcipiã. Cũ liquere satis possit, quæ de tri-
 angularitatibus, triangularibusq; illarum traduntur, nec naturis rerum
 conuenire, & uana pleraq; aut incerta esse, pro situ regionum, ac positi-
 ra locorum, et terrarum & cœli. Cæterum sit suum cuiusq; arbitrium de his et
 sentire ut uoluerit, et iudicare. Quocirca ad explicationem signorum tu-
 ummersim, tum secundum partis cuiusq; ac fines progrediamur ab
 Ariete exorssi.

De Ariete.

Sol ad Arietem progressus quod ab australi declinatione ad cliuũ se-
 ptentrionalẽ redit, fitq; terris nostris propinquior, quos hyems plu-
 rimos coegerat, paulatim tepesfacto solo uapores aspirationesq; uehe-
 mentiore quadam uel educit è terra, quo fit ut pluiæ suscitentur ali-
 quanto frequentiores, q̄ cum Visces atq; Aquarium permeat, quo tempo-
 re aër ipse propter Solis radiorum imbecillitatem in niues magis q̄ in
 hymbres resoluatur, tonitrusq; etiam crebriores fiunt, propter multã
 tum uaporum, tum aspirationum educationem ab humo. Quin etiam
 calefactis uaporibus, qui crassiores tunc sunt, Sole non dum illos ex-
 coquente, urere aër uidetur, unde Sol ipse Martius, ut rustici loquun-
 tur, noxius habetur. Ob hanc autem ipsam causam, licet signum hoc
 calidæ existimetur siccaq; temperationis, hymbres tamen plurimos
 excitat sæpenumero etiam grandines, quod aër ipse eo tempore sic
 afficitur, ut licet calor in dies increseat, repentino tamen subinde cor-
 ripiatur frigore, qua ratione qui uapor in pluiam abiturus erat, a
 frigore correptus, aut ob inimicam caloris uim coactus ipse in se se
 atq; concrescens, rigescit mox in grandinem. Eodem quoq; tempore
 contingit tonitrus multos in aëre conciri, propter aspirationes ipsas ca-
 lidas sursum euectas, dum impacte simul nubes concursu suo, aut frĩ-
 gida ob uim pugna exorta igneus ille halitus exploditur, inde Arie-

tis signum tum grandinosum, tum etiam tonitruosum existimatum est
 à disciplinæ huius auctoribus, sole hæc aëris affectiones, dum id si-
 gnum permeat, excitante, easq; fixis à stellis, quæ signum ipsum con-
 stituunt uehementer, adiuuari, alienum non est existimare. Quam
 ob rem Ptolemæus dixit in uniuersum quidem Arietis signum toni-
 truosum atq; grandinosum esse propter accessum Solis ad locum æqui-
 noctialem, quo ad partes tamen ipsas plus minus'ue primas quidem
 eius partes pluuias atq; uentosas, medias uero temperatas, postremas
 urere pestemq; afferre existimat, quæq; partes in boream exurgunt,
 illas & urere & corrumpere, quæ in austrum declinat, frigus gla-
 ciemq; inducere, quod naturæ rerum mirifice conuenit, quæ enim par-
 tes ab æquinoctiali puncto consurgunt in boream, quod Sol per eas
 incedens nobis efficitur propinquior, calefaciant plusculum necesse è,
 qua è calefactione sequatur etiam corruptio, cum è calido humidoq;
 corrumpendo generatio rerum proueniat, quæ uere potissimum fit.
 Contra partes illas, quæ ab æquinoctiali puncto declinant in austrum,
 frigidiusculas esse, cum hymalem in regionem uergant, ratio ipsa do-
 cet. Quod uero ad corruptionem ac pestem attinet, quoniam eo tempo-
 re multi ex aëre funduntur hymbres, quos terra in se se recipit, eosq;
 post in uaporem conuersos, multos quidem ac crassos euomit, cum Sol
 conuocare illos nequeat, terraq; uehementius à Sole irradietur, hinc
 aër ipse noxius ab infectione ea redditur, indeq; pestifera uis enas-
 citur. Quoniam autem signa ipsa in diuersos distributa sunt fines, qui
 singuli planetis singulis, uti ante diximus, ascribuntur, hæc quoq; partes
 tractandæ sunt à nobis, quarum significationes cognoscendis atq; præ-
 dicendis coeli decretis plurimum conferunt. Atq; eas quidem ut ab
 alijs traditas referimus, magis quam ut comprobare rationibus stu-
 deamus, naturam duntaxat syderis, cui fines ipsi ascribuntur, indi-
 care contenti. Quid autem de finibus ipsis sentiamus, quæq; differen-
 tia inter se scriptorum sit, supra explicauimus. Quodq; de finibus ip-
 sis qui & quot erraticæ cuiq; attributi sint, aliter Aegyptij scripto-
 res, aliter Ptolemæus sentiat, cuius opinionem nos supra confirma-
 uimus, ita quidem de ijs trademus, ut ordo numerusq; illorum qui
 sit, tum ex Ptolemæi, tum ex Aegyptiorum sententia facile cognosca-
 tur. Primum itaq; fines qui è partibus constant sex, cum Ioui sint attri-
 buti, Iouis ipsius naturam sequuntur, qua de re salutaris ac benefi-
 ca, quin etiam foecundi, & penè dixerim, multi semines habiti sunt,
 bonæq; a modum temperationis, qualis natura Iouis est. Quocirca
 probatos nati mores, qui multis etiam prodesse, suaq; opera innare ue-

lit quam plurimos, quiq; in actionibus ac negotijs temperamentum se-
 quatur, cuius etiã modestia, probitas, rectitudoq; in amicis, cuiusq;
 consuetudine integritas magna appareat, eo magis portedunt, si fines
 ipsos in cuius hi genitura ascenderit, Iupiter aspexerit. quando ad
 agri foecunditatem si coloni studium se adiunxerit, maior fiat acc-
 sio. Neq; enim temere in uulgus manauit dictum illud, oculos domini
 saginare equum. Secundi fines, qui è partibus constant octo, è Ptole-
 mæi sententia, Aegyptiorum uero sex, Veneriq; additi sunt, Veneris
 naturam sequuntur, siquidem in genituris promittunt animorum
 hilaritatem, splendorem, munditias, elegantiam, continentiam, integri-
 tatem, studium etiam cultus atq; nitoris, & in quibus nati uerfabu-
 tur artibus quandam quasi affabrefactionem, ingeniq; dexteritatem,
 ac tum operæ, tum operis gratiam, quin etiam coloris bonitatem quã
 dam, & ut ita dixerim, uenustatem pollicentur, ut non iniuria docti
 quidam uiri arbitrati sint, signum hoc ad quintam decimam usq;
 partem salutare ac benignum esse. Qui sequuntur tertio loco fines,
 continentq; partes septem, ut autem Aegyptij arbitratur, octo, à Mer-
 curij natura, cuius peculiare sunt, minime recedunt, præstant enim
 ingenij bonitatem, acumen, solertiam. Erunt tamen nati, in quorum
 genituris ascenderit, in deliberando ancapites, atq; in capiendis con-
 silijs dubij, quiq; in utranq; partem pensi multum adhibeant. Eadem
 partes in aëre commotionem uehementiorem pro situ tamen naturaq;
 regionis excitant, qua è commotione uenti tempestatesq; suscitantur
 cum gradine, tonitru, coruscatione, fulminibus. Quartæ distributio-
 nis fines è quinque tantum partibus, Martem cuius sunt, immutantur,
 sunt enim ignei, corruptioniq; accommodati. Cum primus autem in
 animis hominum instabilitatem, inconstantiam, petulantiam, proter-
 uitatem, impotentiamq; ingenerant, atq; ad maleficiendum inuitant,
 adeo ut non mirorem in animis hominum, quam in aëre ipso cor-
 ruptionem inducant. Fines ultimi quatuor tantum partes complexi,
 utq; Aegyptij arbitrantur, quinque, quod sint sub Saturni tutela, fri-
 gus ac sterilitatem afferunt, animosq; ipsos inuidia, ac nocendi stu-
 dio notant. Partes igitur ipse quæ aëris commotionem exuscitant,
 præcipue considerandæ sunt, ubi in illis Lunæ contingunt Solisq;
 coniuunctiones aut oppositiones, quadrangulationes'ue, aut illorum
 etiam planetarum, qui comotiones ipsas augeant. Eadem quoq; partes de-
 ligenter uidendæ, ubi in configurationibus his ascenderit, si enim fuerint
 à maleficis infesæ, aut minaciter irradiatæ, tẽ pestates ipse lōge qdẽ
 maiores insurgēt. In genituris et pro qualitate insidētū, atq; aspi-

cientiū stellarum, significationes ipse finitū aut augetur, aut mutatur, aut etiam alias atq; alias mixturas admittunt. Quoniam autē signum hoc Martis hospitium est, ac non modo Solis altitudo, uerū etiā in Solis ipsius ac Iouis triangularitate numeratur, hac tanq; cognatione, ut ita dixerim, atq; affinitate fretum, natos reddit insignes, imperiosos, magnanimos, quiq; per magna in loquendo libertate uatūtur, propter Martem autem ipsum minaces, libidinosos, audaci consilio, propter Solem elatos, nobiles, ceruicosos, propter Iouem opulentos, liberales, iuxtos, quiq; a turpitudine abhorreāt. Pro mobilitate quoq; sua signum ipsum eosdē efficit incōstantes, quiq; facile propositum mutant, quorum etiam fortuna sit infirma ac uariabilis, ut nūc diuitijs abūdēt, nunc prēmatur egestate. Quod uero igneū, auget ea, quae a tribus his planetis portenduntur, ut uigor animi in natis ipsis maior sit, spiritusq; etiam uehementiores, qua ē re animi generositas atq; ingenij sublimitas quaedam exoritur. Non parum etiam signi eiusdem uiribus authoritatiq; situs ipse adiicit, cum ex æquo coelum omne, diē item ac noctem in gressu in ipsum Solis discriminet, unde uerū a Græcis, quod de dierum ac noctium æqualitate inæqualitateq; iudicium ferat, hæc autem ipsa quae a signo portenduntur, et augetur et minuitur pro situ atq; configuratione trium harum stellarū genituræ cuiusq; tempore. Igitur cui Aries ascēderit, is erit ore libero, forti consilio, mente elata, proposito inconstanti, fortuna uaria, inuentute multa, erit imperiosus, populo carus, rerumq; publicarum studio sus, flagitiorum miscetator, fratres autem aut uix fortietur, aut si sortitus fuerit, ferē omnis efferet, propter Martis perniciosam uim, idem pro susceptis laboribus, pro collatis beneficijs uix gratiam ullā, quin potius in gratitudinem pro collata inueniet opera. Nec uero ab re fuerit, uersus hoc loco nostros ex Vrania repetere,
Hinc quibus effulsit nascentibus aureus Helle
Corniger, et primo radiarint uellera coelo,
Hos animi uigor insignes, hos libera corda
Audaces reddunt effando, et recta mouentis.
Imperiosa uiris maestas. hi sua plebi
Describunt iura, et populo dominantur, et urbi,
Quiq; ipsi norint parere, et ducere, et alta
Cernice excussisse iugum, atq; odisse nocentis.
Inconstans uitæ tenor, ac mutabile pectus,
Elatum tamen, at cupidum rectiq; probiq;
Quod facile ingentes uersent iræq; minæq;.

Qui uero genituræ suæ tempore Arietē medio in coelo collocatum habuerit, propter loci ipsius maiestatem, principum ac regum aulas frequentabit, ac inter administratores rei publicæ, optimatesq; uersabitur, exq; hoc uitæ genere rem sibi familiarem comparabit, honoresq; assequetur. nihilominus fortuna eius uaria et inconstans erit, ac uitæ tenor non unus, propter signi mobilitatem, itaq; nunc amittentur ab eo parta, nunc rursus colligentur amissa. Erit autem et iuxta et honesti appetens, propter situm æquinoctialem, ac potentibus uiris, propter summum cardinem coeliq; ipsius culmen familiaritate coniunctus. At qui genituræ suæ tempore Arietem in occasu sortitus fuerit, lucrum is sibi a quaticis ē rebus, aut aquosis in locis comparabit, propter anguli situm humidum, cardinisq; prerogatiuam. Nihilominus (quoniam occasus in noctem uergit, eiusq; qualitas Arietis qualitati aduersatur) in pericula frequentius incidet, dum in peregrinationibus uersatur, ac per desertā et in culta loca iter facit, rei etiam uxoriæ infamia, occultoq; aliquo corporis uitio laborabit, propter imditam a Marte signo huic malignitatem, ac nocendi studiū, cum etiam angulus hic sit mortis dator, ut uitæ est horoscopus, cui ipse opponitur, ortui enim occasus aduersatur. Iouis tamen benignitas cum ei succurat, auxiliumq; allatura uideatur, post Martis labores ac pericula, post grauissimos et errores, senectutem tandem quietior ē atq; feliciorē promittit. In imo coelo qui signum hoc collocatum habuerit, is diu multumq; propter Martem, peregre conflictabitur, multaq; inter peregrinandum incommoda patietur, tandem uero sedatis laboribus Iouis beneficio conquiescet. Genus uitæ eius uarium atq; inconstans erit adeo, ut nunc emneat, nunc deprimatur, quod ei continget propter magnorum uirorum amicitias, quas sequetur. Vxorē ac primum filium, si plures ei filij nascentur, aut efferet, aut saltem grauius illos ualitudinibus pressos conqueretur. Ariete namq; cardinem innum tenente, ascendit ab ortu Capricornus Saturni domus, Martisq; altitudo, descendit autem ab occasu qui uxoris locus est Cancer, Martis deiectio atq; triangularitas. a Saturno igitur atq; a Marte cardines hos iurisdictione sua insufficientibus portenduntur damna hæc, cum occasus ipse et opponatur horoscopo, et imo quadranguletur cardini, et Libra culminans sit etiam Saturni, altitudo. Nam quod ad liberorum ualitudinem, aut iacturam attinet, Leo ab Ariete quintus octauum in locum, qui perniciosus est, incidit. Si enim Arietem in ortu constitueris, liberorum locum Leo subibit. Verū in Tauri signo quæ ratione puestiganda multa sint, diligentius a nobis explicabitur. Itaq; nō

solum stellæ, quas dixi, & item aliæ pro qualitate configurationis, signi naturam aut adiutant, aut imbecillam reddunt, aut aliqua è parte mutant, uerum etiam situs ipse cœli, diuersitasq; angulorum hæc ad rem plurimum conferunt. In hac autem tam difficili ac uaria morum, euentorumq; cognitione explicanda, primum natura signi, deinde cardinis, post erraticæ stellæ, quæ signo præest, consideranda est, deinceps uidendum qua in parte cœli, erratica ipsa posita sit qua etiã ratione stellis alijs tum fixis, tum erraticis misceatur. Dominus quoq; genituræ, qui èt signi dominum hospitio suo accipiat, circumspiciendus. Videndi èt planetæ qui in ipso signo, aut altitudinis aut triangularitatis iurisdictionem habeant, qua èt ratione sint in ipsa genituræ configuratione collocati. Mensura quoq; genituræ, generisq; qualitas eiusq; nascitur, cum primus pensanda, ne in ferenda de nati moribus, deq; animi, corporis ac fortunæ eius bonis fallamur sententia. Quemadmodum autem membra quædam nostri corporis Arieti addicta sunt, sic etiam orbis terrarum regiones aliquot, quæ orbis ipsius membra quasi quædam perhibentur à maioribus nostris addicta signo huic inueniuntur. Eæ uero iuxta Ptolemæi opinionem sunt insula Britannia, cui nunc nomen est Anglia, eaq; Oceano cingitur, qui ab ipsa Britannicus est dictus et Gallia, cui post à Francis è Germania erumpentibus, illamq; occupantibus factum est nomen Francia, includitur autem Oceano, Pyreneis montibus, Rheno flumine, atq; Alpibus, abluiturq; latus eius amari Narbonensi. Addicta est item Germania, quæ hodie Alemania uocatur, usq; olim in superiorem atq; inferiorem diuidebatur, eandem nunc in altam atq; humilem partuntur. Nec desunt, qui uno nomine Teutonicos uocent. Continetur autem Rheno, Oceano, Rhetijs, ac Noricis montibus, iungiturq; Sauromatis, ac Pannonibus. Adicitur Arieti Bastarnia quoq; , quæ ad Borysthenem, atq; Axiacen fluium, Amodocamq; paludem incet in ea Sarmatiæ parte, quæ est in Europa. Quidam à Peuce palude omnem gentem Peucinos uocant. Quo autem uno ac certo nomine nunc uocetur, non ausim affirmare, propter tam multas occupationes diuersarum nationum, quæ res nouas molitæ sunt, ex quo Romanũ corrui imperiũ, complures tamen gentes complectitur, Syria quoq; pars illa, quæ inferior est, quæq; à Grecis μόιν agnominatur, quam è nostris fuere, qui curuam transtulerint, alij qui tum conuauam, tum profundam, eaq; finitima est Arabiæ, complectiturq; Palestinam, Idumæam, Iudæam.

De Tauro.

Qualitates temporum de Solis præcipue accessu ac recessu non solum mutantur inuicem, uerum etiam incrementum suum aut accipiunt, aut pro motu illius minuuntur. Motus autem ipse à cœli situ, Zodiaciq; positura has ad res adiumentum èt legem quasi quandam accipit. Quò circa cœli situs cum Sole simul anni constituit tempora, quæ in partis quatuor, tanquam ætates quasdam diuiduntur. Vna quæq; autem ætas qualitatibus suis est prædita, eaq; hominum ætati p̄similis in qualitatibus, uer ad adolescentiæ, quæ humido, calidoq; simul abundat plurimum. Intellegi autem uolumus ita abundare calido atque humido, ut temperatum quidem, quod medici dicunt, uer ipsum sit, rursus autem ita temperatum, ut pedetentim tamen ab humido in calidum progrediendo dilabatur. æstas iuuentuti, in qua calor effervesat adeo, ut siccatio magna è parte humore cuncta subarescere iam incipiant, autumnus ætati prouectiori, quæ uirilis dicitur, primæq; quodammodo senectuti, cum siccitas ita excreuit, ut exhalato maxima è parte calore, in gruere frigus incipiat hyems ultimæ ac præcipiti senectuti, quæ à calore destituta, atq; à frigore occupata tota in corruptionem uergit, in gruente iam humido quod occupato quidem sicco, ultimam frigori accessionem facit, qua è re corruptio atq; è corruptio ne mors sequitur, rerumq; inferiorum quædam quasi internitio. Eædem ætates, ætatumq; qualitates anno insunt, quò circa cum uer sit prima anni ipsius ætas, constatq; ætas omnis principio, medio, èt fine, hac ratione fit paulatim ab ætate in ætatem, deq; qualitate in qualitatem transitio. Veris igitur principium cum sit in Ariete constitutum, prima pars ætatis eius humido plusculum abundabit, medium id est pars secunda cum in Tauro collocetur, ac medium ipsum inter principium constitutatur ac finem, humido calidoq; sic afficitur, ut ab altero in alterum pedetentim abeat, crescente iam die, ac Sole in altiore cœli partem gradatim succedente. Quo fit, ut finis uerni temporis hoc est ultima ætatis eius pars sit calidior, cum Sol ipse Gemmarum signum altissime prouectus peruagatur. Est itaq; Taurus temperatum signum, cum sit calidi atq; humidi particeps ac medius, atque ita quidem particeps, ut finis eius in calidum longiuscule recedat ab humido. Quò circa Ptolemæus ὑπόθερον quod Latino nomine subcalidum dicitur, uocat, traditq; initia eius, ac præsertim loca Pliadibus proxima uentos ciere, itemq;

terrarum motus, multamque caliginem sursum uehere, medias uero partis plusculum humescere, ac tanquam refrigerascere. siquidem ex humectatione refrigeratio sequitur, quod experientia ipsa docet. At ultimae partes, quaeque signi finem constituunt, maxime quae Hyadibus finitimae sunt, et concalescunt plusculum, et fulmina conuulsionesque prouocant, quae omnia ut consequantur necesse est, Sole magis ac magis uapores sursum effumationesque euehente. Quae de re uapores ipsi sepius soluantur in pluias. Non raro autem pugna inter frigus caloremque exorta, ac si tuba signum dederit, tonitrus exaudiuntur, sentiunturque iactus fulminum per aera, et medijs in nubibus ita coruscant, ut coelum ipsum uideatur incendi. Quodque Taurus ipse partis habet alias quae in austrum uergunt, alias quae in septentrionem assurgant, septentrionales partes sunt temperatores, propter diei incrementum, ac septentrionalis plagae uiciam, austrinae minus temperatae, quin magis magisque incompositae, ac penes dixerim se ditiosae, quod de turbulentis dicere ciuibus solemus, quiippe cum in aere motus plurimos excitent, qui tunc magis magisque apparent, cum eadem loca aut insidentur ab intemperatioris naturae erraticae aut ibidem aliam alij copulari contigerit. Signum igitur Tauri uniuersum ac diuisum tale est, utque expressius naturam eius explicemus, primae eius partes, quas Aegyptij tradunt octo, itemque Ptolemaeus, quoniam ueneri ascribuntur, ea portendunt in genituris quae ueneris sunt propria, atque eo magis si stella eius ibidem inuenta fuerint, intueatur uel propitio e loco, aut si fuerit in figura feliciter collocata, ac geniturae domina. Sunt autem partes ipsae humidae, indeque genitales ac multae solubolis, eadem ad coitum inuitant, et quidem uenalem atque opprobriosum, ut per sepe cogant corpus prostituere. In hac finium partitione facienda alios quidem scriptores, et in ijs Iulium Maternum Aegyptiorum tantum numeros, alios autem a Ptolemaeo probatos magis se qui uideo, quos et ipse hac in parte ita sequor, ut nihilominus ordinem quoque ac numerum quem Aegyptij seruant, referam. Quae sub sequuntur partes septem, quas Aegyptij sex tantum opinantur, cum sint Mercurij, in horoscopo quidem collocatae, geniturae tempore, nascentium animos solertes faciunt, multaque et intelligentes et circumspectantes, ad malefaciendum tamen procliuus, ipsos uero faedo aspectu, nec satis foecunda prole. Semper autem finium dominus obseruandus est, uidendumque an partis ipsas aspiciat? illas uel fauore aut in se suo tueatur, quo etiam in statu reperiatur, pro habitu enim ac situ suo, aliarumque stellarum configuratione fines moderatur. Quae deinceps septem

ceps septem partes sequuntur, quas Aegyptij octo dicunt Iouis naturam praese ferunt, quiippe quae in animis nascentium magnitudinem quandam exuscitent, incendantque illos ad uirtutem et gloriam, atque ad actiones praeclaras illas quidem ac uiro dignas. Erunt autem nati ipsi facundi, ac modestiae honestatisque studiosi, qui tamen imperare alijs cupiant, cum natura ipsa imperiosos eos genuerit. Haec autem pro situ, habitu, et configuratione Iouis ipsius aut augentur aut minuantur. Quatuor partes quae proximae his sunt, quas Aegyptij quinque existimant, quoniam a Saturno ascribuntur, malae omnino temperationis sunt, nam et prolem nascentibus denegant, siquidem aut euiratos, aut steriles eos faciunt, nisi a felicibus stellis eorum malignitas compescatur. Afficiuntur autem nati, qui has ipsas partis horoscopantes habuerint, non raro contumeliosis opprobriisque, notabuntur infama, uexabuntur laboribus, conficiuntur tristitia ac moerore, ac nihilominus delatantur praestigijs, uersabunturque in spectaculis, ac spectaculorum ludis, ministerijsque. Quae reliquae sunt quatuor, quas Aegyptijs tris esse tantum placet, Martis naturam sequuntur, nam etsi natorum animos, neque ignobiles reddunt, neque a uiriliter alienos, eos tamen ad scelera, sacrilegia, impuritatem, impotentiam, atque ad uim, caedemque inferendam compellunt, praesertim si a Martis etiam collocacone et statu ad haec inuitabuntur. Omnino autem partes haec infidae atque inconstantes sunt, corruptionemque rebus inferioribus inducunt. Cum primis uero loca Pliadibus coniuncta commotiones in aere atque in terris excitant, nam et fulmina tonitrusque, et terrarum suscitare motus solent, adhuc ita corrumpunt, ut pestem quoque afferant, quarum rerum Sol propinquior illis factus, auctor atque excitator est, dum terrarum caernas ad euaporandum, atque effumandum refert, calefactione sua, protrahitque in editum quae sunt hausta, ac uim Pliadibus insitam prouocat, prouocandoque adminiculatur. Quo circa coniunctiones planetarum, quas his in locis fieri contigerit, probe notanda sunt, tunc enim effectiones ipsae locorum ac finium manifestiores apparebunt. Etenim licet Sol rerum earum omnium quae in aere, aquis, ac terris fiunt, excitator et auctor sit, ut dixi, nihilominus in erraticae, tum fixae stellae uires illi suas adiungunt, neque enim frustra in caelo sunt repositae. Quod et loca ipsa possint, dubium non est, quae quidem cum Sole simul aestatem, hyemem, uer, autumnumque moderantur. Coniunctionum quoque effectus, efficacique illarum opera pro signorum ac locorum caeli diuersitate uariant. Quo circa nec Soli, nec anni temporibus commotiones haec sic attribuendae sunt, ut non etiam signa par-

resq; signorum, fixæ item stellæ considerandæ sint. Oriri etiam signum hoc a posterioribus uolunt, obuersis in Geminos capite ac cornibus, quod ideo traditum est, quia cum Tauri robur in collo, capite, ac cornibus maius existat, calor qui excrescere cum primo Tauri exortu manifestus iam coeperat, ubi ad capitis partes Sol peruenerit longe feruentior appareat, feriatq; subiecta loca radijs suis, qua atrocitate percutere Taurus cornibus consuevit. Quia uero Taurinæ triangularitati Venus Lunaq; dominantur, cum primisq; nocturnis in genituris Luna potestatem suam exerceat, inspicendus est syderis utriusq; status, configuratioq; hospitales item hoc est domini signorum, in quibus Luna Venusq; inueniuntur. Siquidem hæc ipsa quæ a signo portenduntur, et augebuntur, et minuentur, pro situ atq; configuratione utriusq; stellæ, cum alterius hoc est Veneris Taurus domalium sit, alterius altitudo, utriusq; uero triangularitas, quæ ab ipso Tauro nominatur. Quæ autem hac in parte a nobis obseruanda præcipiuntur, eadem in uno quoq; signo similiter inspicenda præcipimus. Igitur qui Taurum ascendente habuerit in genitura, cum terrestre id signum sit, delectabitur a agricultura, insitione, hortis, ac rerum ruris studio capietur. Nam cum a Venere ingeneretur in animis nascentium delectatio ac uoluptas, excitabitur ea e re studiū, studijq; oblectatio ea, quam signum ipsum significauerit. a Tauro autem cui Venus ipsa præsidet, significantur res quæ in agris exerentur, quam ob rem pro natura tum Veneris, tum signi, qui hoc habuerint in ascendente cæli cardine, dum in lucem ueniunt, colendi ruris studijs delectabuntur, colendi quoq; atq; exornandi corporis uoluptate tenebuntur, eruntq; nitidi, elegantes, mundi, sequentur amores, dabunt operâ musicæ, cantibus, choreis, conuiujs, uersabunturq; inter pigmenta et odores. Quando autem signum ipsum solidum est, pro signi etiam natura futuri sunt firmo animo, constanti proposito, minimeq; uarianti consilio. Quia uero, quod dictum est, Lunæ ac Veneris stellæ Taurinæ præfunt triangularitati, ubi hæc stellæ feliciter collocatæ in genitura fuerint, non augebunt modo quæ diximus animorum studia, applicationesq; præsertim ubi nocturna genitura fuerit, siquidem triangularitas hæc foemina est atq; nocturna, uerum etiam natos ipsos prouehent ad honores atq; insignia, præponent illos templis, præficient sacris, sacrorumq; ornamentorum custodia, insignibuntq; insulis, coronis, purpura, ut in his præcipue, quæ ad religionem ac decorū cultum pertinent, uiuant maxime honorati, atq; a populis culti. Quia uero signa ipsa quatuor in cæli cardinibus,

nibus, propter cardinū ipsorum prærogatiuâ uires præcipue suas exercent, cui Taurus quidem horoscopus uerit, is initio uitæ, multis laboribus afficietur, quodq; in prima ætate sibi comparauerit, facile post amittet idq; deinde aut recuperabit, aut maiori cum lucro, fortunarumq; incremento compensabit, tandemq; fortunam propitiâ sentiet, prostratis atq; atritis aduersariorum uiribus. Cui autem culminauerit, is publicis in muneribus se se exercebit, aut in templis, seu templorum rebus administrandis, unde rem sibi familiarem comparabit, uxore ducet aut ignobili genere, aut ætate iam prouecta, quæq; aut uidua sit, aut ab alio cognita, ut omnino matrimonium non sit futurum absq; infama, honorabitur autem atq; digniorem in gradum promouebitur uel a rege uel a principe ciuitatis, aut qui maximis sit facultatibus præditus. Qui Taurum habuerit in occasu, laborabit aduersariorum multitudine, quos ipse tandem uidebit uario malorum genere oppressos, in amores, resq; Veneris admodum procliuis erit, inuenietq; in eius oculis titillationes amatorias, quibus in amorem rapiatur, nec sine nota quadam sui nominis. In his autem quæ ad patrimonium spectant, uaria utetur fortuna, ut nunc quod sibi comparauerit, admittat, nunc amissum rursus compenset. Qui uero Taurum in imo cælo positum nascentem habuerit, ut in Urania diximus. Ille inter proceres, atq; intra limina regum uersatus, longaq; fide spectatus in aula Magnarum curas rerum ac molimina magna suscipiet, credentur opes, credetur et ample summa domus, claris et famam extendet in actis. Quin ad ultimam quoq; senectutem perueniet, si illud et accesserit, ut in hora natali, genituræ dominus bene sit feliciterq; collocatus, ac non solum in primarijs configurationis locis, uerum in signo finibusq; suis positus, quiq; conditionem propriam sic retineat, ut quod uitæ spatium promiserit, implere omnino ualeat. Quare autem, quoq; modo hæc fiat, semel a nobis dicendum est, ut de hac ipsa Tauri collocatione in orientis cæli cardine genituræ alicuius tempore exemplo sumpto, facile sit in constitutione signorum cæterorum pro cardinū positura iudicare, deq; illorum significationibus ferre sententiâ. De cardinū autem ipsorum potestate ac prærogatiua, quæ et quanta ea sit, a nobis ante dictum est. Horoscopante igitur Tauro, cæli culmen ab Aquario, occasus a Scorpio, imum a Leone occupatur. Tres hi cardines significationes suas Tauri significationibus commiscet. Erunt autem significationes ipsæ tum pro natura signorum atq; cardinū, tum pro qualitate stellarum, quæ signis ipsis

in cardinibus constitutis dominantur, hoc est quorum domicilia altitudines ue aut etiam triangularitates fuerint, hæc enim omnia significationibus ipsis pro uirili quæque sua multum conferunt. Quo fit, ut pensitate commiscenda sint omnia, quæ tamen et minuuntur et augentur pro situ atque irradiatione stellarum erraticarum illis præsentium, proque positura et configuratione aliarum etiam erraticarum ad ipsa loca, atque etiam inter sese. Sed nec fines ipsi in quibus cardines partiliter reperti fuerint, nec item stelle fixæ ibidem collocatæ non multum etiam momenti habebunt ad significationes ipsas aut implendas aut minuendas. Igitur Tauri signum cum sit suapte natura laboriosum (quod agrorum studium ab eo nascentium animis inditum significat, neque enim temere hoc ipsum nomen sed ab effectione ipsa maiores nostri indidere, cum taurorum hoc est bouum sit terram inuertere, solaque irahendo aratro rescindere) portendit nato uitam laboriosam et grauē, quadam cum contumacitate, quando solidum ac stabile signum est. Quia uero Venus ei præsidet, Lunaque in eo altitudinem, utraq; autem triangularitatis ius habet, signum ipsum ab utraque stella mutabitur quod quidem utriusque ipsarum est peculiare. Itaque natus ipse ob Veneris beneficentiam multa sibi comparabit, auxiliante etiam Luna, quæ nascentibus agilitatem largitur ad peragenda negotia, cum labore tamen propter horoscopantis signi naturam. Idem hic in prima ætate partem amittet tum propter Lunæ mobilitatem atque inconstantiam, tum propter Aquarium culminantem. cum enim sit Saturni hospitium, horoscopum insicit suo id est Saturnino luore ac malignitate, idque eo magis, quod Taurus frigida siccaque compactionis est, cui naturæ Saturnus præest. Adhæc Venus mœrere putatur in Aquario, decidit enim è Piscibus, in quibus est sua Veneris ipsius altitudo. Quoniam autem Saturnus post primi cursus sui confectum spatium mitigatur, Venusque à benefica id est sua natura nunquam recedit, quod primo comparatum cum labore inde cum dolore amissum fuerat, id demum non modo recuperabitur cum uoluptate, uerum etiam cumulabitur magno cum incremento atque compedio. Aquarius in medio cælo collocatus faciet natum ipsum cum potentibus et magnis uiris, atque in publicis actibus negotiisque uersari. Etenim cum Aquarius humanum sit signum, et cardo ipse mediæ cæli sit summus, indicetque hominum actiones, stellaque Saturni omnium erraticarum existat suprema, nimirum sit significatio nati consuetudinem futuram cum primariis uiris, quique maxima potestate fungantur, cum quibus etiam amicitiam coniunget ac familiaritatem.

Verfabitur

Verfabitur autem in publicis ac notis actibus tum propter præstantiam cardinis, qui actus hominum, exercitationesque decernit, tum propter Mercurium, qui cum Saturno simul præest huic triangularitati. Quodque Saturnus ipse aquis præsertim marinis præsidet, aquaticis in negotiis, aut quæ in aquis, aquaticisque secundum loca exerceantur, occupabitur. Quin etiam quod Saturni stella infidelis est, multumque laboriosa (quæ enim præstat, cum labore præstat, atque ubi præstitit non satis constanter tuetur) natus ipse fortunarum ac facultatum suarum nunc incrementum sentiet, nunc iacturam. Laborabit etiam inuidia, et accusationibus propter Saturni stellam, cuius naturam signum ipsum sequitur, cum humanum sit, accusationes autem ipsæ potissimum ab inuidia proficiantur. Quod autem in domorum constitutionibus antedictum est, septimus locus id est occasus cum uxori tribuatur, Scorpius ibidem constitutus in alicuius genitura cum sit Martis domicilium, atque è Martis triangularitate, uxorem efferendam portendit nato illi, in cuius genitura occasum tenuerit, aut si mulier fuerit, uirum. Propter Martis quoque peruersam naturam, et propter locum, qui horoscopo aduersatur, contentiones minatur ac lites, procuraciones tamē promittit et acumen ac solertiam in illis exercendis. Leo uero quarto de loco, qui locus est domestici census, patrimonijque significator, portendit natum ipsum ingenij uiribus, suoque labore patrimonium sibi comparaturum domesticamque substantiam. Etenim Leo laboriosum signum est, neque Leonis nomen signum hoc accepit à generositate tantum, uerum et à labore quaerendi pastus, ex eoque non temere dictum est à nobis in Urania. Spelunca fremit in magna, dominatur in altis montibus, Aethiopumque tremunt deserta leonem.

Quærendo tamen insudat per deuia pastu.

Cum autem sit Solis domicilium, sintque Sol et Iupiter eiusdem triangularatores, utriusque stellæ beneficio comparatio bene ampli patrimonij, multarumque etiam facultatum collectio denuntiatur. Etque facultates propter signi naturam solidam ac constantem erunt admodum stabiles, atque apud eum firmiter permansuræ.

Næ autem Arieti qui signiferi principatum obtinet, iniuriam fecisse uideamur, non erit nobis molestum de cardinali eius configuratione, deque totius figuræ cardinum significationibus causas rationesque afferre, ut ad Arietis Taurique imaginem atque exemplum de cæterorum signorum cardinali in genituris positione, rerum harum studiosus quæ fuerit scienter non minus quam diligenter sententiam ferre queat. Quid autem, et quam ob causam Aries in horoscopo positus decer-

nat, paulo est ante dictum. Quia uero eo nascente Capricornus caele
in medio culminat, estq; signū mobile, aridæ, frigidæq; cōpagnis,
atq; foemineum, domiciliū Saturni, altitudo Martis, triangularitas Lu
næ ac Veneris, natorum ipsorū animis ad ea quæ Aries indidit fer
mentationem quoq; suam adiunget. Quōcirca quia signum hoc est et
tropicum, quia culminans, natus ipse futurus est gloriæ appetentior.
quam etiā assequetur tum Saturni præsidio, qui est signi dominus, ac
Martis, qui habet in eo altitudinem, tum etiam Veneris ac Lunæ be
neficio, quæ triangularitati præfunt. atq; eo magis si hæc bene in caelo
collocatæ fuerint. unde negotijs etiam quibusdam præficietur, è quibus
gloriam sibi comparabit, domesticamq; supellectilem, multisq; etiam
alimenta exhibebit. Indet huic nato Saturnus studiū priscarū, ma
ximèq; reconditarū rerū naturæ, cognoscendarū propter Capricorni
domiciliū. Mars ad gloriam adhibebit stimulos propter altitudinem.
Luna conferet ingenij agilitatem propter triangularitatem. Venus
item fauorem suum cum has ad res omnes pollicetur, tum etiam ad
mysteria religionū cognoscenda, cū ex omni parte benefica sit. Qui
bus etiam è rebus simul coniunctis efficitur, ut natus is futurus sit gra
ui consilio, solerti ingenio, mente peruestigante, generoso animo, volun
tate integra, non nihil tamen inconstanti, propter signi naturam, de
num ijs erit animi dotibus præditus, eaq; auctoritate, ut rebus plu
rimis non modo cōmodus, uerū etiā necessarius iudicetur. Quōcirca
magnas etiā res administrabit, illisq; administrandis præpositus erit.
Libra occasum tenens, quia mobile signum est, uitæ quoq; cōmutatio
nem decernit. Quia uero domus Veneris, quia Saturni altitudo, iteq;
triangularitas, in qua focum sibi Mercuriū adiunxit, quia signum
etiam uirile atq; æquinoctiale, consuetudinem nati ipsius futura de
muntiat cum maximis uiris, aut in principum & regū aula, cuius
in status facultatesq; instabiles, ac non satis certæ futurae sint, tum pp
inconstantiā signi, tu uel maxime propter Saturni maleficā qualitatem
quippe q; nunq; illū ita prouehet, ut nō post de statu deiciat, ex altoq;
atq; illustri loco i humilē obscurūq; deturbet, cū sit stella hæc uenera
no quasi quodā liuoris intincta, ut qd boni collatū a se fuerit, nō pa
natur cōsistere. Quōcirca & cōtentiosas lites aliquando mouebit, &
in re uxoria molestias ac tristitiā asferet, propter caeli sitū. a Cancro
innum caeli cardinem tenente, cū sit signū etiā tropicū, Lunæ domus,
altitudo Iouis, triangularitas Martis, in qua Lunā ac Venerē sibi so
cias assumpsit, promittuntur nato honores, honorūq; ac uitæ ornāmē
ta, nominis itē claritas, et magistratū ac dignitatū insignia, unde sibi

re familiarē fortasse etiam è tēplis ac decurū redditibus cōparabit.
Affines tamē quosdā aduersantes sibi experietur. neq; enī Martis tur
bulētor uis potest ita cōgescere, ut nō intemperatus eius impetus ali
cūde prorūpat. Hæc igitur singillatim in uniuersumq; cōsiderati, &
indecūq; signorū, cardinū, locorū, atq; erraticarū uires naturasq; pē
sitati, simulq; cōmuscanti facile fuerit, aut certe nō oio difficile denū
tiare qd in genituris signū quodq; i ortu, occasu, medio, aut imo posi
tū aut promittat boni, aut minuetur aduersi. Cū primus aut inspiciē
dū est, quo in loco signorū ipsorū domini, triangularoresq; q; altitu
dines in signis haberi, cōstituti sint, quo et è loco respiciat, status quoq;
atq; cōditiones singularū erraticarū, fines itē ac finū domini diligen
ter colligēdi atq; obseruādi, partes quoq; corporis quibus præfunt, et itē
rerū qualitates nequaq; negliēdæ, domini quoq; genituræ, q; etiā ho
spitatores & quales, quiq; corū etiā status, ut cognitis, primū significa
tionibus unius cuiusq; post in unā tanq; massā permixtis redactisq;
tandem penso adhibito illas temperet, temperatasq; simul concinet.
Cum primis tamen nati qualitas ac patriæ, parentum, generisq; con
ditio cōsideranda est, neq; enim ex agro maculento atq; infœcundo
ea prouenire fertilitas potest, quæ è fœcundo et pingui solo. Quōcir
ca patriæ ipsius generisq; mensura in utranq; partem ad ea quæ a
caelo stellisq; decernuntur, accommodanda est.

H is autem in hunc modum explicatis ad Taurum redeamus, cui ut in
hominum corporatura collum ceruixq; addicuntur, sic è terrarum re
gionibus tanquā membra quædā addictæ sunt Parthia, Media, Per
sū, Cyclades, Cyprus. Pertinet autem Media a septentrione ad mare
Caspium, quod & Hyrcanum dicitur, ab occasu Solis maiori Arme
niæ, atq; Assyriæ iungitur, ab ortu Hyrcaniæ, a meridie Persidi, quæ
& ipsa Tauri subiecta est, adhæretq; ab occasu Susianæ, ab ortu Car
maniæ, a meridie mari abluitor, quod Persicum dicitur. Parthia ue
ro ab occasu Mediæ ipsius partem attingit, a septentrione Hyrcaniā,
ab ortu Ariam, a meridie deserta Carmaniæ, Cyclades quoq; in
sulas, Cyprum item notissimam insulam Taurus sibi uendicat,
Asiæq; minoris orā omnem maritimā, quæ Græce παραλία dicta
è, eaq; abluitor ab occasu Solis Propōtide, Hellepōto, Aegæo atq; Ica
rio mari. Asia uero ipsa minor cōtinet Mysiā, Troadē, Phrygiam,
Ioniā, Lydiā, quæq; Maonia dicta è, et Cariā, ab ortūq; annectitur
Lyciæ, atq; huic quoq; a meridie ac Paphylia, a septentrione Bithy
niæ, a Græcis hodie Natolia uocatur ois ille tractus a nostris Turcia,
q; a Turcis, occupata diutius fuerit, anteq; i Constantinopoli potiti sint.

Quoniam Geminorum tractus ad punctum usque Solstitiale se se extendit, necesse est, solem per tractum hunc euagantē, uehementioribus radiorum uiribus ad calefaciendum uti, immutato praesertim humore, qui in prima ueris parte multus erat. Cum enim uer sit in initio humidius, ac satis calidum, propter Solis progressionem ad aestiuū Solstitium, humiditas illa pedetentim minuitur calore superante, quo fit, ut Geminorū signum sit quodāmodo temperatum, exhausta magna e parte humidi exuperantia, calore autem sic adueto, ut nullo tamen pacto eripiat aestati quod suum ac proprium munus est. Quo circa tamen si ueris pars ultima in calorem omnino uergit, aestuosior in ac torretior illa caloris uis aestati relinquitur, qua e re dicta est aestas. Atque hinc efficitur, ut ueris pars ultima suapte natura temperatior sit, licet, ut dictum est, in calorem magis uergat, humore diminuto. Nihilominus (cum signum hoc humidum perhibeatur ac calidum, Solque ad aestiuū punctum properet, euehatque in aera uapores plurimos ac uehementer crassos) accidunt etiam hoc tempore nonnulla quidem pluuia, licet rariores, tamen uehementiusculae, nimbique interdum etiam procellosi. Itaque maiores nostri quamuis uniuersim dixerint signum hoc temperatum, ita tamen totum distinxere, ut primam eius partem humectam, procliuemque in corruptionem existimaret, mediam temperatam, ultimam uariam atque inconstantem, propter Solis potentio rem uim, protrahendis in editum uaporibus, qua e protractione generantur in caelo pluuia, non modo repentinae, uerum etiam procellosae, grandine non nunquam ac uentis mixtae, quorum quidem omnium caeli situs, ac Sol ipse authores sunt. Non parum etiam cum stellarum fixarū, tum erraticarum status ad hoc ipsum conferunt, quando in ijs etiam quae in agris contingunt, ad remque pertinent rusticam, nec Sol, nec caeli ipsius, aut terrarū situs ita praestant omnia, ut non humana etiam industria, laborque hominum plurimum illis conferat, quod experientia ipsa monstrat quotidie, arando, fodiendo, stercore arando, irrigando, quaeque alia humana adiuuenit industria faciēdo, multo cum sudore et cura, ut nec Soli, nec situi, quamuis ab illis manent omnia, cuncta sint penitus referenda, cum stellarū fixarū actiones non parū et conferant. Quae uero partes in boreā eriguntur, e uetos, ac terrarū motū excitare cōsueuere, quae in austrū uergunt, siccitate et aestu, tamen si et in hoc ipso et in caeteris itē signis, ut ea quae de partū qualitibus a Ptolemaeo aliisque disciplinae huius scriptoribus traduntur, quae scilicet primae cuiusque signi partes sint unius natura,

reliquae uero duae dissimilis ac diuersae, sic partes illas, quae ad austrū aut septentrionem pertinent, arbitror longe plurimū uariare, aliterque partis ipsas se habere, in regionibus sub arctū, atque in septentrione positis, aliter austrum uersus ac sub meridiem. Neque enim Sol cunctis in regionibus eadē radiorum potestate, uisdemque uiribus utitur, eodemque illo tempore, mouēdis in aere qualitibus, cum nō omnium regionum idem situs, eademque sit ratio. Atque ut semel quidem dicam quod sentio, non modo pauca quaedam, uerum etiam permulta ab Aegyptijs Chaldeisque authoribus ex obseruatione caeli ac plagae illius sunt tradita, quae post a Graecis Latinisque scriptoribus accepta et probata, terris in nostris potissimumque in septentrione uergentibus parū consentiunt, tum excitandis uentis ac terrae motibus, tum hymbribus diffundendis aut niuibus. cum maxime differant tractus ipsi situsque regionū. neque Solis ipsius eadem sit ubique irradiatio. Adhaec partes signorū in austrum, septentrionem uel promotae quid ad Solem? cum Sol per signiferi orbis tractum mediū feratur. ni forte stellae illis in partibus collocatae et fixae uel ad calorem augendū conferant aliquid propinquitate sua uel ad pluias inducendas. quod profecto perleue nescio quid uidetur. Neque enim quod in Aethiopia aut Arabia, ex illa fixarū propinquitate cōtingit, id et usuueniet in Germania aut Britania, nec quae in Germania id etiam in Garamantibus et Nasamonibus. Quae enim ratioe in Italia nedū in Britania possunt Aquarū partes urere, ut Ptolemaeo placet, in septentrione spectantes, cum quae in austrū uergunt, niues maximas eodē ipso auctore moliantur, quo quidem tempore Sol partibus ijs Aquarū tum austrinis tum septentrionalibus non multis post brumā diebus aequae propinquet. Quae igitur prouenire inde calefactio, ne dicā urendi maior uis potest? Quod si haec a Ptolemaeo dicuntur ob erraticas stellas in eas partes latius breuius uel promotae ac diuagatione sua cuiusque digredientes, parū quidem proprie dictū uidetur, eas urere, siue de Mercurio dicatur siue de Marte, cum aeris aduasio, ac maior illa calefactio ad Solē referenda sit, non ad erraticas. Nā Saturnus calorem reprimat, idque ipsum sponte sua praestat Luna, Iupiter uero potius temperat. Haec igitur hoc praesertim in loco atque in hūc modū ita dicta sint a nobis, ut alijs et locis opportune accommodentur. Illud tamen nō inficiabimur. erraticas stellas, ubi in ea loca delatae fuerint, et calefieri et humectari et refrigerari, magis minus uel supra naturā propriā partibus ab illis posse, ac praesertim Lunā, quae signiferi latitudinē omnē libere magis praegatur, fixas uero illic collocatas tantū quidem polleat, ut quae ratio temporis, quae regionis uis plus ualeat,

uel ad calorem excitandum, uel ad frigus, mihi quod consentaneum parum omnino uidetur, quoniam rebus his inferioribus uariadis situs ipse regionum plurimum confert, neque uarietas ubique terrarum, caeli uarietati uel oio consentiat, uel penitus aduersetur, ac persaepe loquax est terris uapores plurimi a uentis conuehatur, qui qua in regione conseruauerint, illic repetite tempestates excitent, easque praeter temporis ac regionis naturam intemperatio res. Est igitur Geminarum signum huiusmodi. Fines autem signi ipsius, naturas has referunt in genituris, primi namque septem Mercuriales sunt, ac propterea natum ipsum ad studia rerum earum quae Mercurio ascribuntur, allicunt ad scientiam, ad actiones, ad exercenda negotia. Erit itaque natus ipse solers, atque in tractandis negotiis artificiosus ac uersatilis, moribus et temperatis ac tranquillus, et ad suscipiendam prolem abunde aptus. Qui sequuntur statim fines numero septem cum Ioui sint addicti, natum ipsum modestum ac temperantem reddent, beneficium bonaeque institutionis, fecundum, quique in athleticis, ut Graeci dicunt, certaminibus uersetur, nec uero Poetae temere finxerunt Castorem ac Pollucem Iouis filios, a quibus signum ipsum nomen accepit, equestri pugillarique certamine tatepore ualuisse. Tertij loci fines numero est septem qui ueneri ascribuntur, praestabunt natum ipsum in cuius genitura horoscopiauerit, studiosum musicae, elegantiae, Poeticae, pigmentariae, odorum, rerumque earum, quae uoluptate afferat, quaeque in genere in animo letitiam, ac iocunditatem. Hactenusque signi huius fines genitales admodum prolificosque tradiderunt. Nam et signum humanum est, et ite calidi humidique temperamenti, et finium domini sunt etiam fecundi. Quatuorque sequuntur fines, Saturnoque ascribuntur, natum efficiet moderatum, intellegentem, notum, prudentem, resque sibi commissas egregie dispensantem, quique magnitudine animi, ac gerendis rebus praestet. Haec autem eo maiora sunt futura, si Saturnus triangulator cum Mercurio socio, ac signi domino feliciter collocatus fuerit geniturae tempore. Cum enim Mercurius praesit rationi, Saturnus consilio, ac cogitationi, bene uterque collocatus hoc ipso praesertim signo horoscopate, natum animum ad rerum naturae cognitionem, ad sapientiam, bonarumque artium institutionem, solertemque negotiorum administrationem, unde clarus euadet, inuitabunt. Qui reliqui sunt fines quinque, quae Marti addicuntur, maleficam et ipsi Martis naturam in animo ac uita nati representant, quae et fratribus orbabunt, et laboribus in multis, molestisque constituent curas animo difficillimas afferent, prolem uix annuent. Erit autem natus ipse atrox, acerbus, contentiosus, immutis, qui tamen abundet re familiari, gaudeatque peregrinationibus, ac locorum mutationibus, multisque negotiis se se libenter implicet. cum stella Martis tamen natura sua, tamen suffragio Mercurialis signi multo est propius haec

fit praestitura. De numero autem finium signi huius, deque eorum etiam dominorum ordine Aegyptij aliter sentiunt, siquidem Mercurij fines primo loco sex tantum esse uolunt, totidemque secundo loco, Iouis, tertio autem ueneris quinque non amplius. at quarti loci fines numero etiam septem Marti dedicant, reliquos uero quinti atque ultimi loci Saturno, eosque sex esse contendunt. In quorum itaque genituris Gemini ascenderint, uerunt intellegendis perscrutandisque naturae rebus apti, curiosi, facundi, Peetici, numerorum, literarum, ac disciplinarum studiosi, exercebunt mercaturas, impliabuntur negotiis, reque familiarum prudenter administrabunt, eruntque praedetes dispensatores, et honesti bonique; ac qui iudices, delectabuntur interpretationibus, ac perscrutationibus rerum occultarum, praesertim si Mercurius fuerit, artium ac magisterij dator. Itaque, ut in Urania diximus, Hi rerum occultas causas, arcanaque sacra rimantur, uerbisque modos, et carmina neruis adiungunt, pretio aut capti fora multa frequentant. Aut ueterum monumenta docent, et scripta uirorum, Aut operam impendunt linguis interprete cura, Et decus, et quicquid monstrat sapientia, norunt caelestes Gemini concordia foedere iuncti.

Quocirca cui ascenderit in genitura, is in primo uita sua tirocinio, laboribus non parum fatigabitur, non tamen ut ei ad uictum desinet necessaria, instituetur bonis artibus in quibus ingenij sui uires exercebit. Nam et Mercurius signi dominus rationi praest, et Saturnus cum eodem triangulator ingenium acuit, impellitque ad cognoscenda rerum naturae occulta. Si signum etiam ipsum cum humanum sit, ratione quae propria est hominis ut sequatur, compellit. Quibus est rebus efficitur, ut natus ipse ad ea quae rationis atque ingenij sunt, animum applicaturus sit, ac non sine labore molestisque. Nam et Saturni stella laboriosa est, et Mercurius nati animum, primamque adolescentiam, cui praest, ita exercebit, ut quiescere illum uix patiatur. Versabitur itaque cum praestantibus uiris, cum quibus amicitiam seruabit, atque hoc pacto cesum sibi reque familiarum comparabit. Quodque signum hoc, quod alij commune, ut dictum est, ac duplex, alij bicorporum uocauerunt, inter ueris finem aestatisque principium constitutum est, atque hac ob causam communitatem quandam utriusque temporis retinet, ideo nati etiam animus et in agendo et in consultando mediocritatem quoque retinebit, neque enim aut statim de proposito dimouebitur, ut leuis appareat, aut in illo ita obdurabit, ut pertinaciae accusari debeat. Idem Gemini in quorum genitura caeli cacumem possederint, eorum animos pro sua dominique naturam multarum artium ac disciplinarum studiosos facient,

quippe qui admodum docti euasuri sint, rerumque abditarum naturae magnopere periti. Quam ad rem Saturni quoque stella multum conferet, quae triangulo signi huius praeposita est cum ipso Mercurio simul, quam ob rem natus ipse magnam sibi docendi atque insituendi auctoritatem procedente aetate, atque in ipsa senectute uedicabit. Ex his autem autem est publicis administrationibus uitae sibi praesidia comparabit, propter cardinis maiestatem, aut forte est templorum, aut sacrarum rerum prouentibus, suffragante etiam Virgine ab horoscopo, quod signum naturaliter religiosum est, multarumque disciplinarum scium, eiusdemque Mercurij hospitium. Geminis occasum tenentibus, qui in lucem ueniunt, futuri sunt ingeniosi, solertes, eruditi, quique alios etiam erudiant, scribae atque a secretis ministri, secretarumque literarum interpretes, quod Mercurij stella praestabit, erunt etiam rerum coelestium periti, aut sacrarum praefecti, antistitesque, quam ad rem Saturnus triangularitatis dominus ac socius operam quoque suam impendet, praestabitque ut iidem ipsi dolores atque erumnas aequissime ferant, ut simultates odiaque dissimulent, ut iustitiam colant, et in senectute sua rem familiarem uberem atque amplam possideant, ut filios quoque ac nepotes suscipiant. Vbi uero initium coeli cardinem Gemini occupabunt, qui tunc nascentur, multis in uita aegritudinibus, multis etiam doloribus erumnisque opprimuntur, laborabunt occulto aliquo corporis uitio, patrimoniam resque partem amittent, quae mala Saturni nocens astrum inferet, praesertim ubi nocturna genitura fuerit, post uero mutata fortuna, diuitias sibi multas acquirunt, multa etiam compendia quasi ex improviso eis offerentur. Senes tandem peregre, ac fortasse repente morientur, praeterquam si, ut Iulius Maternus tradit, geniturae dominus felici sua collocazione hoc ipsum prohibuerit. Subiacuntur autem Geminis regiones haec Armenia, quae a septentrione iungitur Colchidi, Hiberiae, atque Albaniae, a solis occasu Cappadociae, ab ortu Hyrcano abluitur mari, inhaeretque Mediae, a meridie Mesopotamiae atque Assyriae. Hyrcania quae a septentrione non exigua parte Caspio mari abluitur, quae est re Hyrcanum quoque agnominatum est, annectiturque Mediae ab occasu, a meridie Parthiae, ab exortu Margianae, quam uideo uocatum etiam Mantianam. Haec ipsa Margiana Geminis quoque attribuitur, estque ab occasu Hyrcaniae finitima, a septentrione Scythiae, a meridie Ariae, ab exortu Battriana, duxit autem nomen a Margo flumio, qui illam penes mediam fecit et Sariphis defluens montibus, Oxocoque immixtus in Hyrcanum influit, clauditur autem ferè continuatis montibus, praeterquam ab ea parte quam mare abluit. Nec uero quisquam miretur, quod hac in explicacione, regionum

etiam fines tradamus. Id enim eo consilio facimus, quod cum nequaquam subiectorum locorum noua nomina certis limitibus describere, finibus illa complectimur iisdem, quibus maiores nostri ea descripserunt. Cyrenaeae quoque, ac Marmaricae, Aegyptusque inferior Geminis addictae sunt. Finitur autem Cyrenaeae ob occasum Syrti maiore ac Philenorum aris, a septentrione Libyco mari, quod et Punicum uocatur, ab ortu Solis Marmaricae, a meridie Libyae desertis locis. Ipsa uero Marmarica cum Aegypto, cuius ipsa pars est, ab occasu Cyrenaeae coniungitur, a septentrione Aegyptiaco mari abluitur, ab oriente Iudaea, atque Arabiae Petraeae, a septentrione uero Aethiopiae pertingit.

De Cancro.

Primum Cancri punctum, quod postquam Sol eo loci peruenit, non habeat, quo septentrione uersus progrediatur ulterius, sed cursum potius suum in austrum conuertat, uocatum est Graece τροπιον, a conuersione, a qua efficitur, ut dies ex eo puncto decrescere, est contrario augescere nox incipiat. Quodque per aliquot dieculas detrimendum ipsum lucis uix appareat, tanquam Sol ipse sistat, tempus illud appellatum est Solstitium, et Cancrisignum tum Graeco nomine τροπιον tum Latino Solstitiale dictum est. Sol igitur ubi eo profectus fuerit, ex editissima illa mundi specula, ac tanquam ex arce quadam rectissimos radios, maximisque uehementes in caput nostrum proijcit, quae est re feruentissimi calores excitati aerem accendunt, fitque in regionibus praesertim septentrionalibus maxima uaporum in aerem euectio. Quapropter repentinae pluuiae, hymbresque procellosi ex eo tempore incipiunt, quas est ab hac ipsa conuersione hodie Tropicas peruiolate dicimus, easque flatus ipsi septentrionales in Italiam impellunt, magno et procelloso impetu. Nihilominus signum ipsum serenum apparebit, si in uniuersum naturam eius considerabimus, flumunt enim ex eo propter solis radios qui rectissimos, calores ingentissimi, quin etiam si particulatim illud metiemur, quae praesepesitum est, ex ea regione exaestuare coelum uidetur, et aer ipse ita torrere, ut penes exanimantur animalia, ac nonnunquam terrarum etiam motus cicantur. quod nuper quidem accidit. Efficitur etiam ut aer ipse caliget de nimia fumigatione, aridisque aspirationibus ex interiore Soli tractu uel caloris euectis. Ac tamen si partes mediae temperatores existimantur, quae tamen ultimae sunt, uentosiores habentur, quae in boream, aut austrum tendunt, torrent potius quam calefaciunt. Haec autem in hunc modum ut se habeant necesse est, haurit enim Sol ex altissimo ac rectissimo caeli culmine interiorem terrae sinum, efferitque

inde aspirationes illas, quas exarato penitus humore, matris naturam sequi, hoc est maxime terrestres ac fuliginosas esse necesse est. Ex eoque fit, ut caligo admodum densa tum aërem occupet, tum eam ob densitatem coelum aestuet, uentique tandem uehementiores suscitentur, qui terrestri ex aspiratione originantur, quæ quidem, ut non semel iam diximus, a Sole præsertim, atque a cœli situ promeniunt. Multum etiã confert terrarum ipsarum positura, ut hic magis quàm alibi et caligo maior constet, et procellæ maiores inhorreant, quin etiam ut alibi caligo ipsa magis magisque exusta in uentos uehementiores abeat, alibi ut madefacta aut uaporibus humentioribus immixta, et tanquam infecta in hymbrem post dissoluatur, multo uento immixtum. siquidem Aethiopia hymbribus penè demergitur Sole Cancrum peragrante. Quam quæ autem sunt qui alia ratione signum hoc partiantur, Ptolemæus tamen cœlestem Cancrum, qualem iam diximus, esse perhibet. Quibus autem nascentibus Cancer horoscopauerit, quod Lunæ domus, quod Iouis altitudo, quod Martis, Veneris, ac Lunæ triangulum, hi acuto erunt ingenio, compositis moribus, suauis consuetudine, magna se ueritate. nam et uitia grauius insectabuntur, et in improbos acerrime animaduertent, et quanquam in iram facile prolabuntur, propter Martem triangulatorem, facile etiam intescunt, ira composita, propter Iouem ac Venerem. Plurimum quoque munerum studiosi futuri sunt, propter Lunam, unde censum sibi familiare, diuitiasque acquirunt. Tractabunt res publicas, aut regiarum rerum administratores erunt, propter naturam autem signi ipsius erunt inconstantes, neque unum sequentur uitæ genus, ac persepe aliud in ore, aliud in pectore habebunt. Delectabuntur peregrinationibus, ac libenter errabunt, propter naturas autem erraticarum quas dixi, et propter cœli situm. Erunt etiam gloriæ cupidi, factiosi, turbulenti et auri popularis seditionumque studiosi, ludis etiã dediti, atque in libidine, resque uoluptarias procliuusque. Quibus uero Cancer culminauerit, iis, ut in Vrania diximus, Felix multa cum laude senectus.

Continget, tum clarus honor præstantibus actis.

Ac ueluti lento sensim per littora passu

It cancer, tardusque graui sub mole laborat,

Paulatim sic diuitias, sic lentus honores

Accumulat, donec grauidos complevit acruos,

Vix tamen ut gemmo foecundet uiscera partu.

Iulius Maternus tradit horum pueritiam atque educationem futuram in locis religiosis, aut publicis, ultimūque uitæ tempus nobilitatum iri di-

nitij, splendore, gloria, filiosque aut nullos, aut unicum suscepturos, nisi Iupiter locum ipsum aspectu suo irradiauerit. Nos uero existimamus etiam ea quæ de educatione in locis sacris aut publicis dicuntur a Ioue manare, cuius altitudo est in Cæcro, et item a Venere, quæ est trianguli ipsius domina cum Lunæ etiam suffragio, quæ publicis rebus putatur præesse. In octasu Cancer positus portendit eos qui nati tunc fuerint, maximis molestis laboraturos affinium suorum gratia, grauissima etiam pericula obituros, Mars enim trianguli dominus ab octasu magnam sibi ad nocendum potestatem assumit, propter loci naturam. Ad hæc Venus septimo in loco non satis bene collocatur, præsertim tropicis in signis, siquidem infamiam parit ob coitus impuritatem. Ab imo loco id est subterraneo a cardine Cancer affuentiã promittit rei familiaris, dignitates, honores, titulos. Quo circa diligenter inspicendum est, si Iupiter locum ipsum aut tenuerit, aut feliciter aspexerit, ut promissorum qualitas plane iudicari possat, nihilominus squallorem nescio quem, ac uestitus sordem inuit, propter oppositionem Capricorni, cuius dominus est Saturnus, cum eius stella sordidior sit, ac tristitiã cum squalore afferat. Signi autem huius primi fines qui sex constant è partibus, quoniam Martis naturam sequuntur, fulmina in aëre excitant, atque in animis nascentium intemperantiam, quæ est res futurum est, ut temeraria, peruersaque sequatur consilia, motusque inordinatos, profligentque bona sua. Minatur etiam affinium causa contentiones ac molestias. In libidinem ac flagitia præcipites ferentur, quippe qui futuri sint impuri admodum ac flagitiosi. Secundi fines qui partibus è septem constant. Iouique addicuntur, natos portendunt modestiæ, temperatiæ, probitatis, iustitiæque cultores, magnificos, generosos, gloriæ atque honoris cupidos, quique regios mores præ se ferant, artisque sequantur imperatorias. Eadem partes natos ipsos ad omnem probitatem atque ad bonas artes inuitant. Tertij fines septem è partibus constituti quia Mercurio ascribuntur, natos indicant populares, diligentes, solertes, rapaces, publicorum honorum direptores, publicanos, opulentos, multaque cum re familiari. Quartij fines quæ septem constituuntur è partibus, Venerique addicuntur, inuunt nascentium animos inconstantis, uarios, libidinosos, infames, opprobriosos, dolosos, seditiosos, turbulentos. Ipsæ uero partes humidi perhibentur. Vltimi fines, qui partes tantum tres complectuntur, Saturnini esse perhibentur, atque omnino mali, nam et rem familiarem nati qui eos horoscopantes habuerit, dissipabunt, et illum in summam tandem egestatē redigent, fines etiam hi humidi admodum esse traduntur.

Aegyptij uero primos fines septem è partibus constare uolunt, secundos autem non Iouis esse, sed Veneris, ac sex tantum è partibus, Tertios item partibus è sex, quartos Iouis esse, ultimos omnino partibus è quatuor. Famulantur autem Cancro Numidia, & Africa minor, quæ maioris pars est, ex Asia uero regionibus Bithynia, Phrygia, & Colchis. Minor igitur Africa, cuius olim princeps fuit Carthago illa æmula Romani imperij, nunc uero caput est Tunes, uocaturq; hodie Barbaria, finibus his continetur, ab occiduo cardine Mauritania, Cæsariensi, atq; Ampsaga flumine, à septentrione mari Punico, ab ortu Cyrenaica à meridie Libya, hoc est Africa ipsius desertis. Numidia pars est eius, qua pertinet ad Ampsagam fluum, quæq; ad oceanum qui ab ea Numidicus dicitur, atque ad audum montem, hac tempestate uix oppidis aliquibus habitatur, Arabibus hoc est Nomadibus infestantibus, qui Scytharum more palabundi errant. Bithynia, Pontusq; ab occasu, ore Ponti, è regione Constantinopoli, atq; Propontide, à meridie minore Asia, de qua iam diximus, ab ortu Paphlagonia, Galatiaq; à septentrione Ponto Euxino includitur. Phrygia uero, itemq; Lydia ac Mæonia, minore Asia continentur, cuius oram maritimam diximus Tauro esse subiectam. Colchis est ad mare Euxinum, ab occasu Sarmatia finitur, quæ est illi ad septentrionem. Labitur per eam Phasis flumini Caucaſo è monte defluens, quo monte ab Hiberia diuiditur ortum uersus, à meridie fines habet cum Cappadocia, Armeniaq; maiore. nomen obtinuit à Colcho urbe, quæ quantopere celebris fuerit, ea quæ à Poëtis de aurato ariete feruntur, deq; Iasonis navigatione, Aeta item rege, ac Medea, docent. Aetate nostra ignobilis squalet, parsq; est Tartaria.

De Leone.

Nomen ipsum Leonis uidetur præ se ferre feruorem quendam incensi aëris. hæc etenim præcipue ratio signo nomen dedit, nam etsi rectissimi ac ualentissimi è Cancro radij proiciuntur à Sole, nihilominus feruor ille tam æstuosus & pene suffocabundus, atq; ut Græci dicunt, πυρρός, in Leone concipitur, id quod etiã domesticis in balneis usu uenit, ut cæ postq; bene concaluerit, ex æstuent, difficileq; admodum sit, illas pati. nimius enim ille calor & angit animam, & spiritus pene suffocat, atq; elidit, nec solum in balneis, uerum etiam in cubiculis coenaculisq; ubi diutius in eis ignis efferbuit, hoc ipsum cõsuevit accidere. Diuturnior enim caloris immoratio in locis præcipue conclusis, æstum ingenerat. Sol etenim è Gemmis prius post è Cancro ita

terre meatus

terre meatus caminosq; adaperuit, fumigationibus terrestribus cœli sic impleuit, ex humectis locis usq; adeo suatos exhausti, ut cum ad Leonem peruenit, perq; eum uagatur, aër ipse tanquam effumare uideatur, caligineq; spissiore constare, ut nec auræ flumiales, aut maritimæ spirent, nec uenti usquam, flatusq; illi aëri sentiantur, sitq; ut sæpentero hymbres intemperantissimi, procellæq; turbulentissimæ prorumpant ex aëre ob hanc tantam fumigationem, caligantiumq; aspirationum redundantiã. Merito igitur signum ipsum ab hac efferuescentia uocatus est Leo, quando, ut Ptolemæus scriptum reliquit, in uniuersum calidum atq; æstuosum est, cuius etiã priores partis æstua re iradat, posteriores humescere, corruptionemq; inducere, quanquã medias temperantiam retinere quandam existimat. Et enim in signis ipsis usu uenit, quod in animalibus, ipsisq; terrarum locis ac tractibus, quodq; etiam in fontibus, & aquis, ut uniuersim quidem sua quadam communiq; natura prædita sint, ac nihilominus peculiaris, & ut ita dixerim, natua, priuataq; alia quædam uis illis sit insita, quæ ab uniuersi qualitate dissentiat. Quid quod in agro Baiano, Puteolano, Neapolitano serpentes quidam sunt, ueneno qui careant, licet serpenti genus omne dicatur uenenosum. Fontes quidẽ ipsi humidi sunt, perinde ut aquarum genus omne, quarũ etiã propriũ est sitim extingueret. Aquæ tamen non nullæ tum fontanæ, tum flumiales epotæ sitim magis ac magis accendunt, bibendiq; auiditatem. Biliosũ qui sunt probilis ipsius natura rationeq; concitati esse, uehementiorisq; commotionis consueuerunt. Inuenias tamen è biliosis non paucos, qui sint q̄ lentissimi, ut contra è pituitosis, phlegmaticisq; uehementes et concitati. Coruos ego, ceruosq; complures uidi albo colore, qui ab horum genere nati a ipsa remotus atq; alienus est, quin etiam pauones quosdam omnino candidos, quorum tamen pennis nihil in auium genere eadẽ natura uariabilius fecit. Nihil etiam Apulia terra, ut Aegyptũ præteream, siticulosius, lacus tamen & ipsa quosdam habet in ora tum Rodia, tum Sipontina, & aliquot etiam fontes. Itaq; natura illa uniuersa per sæpe in omni rerum genere uarietates quasdam suscipit, quæ uideantur ab ipso uniuerso penitus differre. Quodq; de Leone nunc dicimus, de alijs etiam signis dicimus, ut uniuersim quidem nature unius atq; conditionis sint, particulatim uero nature alius ac diuersæ. Igitur in hoc ipso Leone partes quidem boreales concitatae sunt et igneæ, quod cum signi natura conuenit, at quæ in austrum uergunt, humidæ. Sunt etiam qui Leonem hunc in modum partiantur, atq; ad uigesimam usq; partem æstuosum adeo esse tradant, ut etiam suffo

et, ex animetq; subiectis in regionibus animalia, ad dextram item partem concitatum atque ardentem, qua uero in austrum uergit, humectum et igneum, in inferioribus autem partibus omnino perniciosum atque exitabilem, in medijs uero atq; ad sinistram temperatum. Nos hæc regionum potius situi posituræq; ascribenda ducimus, soli q; naturæ, q; signi partibus. Futuri autē sunt qui sub Leone nascentur, nobiles, ac probitatis, iustitiæq; cultores, mente elata, ceruice indomita, atq; ab adulationibus alieni, quod si Sol ipse signi dominus cardine in aliquo infederit, aut felicibus stellis amice conciliabitur, futuri sunt splendidi atque illustres, dominatumq; exercebunt. Huius autē signi fines prima sex è partibus constituti, Saturnoq; dedicati natos reddent peritos atq; experientes admodum, uerum metuculosos, rerum quoq; naturæ studiosos ingeniosos, parcos, oculorum indagatores, mysticos, artificiosos, cautos, callidos, steriles, atq; in rebus Veneris penè frigidos. Qui subsequuntur fines partibus quidem è septem coacti, Mercurioq; attributi natos futuros inuunt literarū studiosos, eloquentes, scios, legum decretorumq; civilium peritos, in rebus Veneris continentes, parumq; prolificos quiq; popularibus delectentur, atq; in auditorijs, audientijsq; libenter uersentur. Tertijs loci fines partibus è sex compositi, Veneriq; ascripti natos ipsos temperatos, quietos, ac sapientes facient, in quorum etiam animus iucunditas multa insideat, ac uoluptatis studium, remissio item quasi quædam à curis ac molestijs. Quarti loci fines partibus item è sex coacti, Ioui q; addicti natos eos in quorum genituris ascenderint, reddent uiriles, experientes, in quorum etiam animis nihil humile, nihil abiectum in sit, q; imperare studeant, ac militari in disciplina proficiant. Quinti loci fines quinq; è partibus confecti, Martisq; dominatum sequentes, natos reddent corruptis atq; contaminatis moribus, flagitiosos, maleficos, uitiosos, ignominiosos, ualitudinarios, infelices. Particulatim itaq; ac pro finium naturis Leo talis esse peribetur. Hæc autem in hanc à nobis sententiam tradita sunt, sequentibus numerum finium, atq; ordinem dominorum, qui à Ptolemæo probatus est, uti supra docuimus. Aegyptiorū uero opinio longe quidem ab hac ipsa dissentit, nam et primos fines Ioui attribunt, eosq; sex è partibus constituunt, secundos Veneri, partibus è quinq; tertios Saturno è septem, quartos è sex Mercurio, Marti ultimos, eosq; è partibus item sex. Opinionem autē à Ptolemæo probatam nos supra abunde confirmauimus, à qua Aegyptij quantopere dissentiant, facile hic uidetur. Quo circa mirum uideri debet nemini, si hæc nos in parte, tantaq; in discrepantia na-

strum adhibere iudicium nullum uolumus. Qui autem hoc signo in horoscopo constituto nascentur, erunt propter signi naturam firmo ac constanti proposito, in iram tamen atq; indignationem prone, solerti ingenio, elata mente, uehementibus cogitationibus, propter Solem autem signi dominum imperiosi, superbi, propter Iouem triangulatore improbos ac nefarios odio insectabuntur, propter uiranaq; stellā clari, nobiles, civilium, militariumq; honorum appetentes, magnis, atq; inuictis animis, primorumq; locorum semper auidi, quiq; primi inter alios esse atq; haberi uelint, res nouas molientes, earumq; moliendarum artifices studiosi. Et enim Leo regium signum est, quo fit, ut si à Sole, ac Ioue feliciter irradietur, regios spiritus in natis ipsis excitet, regiamq; generositatem. Hæc igitur quædam quasi nascentium indoles, à Leonis signo in uniuersum præfertur, quo ascendente, in lucem quæ ueniunt, pro mensura genituræ, hoc est generis, ac patriæ, parentumq; proq; erraticarum situ, atq; irradiatione erunt noti, honorum appetentes, rei familiaris studiosi, quam insudando ac multum laborando, seq; periculis obiectando comparabunt. est enim Leo signum laborisum, idē erunt iracundi, elati, cupidi, manu prompti, quiq; præferri alijs semper uelint. Culminante Leone qui nascentur, grauiataque aduersa permulta patientur, uersabunturq; in laboribus plurimis, quos fortiter etiam obibunt. assequentur tamen magistratus, et in potestate aliqua constituentur, tandemq; procedenti tempore et honorem et rem familiarem tantam sibi comparabunt, ad aucto paterno censu, ut magnam etiam alere familiam queant, alienosq; opibus suis pascant. nam et Leo laboriosum signum est, et Sol ac Iupiter id præstabit, ut per labores atq; erummas honores assequantur, constituanturq; in magna aliqua prefectura. Hoc eodem signo occasum tenente in lucem qui prodeunt, in re uxoria parum fortunabuntur, quippe qui uel ab alijs cognitam, impudicamq; uel de generem atq; indignam sortiētur uxorem. cum qua etiam assidue rixentur, ac propter aduersantis illius mores continua iurgia contentionesq; exerceant, aut illam sibi per uim, ac præter legem, aut forte per rapinam comparabunt, Sol enim signi huius dominus in occasu qui locus uxoris est, infeliciter colatur. Quodq; occasus aduersatur ortui, non solum uxorem indignam denuntiat, uerum etiam aduersarios multos, uimq; inimicorum, atq; insidias portendit. Si Leo in infimo coeli loco constitutus fuerit nascente aliquo, is sibi patrimonium, domesticumq; peculium proprijs laboribus propter signi naturam, ut dictum est, comparabit, comparataq; conseruabit, eadem industria et opera, insidijs tamen

sepius petetur, forsitanq; ex hereditatibus atq; e mortuorum bonis lo-
cupletabitur, Sagittario qui eiusdem est trianguli, octauum locum te-
nente. Verum (ut sepius dictum est) ac singulis penè in locis dicendū,
inspiciendæ sunt stellæ non modo erraticæ, quæ aut præsidio sint, aut
uires suas contra ferant, quibus eæ in locis insideant, quo etiam aspe-
ctu loca ipsa irradiant, uerum etiam fixæ. Quoniam autē regiones
ipsæ, omnisq; terrarum orbis, quæq; in orbe uniuerso eueniunt, coeli,
stellarumq; agitationes sequuntur, huic coeli parti quæ Leo dicitur,
præcipua quadam seruitute obnoxia, ac tanquam e gleba ascripta est
Italia ois, præter Hetruriã, addita etiã parte illa, quæ olim Gallie
fuit, quæq; Alpibus adiacet, Padoq; intersectatur, ite Sicilia insula. Et
uet etiam Leo e regionibus quæ mediterraneæ magis sunt, Phœnicæ,
Chaldeam atq; Orcheniam. Est autem Phœnix Syriæ pars mari ex-
posita, quæ ab ipsa nomen accepit, pertinetq; Iudæam uersus, ad Car-
melum usq; montem, a tergo tum Libano, tum Antilibano montibus
clauditur. At Cassium uersus montem præterfluit eam Eleutherius
amnis, qui in mare delabitur e Libano. Fuere in ea quondam ce-
lebres Tyrus ac Sidon, nunc Tripolis tantum. Chaldæa Babylonis
pars est adiacens montibus, qui eam dirimunt ab Arabia deserta, sin-
uius etiam Euphrates a Mesopotamia, pertinetq; ad Mardocen pa-
ludem. Claruit hæc olim regio doctissimis uiris, qui disciplinam hæc
illustrauere. Orchenia cum Arabia deserta includitur, dirimitur a
felice perpetuis montibus, nec minus a Babylone, ab isdem illis mon-
tibus, qui Chaldæã dirimunt a deserta, pertinet aut ad sinum Persicū,
cuius litoris lōgitudō ab alteris montibus ad alteros media extēditur.

De Virgine.

Rerum qualitates ordine quodam suo alteram altera sequitur necessi-
tate naturæ, id quod in anni temporibus usuuenit propter Solem signi-
ferum peragrante. Siquidem ex ardentissimis caloribus quibus aer
accenditur, dū Sol Cancrum ac Leonem permeat, orbiculariter succē-
dit, ut exucto humido, summa subsequatur ariditas, quæ desinentem
æstatem ineuntem Autumnō coniungat, quoad enim humidum in Vi-
scibus excreuit, uergente in uer hyeme, eatenus in Virgine opposito Vi-
scibus signo ariditas humiditati contraria augetur, declinante iam
in autumnum æstate, efficiturq; de Solis circuitu quemadmodum qua-
tuor anni temporum sic ipsarum qualitatū in se naturalis illa de
qua dictum est alternatio. Quibus e rebus nunc incrementum, nunc
imminutio

imminutio proficiscitur, tanta cum uarietate, et commutatione, ut fa-
ale interitus sequatur rursus ex interitu procreatio et uita. In hæc
igitur signiferi orbis portione, quæ Virgo appellatur, arefcūt sic oia,
ut siccitas quæ suapte natura generadis rebus male idonea est, regna-
re iam incipiat, quam ob rem signum ipsum Virginis sterile putatū
est, quodq; Græci dicunt ἀρερον hoc est infœcundum, parumq;
omnino genitale, quin etiam ab artium humanitatis studijs Anthro-
pides uocatum est, efficit enim natos bonos, honestos, uerecundos, deli-
cosos, literatos, eruditos, mysteriorum atq; arcanorum gnaros, com-
putatores, rationales, dispensatores, morū institutores, scribas, negotio-
sos, curiosos, quæ uirtutes hominum sunt propriæ, nec immerito in
Vrania nostra huic signo tantopere assurreximus. Quin et ut homi-
nis ipsius initia erumosa sunt, etenim infans cum primum terram
attingit, in fletum prorumpit, sic qui nascēte Virgine in lucem ueniūt,
primos uitæ annos difficiles, ac sollicitudinis et laborū plenos exi-
gunt, post uero ætate progrediente fructus uitæ uberes consequun-
tur cum honore et laude. Ipsius autem Virginis signū in uniuersum
quidem humidum perhibetur, ac tonitruosum, diuisim tamē habetur
huiusmodi, ut quæ antecedunt partes sint calidæ, corruptioniq; accō-
modatæ, quæ mediæ temperatæ, quæ ultimæ humentes ac pluuia,
partes uero septentrionales uentosæ, quæ tamen in austrum tendunt,
moderatæ. Est autem hoc naturæ temporis illius maxime accommo-
datum, ut quo tempore Sol Virginem permeat, frequentiores in aere
tonitrus fiant. Nam et diurni Solis ardores minuuntur noctibus iam
crescentibus, et exhalationes illæ calidæ in caelo multæ simul coeūt,
nec tamen regio illa humidis quoq; uaporibus uacua est, quos nec
Sol omnino die potest absumere, et noctes refrigerare iam incipiūt,
quæ alimentum illis præbent. Iure igitur tonitruosum signum cogno-
minatū est, cæterū ut uniuersim quidem humidū sit, non uidetur oio
probabile, quis eiusmodi esse in aliquibus fortasse regionibus propter
terræ situm eueniat. Vltimas uero partes humentes ac pluias puta-
re, naturale omnino uidetur, siquidem eo tempore et multi et ma-
gni hymbres e caelo funduntur, Sole ipso signiferiq; orbis conuersione
hoc præstante. Quæ e re fit, ut hæc ipsa signis accidere putentur, quæ
tamen mutantur pro terrarū situ, nec ullo modo perpetua sunt. Nā
et in Italia Campaniæ tractus abūde humens ac pluuus e, e con-
trario Apuliæ non modo siccus, uerū etiam siticulosus. Fines autem
Virginis iraduntur esse huiusmodi, ut primi fines qui septem e par-
tibus constant, Mercurioq; addicuntur, natos futuros indicent subli-

mes, excellentes, generosos, gnaros, rectores, administratores, rerum magnarum dispositores, probos, moderatos, aequos, mansuetos, solertes, ingeniosos, Veneris tamen in rebus male fortunatos, quas ad res insignnum hoc uniuersum quidem male idoneum esse putant, cum primis tamen septem has de quibus nunc loquimur, parum felices esse, An fortasse quod Venus in Virgine deijatur, et tanquam corruit? cum sit altitudinē eius aduersa, exq; eo fiat, ut ab eiusmodi rebus proficiatur accusaciones, atq; infamia. Sex quae sequuntur partes ē quibus Veneris fines constant, natos reddūt opprobriosos, infames, quiq; in rem uxoriā turpiter prolabantur, ydem exercebunt se in ludis ac spectaculis, rebusq; theatralibus. Quae post has sequuntur partes q; Iouis finibus attributae, agriculturā studiosos, mansuetos, ac recti probiq; amatores, foecundos, quiq; aliorum procuraciones exerceant. Quae deinceps insequuntur sex, Saturni finibus dedicate nati mores futuros portendunt contaminatos, flagitiosos, despicabiles, ac ridiculos, ipsum autem frigidum ac parū uiuacem. Sex ultimae quae Martis fines constituunt, natos faciunt uiriles, atroces, saeuos, seditiosos, cōuiciatores, popularium turbarum concitatores, fallaces, falsarios, calūniatores, impositores, quiq; noctu atq; in tenebris grassentur, tandēq; in uinculis ac carceribus macerentur. Aegyptij uero primos Virginis fines partibus ē septem coactos Mercurio attribuunt, Veneri secundos ē decem, Ioui tertios ē quatuor tantum, quartos Marti partibus ē septem, Saturno ultimos duntaxat ē duobus. Quibus itaq; nascentibus Virgo horoscopabit, quoniam hoc in signo Mercurius habet etiā altitudinem, non modo domestica iurisdictionem. Adhuc quia Venus, Lunaq; praesunt huic triangulo, hi futurorum prudentes erunt, et ipsarum in somnia quaedam quasi oracula futura sunt, et deorum se illis mentes aperient, per responsa, per sortes, aut per magicam disciplinam, religionum sectatores erunt, suasq; actiones ad deos immortalis potissimum referent, iucundi, humani, amicitiae obseruatores, docti, rerum abditarum perscrutatores, bonarum artium gnari, facundi. Ineunte tamen aetate (quod supra dictum est) laboribus ac difficultatibus implicabuntur plurimis, uitaq; eorum principia solitudinis atq; egestatis plena erunt, post tamen procedente, atq; in grauescente aetate abundabunt re familiari, magnaeq; illis facultates obuenient, quarum comparandarum diuersae causae rationesq; futurae sunt, propter Mercurium ac triangulatores quos dixi. Nam aut per negotiationem, aut per legationes, aut per disciplinas, quae Mercurij sunt munera, aut per sacerdotia, ac sacrorum genera, quae

sunt Veneris, aut per administrationes, promotionesq; quae ad Lunam potissimum referuntur, diuitias, censumq; sibi comparabunt. Eorum autem adolescentia futura est mollis ac deliciosa, quippe qui a lasciuia uicti totos se amori dederunt, et (ut inquit Iulius Maternus) omnium mulierum concubitus concupiscent, post uero superata signa anaphora atq; ascensionibus, sedata cupiditate, modestam induent, ac intra uerecundiae gyrum redibunt. Cum Virgo culminauerit, natos ipsos ad magistratus atq; administrationes promouebit, conferetq; magnae potestatis licentiam, proponetq; tribunalibus, atq; eorum iussa audientur a subiectis, praescriptisq; parebitur, quin ab eisdem multa quoq; in alios beneficia conferentur, siquidem opera, ingenio, atq; auctoritate sua profuturi sunt quam plurimis, quos in gratos experientur propter Martis, Saturniq; maleficientiam, quorum alter domicalium habet in Capricorno, altitudinē alter. Etenim Capricornus cum Tauro Virgineq; triangulatur. Occidente Virgine qui nascentur futuri sunt diuites, cordati, secretorum ministri, fideles atq; in amicos officiosi, uxores incomparabili complectentur affectione, quas non nunquam parum gratas, maleq; in amore beneficijq; respondentes inuenient, quarum etiam dolore aut liberorum ex eis susceptorum infortunis laborabunt. Licet enim locus hic uxorū sit proprius, suo tamen situ aduersatur ascendenti. Quocirca necesse est, situs ipsius naturam sequatur, ne ab inferendis molestijs discedat. Qui in lucem uenientes Virginem subterraneo in cardine habuerint, hi primam aetatem grauem ac laboriosam sentient, post mutata fortuna uita feliciores uentur. Illud quoq; aduertendum est, quod Virgine ortum tenente, Gemini culminant, ea culminante Gemini occasum possident, ea rursum occasum tenente, inum Gemini cardinem tenent, ydem quoq; horoscopabunt, inum illa cardinem possidente, plurimum enim adiuuenti confert, ut eadem stella praesertim bene collocata duobus simul caeli cardinibus domicilij sui auctoritate praesideat. Regiones autem Virgini subiecte sunt Mesopotamia, Babylonia, et Assyria. Finitur autem Mesopotamia qua septentrionē spectat, maioris Armeniae motibus, ac Tauri parte, quae ab occasu flumine Euphrate, q; ysdē defluit ē montibus, qua Syria diuidit ab ea, ab ortu solis Assyria et Tigri flumio, a meridie quoq; idem Euphrates inter eam Babyloniaq; elabitur, etenim flumen ipsum a Chaldaea de qua diximus flecti incipit, sinuosiorq; perlabitur, donec Tigridi miscetur, unde Mesopotamia hoc est interamma dicta est. Babylonia quae a Babylon urbe nomen accepit, nam et regio etiam ipsa Babylon dicitur, qua septentrionem spectat Euphrate terminatur, qui eam Mesopotamia

miamq; intersecat, flexuosius illabens, ut dictum est, qua meridiem sinu Persico, ad occasum uero Arabiae deserti, montibusq; qui illam a Chaldaea diuidunt, quam Leoni subiectam diximus, ad ortum Susiana, iisdemq; fluminibus, qui eodem alueo mare Persicum, duobus tamen hostijs ingrediuntur in eum sinum, qui Mesanites dicitur. Assyria coniungitur Armeniae, motibusq; est quibus Tigris defluit, a septentrione, ab occasu autem Mesopotamiae, a qua Tigris eam disiungit, a meridie Susiana, ab ortu Media. Graeciae quoq; pars ea quae quondam Ἰλλυρία uocata est, item Achaia, & Creta insula subiunguntur Virgini, de quibus haec trademus. Hellas antea fuit quae postea Graecia a rege uocata est Graecia, eadem fuit etiam Thessalia & Aemonia, ut Plinio placet, atq; ab Achaia diuersa, nunc utraq; Graecia est, quin etiam Graecia ipsa Macedoniae bonam partem, Thraciamq; ipsam hodie complectitur.

De Libra.

Librae signum quod uetustissimi Graecorum ἰλίαν uocauerunt libetius, ex toto quidem uariabile & incertum est, propter anni tempus Solisq; declinationem ad inimum cardinem, cum orbis ipse anni temporumq; eius qualitatem peruenerit ad eam partem, de qua ab arido in frigidum fit transitio, exuctis ac penè exhaustis terrae uisceribus, subductisq; in aërem aspirationibus quam plurimis, quas crassiores esse necesse est, ac terrestres admodum, quippe cum ex intimo terrae sinu ad apertis meatibus uel quadam adhibita sursum perlatae sint, ea spissitudine, ut occupato caelo caligare illud compellant. Quonia autem aspirationum earum ea natura est, ut uentos maxime generent, declinante die, succrescente nocte, aridoq; in frigidum transiente, necesse est caelum ipsum uentorum uel assidue mutari, quin etiam ob uarietatem ipsam uentorum aspirationumq; cum sol excoquere uaporem omnem nequeat, misceri ac turbari non solum ambientem nos hunc aërem, uerum etiam terras, quas incolimus, mariaq; interfluentia. Quantoq; regiones ipsae magis euaporant, atq; exhalant, aut propter suum conuallium montiumq; maiores uaporum euectiones atq; exhalationum fiunt, tanto conturbationes ipsas maiores ac uehementiores fore necesse est, caeliq; statum sic mutari, ut in horas penè singulas euariet. Quod autem mirum uideri debet nemini, si omnino signum hoc uariabile iudicatum est, ab aëris ipsius affectionibus tam incostantibus, si autumnum ipsum tum uentorum, tum morborum, qui ex aëris incostantia potissimum generantur,

patrem dixere. Adhaec signa omnia quae caeli cardinibus praesident, mutabilia sunt ac suapte natura uariantia. Diuisim uero primas ac medias Librae partis temperatas esse uolunt, ultimas humiscentes, quae in boream surgunt, uentosas, quae in austrum declinant, humidas & corruptentis, quae quidem omnia cum natura temporis illius hoc est autumnus conueniunt, quando ea pars anni pluuia ac pestilens est, uentorumq; concitatrix. Qui uero finium naturas explicant, Ptolemaeiq; comprobationem sequuntur, ita quidem tradunt, ut fines primus sex est partibus constituti, quod Saturno subseruiant, qui hoc in signo altitudinis iurisdictionem exercet, sint regiae excellentisq; naturae, maxime in diurnis genituris. Quam ob rem uentos ipsos magnas ac generosas ad res impellunt, maximisq; negotijs implicant, steriles tamen sunt. humidamq; ob qualitatem corruptionem afferunt. At qui Aegyptiorum opinioni assentiuntur, quanquam primos fines partibusq; est sex Saturno dederunt, fines tamen secundos, partibusq; ex octo constatos Mercurio tribuunt, tertios septemq; est partibus Ioui, quartos Veneri item est septem, ultimos duabus tantum est partibus Marti. est Ptolemaei igitur approbatione secundi loci fines quinque est partibus comparati, Venerisq; potestati addicti in animis natorum studium ingenerant honestatis, pietatis, ac religionis, item picturae, sculpturae, torcumaticae, uersuum, canticorumq;. Erunt autem nati ipsi in re uxoriae fortunati, atq; in plerisque felices. Tertij loci fines partibus quidem ex octo compositi, cum sint Iouis, natos locupletabunt uenaliis quidem est lucris, uisdemq; immundis ac sordidis. Quartij loci fines quinque est partibus compositi, Mercurijq; stelle ascripti natos ipsos ad ea quae Mercurij sunt, impellunt, ad mercaturam, ad forum, ad commercia rerum uenaliuum, commutationesq;, ad studia item Grammaticae, scripturarum, epistolarum, quorum quidem animi nec a iustitia recedent, & res suas prudenter administrabunt. Vltimij loci fines sex est partibus compositi, Martiq; attributi natos ipsos militaribus in rebus exercent. ducent enim ordines ac robur animi, strenuitatemq; praeseferent, rapinus gaudebunt, atq; in exercitatione militari, rebus bellicis satis felices erunt. ineritq; illis magna animorum fiducia, uigor item elatioq;. fratribus aut carebunt, aut cum illis male conuenient. Haec Libra portendere pro natura finium existimata est ab authoribus non ignobilibus. Quibus igitur ea ascenderit, ij futuri sunt iustitiae, modestiae, honestatisq; studiosi, deorum cultores, liuidi tamen admodum, quiq; alienis bonis inhiet, quae uitia de Saturni malitia ortum ducunt, qui non modo altitudinis, uerum etiam triangularitatis ius exercet

in Libra. Genus uitæ eorum erit inconstans & uarium pro natura signi. Ipsi multis litibus contentionibusq; uexabuntur, uerfabunturq; in ministerijs annonæ, ponderum mensurarumq; atq; inter pigmentorum operumq; officinas, quarum etiam rerum administrationi præsidebunt. Generaliter autem, ut in Urania scriptum est.

Hoc igitur signo genitos primum æqua probumq;
Delectant, lucrumq; olei & Baccheia merces.
Præcipites sed liuor agit, tum pondera tractant,
Annonamq; unguentaq;, & æquis corbis instant.

Sed uariat fortuna suis mutabilis alis,
Et molles animum mores, & auara cupido
Inficiunt. Igitur Libra fulgente per ortum
In lucem quicumq; uenit, non ille deorum
Contemptor, non recta animi sententia mentem
Deferet, aut claris exurgens gloria factis,
Sed uitæ tenor inconstans, morbusq;, laborq;
Turbabunt, & multa nouis discrimina rebus,
Nunc lites, atq; immeritis certamina causis,
Nunc aduersa fori uexabunt arma, sed ipse
Inuictus feret, ac multo se robore firmat,

Quem tamen amissis prosternent funera natis.

Saturnus itaq; ut dictum est, hinc lites & contentiones causasq; dolorum atq; erunarum suscitatur, illinc animi firmitudinem ac robur in aduersis præstat. Venus autem signi domina præsidium quoque suum non denegat, inter tristitiam & gritudinemq; letitiam miscebit, peculiariq; uoluptate sua leuabit tristitiam, lenietq; & gritudinem. Horum est hominum iudicium erit rectum, sententiæ plenæ fidei atq; prudentiæ propter utranque stellam Veneris ac Saturni. Nec deerit illis Mercurij fauor, signi ipsius triangulatoris pro collocatione tamen cuiusq; in genitura, ac genitura ipsius mensura. Qui nascentur Libra culminante propter Venerem erunt eloquentes, eorumq; oratio suauis & grata, religionibus item dediti, uerecundi, modesti, eiusdem etiam stellæ beneficio liberabuntur a grauibus periculis, quod dijs immortalibus acceptum referent. Procedente etiam tempore fortuna secundior eis futura est, actio nesq; felicius succedent. Siquidem ob Saturni etiam stellam obijciunt eis aut hereditates, aut thesauri, aut è secretiore ac uetustiore re, negotio uel bona conferentur, aut è rebus alijs quæ à Saturno denuntiantur. Octasum tenente Libra, in lucem qui uenient propter naturam signi inconstantis, & propter cardinem, eorum uitæ genus nunquam erit

num erit, sed continuatione quadam inconstanti et lubrica uariabit adeo, ut ex imo ad summum sæpius locum subleuentur, ad imum a summo postea deturbentur. eodem modo è latis ad tristia, è tristibus ad leta iocundaq; transferentur, ut tanquam alternis gaudium moror, felicitas atq; infelicitas inuicem certent, deq; uictoria inter se di gladietur. Horum autem hominum uita consuetudoq; futura est in aula regum, aut apud ciuitatis principes, aut in publicorum munerum administratione propter Saturni pertinax ac potens sydu, quod licet sit laboriosum ac difficile, natos in ipsos extollit, & ab imo ad summa bene potenterq; collocatum effert. Qui in lucem uenient Libra infimo in caelo collocata, paternum censum amittent, partasq; a maioribus diuitias non retinebunt, prementurq; a laboribus multis, uitam autem longiorem sortientur, nec iobitu sepulturae honore carituri sunt propter Aquarij, ut arbitror, triangularitatem, quem octauo in loco contingit reperiri, Libra in imo consistente. Ad hæc caeli locus imus ea denuntiat quæ post obitum obuentura sunt, ut supra iam diximus, uerfabuntur autem in muneribus, ac ministerijs popularibus, ita tamen ut uix ad primum negotij quod administrabunt locum perueniant. Quas ad administrationes beneficiorum literarum euehentur, præsidio potissimum Geminorum, Mercurijq; eorum domini, qui de triangulo fauorem suum loco huic subministrantes afferent. Quodq; ipsi Gemini duodecimo in loco pigro scilicet atq; abiecto reperiuntur, non poterunt nati ad primum administrationis suæ locum, ut dictum est, peruenire. Hæc igitur Libra in aliquo caeli cardinum quatuor constituta nascentibus denuntiat. Libra subiacet Bactriana, Casperia, & Serica. Harum prima contingit ab octasu Margianam, a septentrione ac Solis exortu Sogdianos, atq; Oxum flumen, a meridie Ariam. Serica ab octasu habet Scythiam, quæ est extra Imaum montem, a septentrione terram incognitam, similiter ab exortu. at a meridie Indiam, quæ est extra Gage. Casperiam diuidunt a Sacis montes, è quibus defluunt Indus, quiq; in Indum influunt Bidaspus, Sandabalis, & Quadris. Est autem statim post Indum, pertinetq; ad Zaradrum fluium, qui eam a Gymnosophistis diuidit, adiacetq; Sacarum montibus. Oasis quoq; ac Thebas, quæ quidem diuiduntur a montibus, qui Libyci appellantur, Libræ addicuntur. Est autem Oasis sita post motem, qui Aegyptiaca lingua Arenosus uocatur, ac secundum Solis fontem, ac Meridiam lacum. Duxit autem nomen ab urbibus duabus eiusdem nominis, quarum altera quæ parua cognominata est, uergit ad Meridem, altera quæ magna, ad motem Arenosum. Thebas quæ inter montes Libycos,

¶ Nilum portenditur, quæq; ab urbe quondam celeberrima dicta est, Aegypti partem occupat, Item Troglodytica, quæ iacet ad mare rubrum, sinumq; Arabicum, quiq; Adulicus dictus est, pertinetq; ad Elephantum montem. Labitur autem per eam flumen Astabora, qui est Garbato monte in Nilum influit, ad Meroen insulam una cum amne Astapode, qui est Coloa palude per Siruthiophagos decurrit.

De Scorpio.

¶ Era gratis a Sole Chelis, caligante summum in modum aere, sursumq; euecto omnis generis halitu, aridoq; in frigidum declinante, cum u dies minutatim decrescat, et Sol ad infima orbis sui declinet, necesse est coelum ipsum turbari, atq; in dies desius obnubescere, calido frigidoq; inter se certantibus, dum ignitæ fumigationes contendunt, ut ad aestuosam illam regionem sursum penetrent, aut dum inclusæ frigescentibus a uaporibus exploduntur, ac tanquam fugatæ constrepunt, tonitrus quoq; frequentissimos in caelo fieri. Quod circa signum Scorpii quod uetustissimi Latini Nepa dixere, non iniuria tonitruosum ab illis omni est parte iudicatum est, nec minus etiam fulminosum, quo tempore et coruscant coelum sæpius propter densitatem uaporum exhalationumq; inter se certantium, et fulgetræ plurimæ, inflammationesq; per aere discurrentes cernuntur. Quodq; frigida uis in dies crescentibus noctibus, hebescente Sole, mirum in modum augetur, hymbres ferre contumui est caelo funduntur. Quin etiam cogente frigore, non hymbres modo uehementer frigidi sæpius decidunt, uerum etiam niues, nec solum in montium cacuminibus, in quibus frigus ipsum regnat, uerum etiam in planis, locisq; demissioribus. Itaq; Scorpii partes primæ nimbose sunt, exuperantiq; iam frigore nimbos in niues cogunt, procellasq; atrociores exsuscitant. Quoniã autem expurgato iam aere, solutis in hymbre ac niuem uaporibus, naturale est coelum ipsum dies aliquot conquiescere, hinc efficitur ut mediæ Scorpii partes reddatur temperatiores, quo tempore sedatio quædam in aere accidit. Post uero euaporante ac fumigante terra, frigescenti caelo, multis rursum coactis nubibus, res omnis ad pluias, nimbos, ac niues redit. quæq; post largam pluiam serenitates, post austros qui tunc potissimum regnant, boreæ subsequuntur, indeq; terræ superficies gelu concrescit, nec exhalari est terra inclusos flatus permittit, terræ ipsius motus quoq; fieri aliquando contingit. Vnde postremæ signi huius partes concussionem terrarum excitare, quod res ipsa non raro comprobatur, iudicatur. Quibus de causis autumnii potissimum tempore, motus hi sunt. hicq; quidam quasi morbus, noxiaq; affectio

a terra concipitur, ut non solum pars hæc anni in animalium corporibus, uerum etiam in uasta illa terræ ipsius mole morbos ingeneret, tremereq; deinde eam cogat. Partes autem signi huius quæ septentrionales perhibentur, aestuosas ac torridas esse uolunt, australes uero humidat. Quæ uero ratione partes hæ nostris in regionibus æstuent ac torreant non uideo, cum Sol ad eas nisi declinante iam autumno non accedat, quo tempore frigora iam intenduntur. Neq; enim in hoc terra situ tanta esse potest fixarum uis, si quæ æstuosioris naturæ in proximo collocatæ sunt, ut temporum naturam exuperent, etiam proximo a Sole calefactæ. Quod uero ad fines ipsos attinet, eiusmodi est, ut primæ partes, quæ sex sunt numero, Martiq; additæ, ut autem Aegyptij arbitrantur septem, tumultus, seditiones ac rixas excitent, mutabilitatem, infirmitatemq; animorum, nec non iracundiã, atq; indignationem exsuscitent, natos ipsos uerbosos, parumq; in loquendo moderatos, eosdem etiam ardentis in cupiditatibus atq; in uita inordinatos faciant, resq; ad militares impellant, quin etiam ut peregre multum proficiant cogent. Eadem partes ut fratres complures, sic filios rariores promittunt. Partes octo quæ statim subsequuntur, Iouisq; fines constituunt, pontificatus, purpuram, honores, prætextas, magistratusq; decernunt, deorum etiam cultum, beneficentiæ, itemq; humanitatis ac mansuetudinis studium, natos ipsos gerendis atque administrandis rebus deditos, magnopereq; actiuos significant. Ut enim a negotio negotiosos dixere, utq; ab actu actiuosum duxit Cicero, sic nos ab actione hoc est ab agendi studio habitusq; actiuos deducimus. Hos autem fines quatuorq; duntaxat est partibus Aegyptij Veneri attribunt. At qui Ptolemæum sequi uolunt, partes septem, quæ Iouis finibus coniunctæ sunt, Veneri ascribunt, quæ nuptialibus in rebus felicitatem, erga deos cultum, erga homines dilectionem, mutuamq; beneuolentiam illorum portendant, rerum ite familiarium affluentiã, eorumq; quorum uoluptate nati capiuntur copiam, multæ proles susceptionem, uitæ item suauitatem ac iucunditatem. Partes sex quæ deinceps sequuntur, Mercurioq; attributæ sunt, armorum atq; athleticorum certaminum studium denuntiat, eosq; qui nati fuerint, contentiosos, conuiciatores, detractores, qui tamen flagitiosos ac uersarios insectentur, ipsos autem salaces ac multi coitus. Aegyptij fines hos quoque partibus constituunt, Iouisq; addicunt. Reliquæ res Saturni, ut autem Aegyptij arbitrantur sex, male quidem felices perhibentur, filios enim ac fratres uix largiuntur, nati ipsi futuri sunt tristes, osioresq; mulierum ac suorum uenena miscerunt, multorum etiam scelerum conscij atq;

oculis uisus infecti, susurrones, flagitiosi, contumaces, detestabiles, adeoq; etiam contaminati, ut eos dii, hominesq; abominentur. Generaliter autem Scorpii signum pro sua Martisq; natura natos efficit iracundos, uersutos, subdolos, acutos, ingeniosos, uolentos, infidos, proteruos, sicarios, rapaces, alienorum cupidos, suiq; studiosos, ueneficos, maleficarumq; potionum ministros atq; auctores, cædis etiam, scelerumq; plurimorum conscios insidiatores, periuros, quiq; nihilominus præsidis deorum innitantur, aut eorum imbuantur sacris. Horoscopus autem scorpius largitur nascentibus acumen ac dexteritatem ingenij, ornatum ac dicendi copiam. Erunt autem ipsi in prima ætate laboribus multis oppressi, laborabuntq; diuerso genere infortuniorum, a quibus post procedente tempore liberantur, patriam domiciliaq; mutabunt, in aduersis deorum præsidia requirent, aut sacris etiam imitabuntur. delectabuntur rerum nouitatibus, amicorum etiam causa in pericula sæpius incident. Nam et ornatus uerborum, suauitasq; sermonis, et præsidia a dijs immortalibus petita, sacrorumq; initiatio a Venere proficiuntur, quæ triangularitatem habet in Scorpio et in Cæcro, q horoscopante Scorpio reperitur nono in loco, qui est religionis ac pietatis. Prohibitio item, atq; auersio periculorum, et aduersantis fortunæ in prosperam commutatio a Ioue, nec sine Venere ipsius Lunæq; beneficio proueniunt. Nam et Iupiter altitudinem suam habet in Cancro, domiciliumq; in Piscibus contriangularibus signis, et Luna Venusq; in eisdem signis triangulare ius exercent. Labores autem ac pericula a Marte, cuius malefica natura est, obijciuntur. a quo etiam studium, reruq; nouarum oblectatio gignetur. cui etiam Lunæ in constans natura non parum adijciat, a qua ingenij aptitudo dexteritasq; conferetur. Quod autem Mars triangulo huic patrocinetur, maleficientia sua triangulum omne inficit, quo circa liberis quoq; nocebit, cum Pisces, horoscopante Scorpio, quintum hoc est proles locum teneant, amissam tamen sobolem ob Martis peruersam naturam Iupiter signi dominus instaurabit, ac Venus, quæ quinto loco, ut ante dictum est, præsidet, beneficaq; qualitatis est, habetq; in Piscibus altitudinem. Idem Scorpius culminans animi quidem robur, mores tamen difficiles nascentium denuntiat, quos et mutare patriam cogit. Quodq; locus decimus id est cœli culmen non patriam modo, uerum artes quoq; actionesq; designat propter Martiam infectionem, nati ipsi principio ad indigna, seruilisq; ministeria compellentur, qui tamen paulatim ab hac ipsa negotiorum humilitate post subleuabuntur, potentis alicuius uiri auxilio et opera præsertim si locus ipse decimus

fuerit alicunde feliciter illustratus, ac Venus Lunaq; trianguli patronæ bene collocatæ fuerint. In re item uxoriam initio erunt male fortunati, præsertim Leone de quo dictum est, locum septimum, q uxoriam est, tenente. Idem quoq; in suscipienda prole sentient, siquidem Mars Scorpii dominus, ut etiam Maternus tradit, in septimo geniturae loco constitutus, coniugis ac filiorum locum acerrime insectatur. quo circa signum ipsam eandem domini malignitatem decimo etiam est loco in uxorem ac liberos euomit. Septimum in genitura loco tenens Scorpius natos reddet gnaros ac bene cordatos, quiq; in actionibus suis prudenter industrieq; sese gerant. Etenim Mars ingenij calore suo acuit, neq; animos desidia marcere patitur. In infimo cœlo positus Scorpius administrationibus quibusdam natos præficit, in quibus primum est locum tenebunt. Illud uero aduertendum est, Martem quocunq; in cardine collocatum, nascentibus diuersa mala periculaq; obijcere. Quo circa Scorpius ipse suapte etiam natura peruersum signum, domini sui naturam in cardine constitutus induit, ac siquid boni decernit, illud de cardinis potius natura potestateq; prouenit, quam ab eius suffragio. Ascribuntur autem Scorpio Mauritania, Metagonitica, ac Getulia, item Syria, Commagena, et Cappadocia. Est autem Mauritania sita ad oceanum Atlanticum, ac fretum Gaditanum, cuius etiam latus mari Hispano abluitur, eiusdemq; partem illam quæ ad fretum est, Metagoniticam Ptolemæus uocat, in qua est Tingis oppidum hodie quoq; celebre mutatis literis Tanger, a quo regio quondam Tingitana. Ipsa autem Metagonitica qua Atlantico clauditur mari ad Atlantem minorem pertinet, qua Hispano ad Metagonitem promontorium a quo uidetur nomen duxisse. Omnis autem regio qua Balearico ac Sardo mari abluitur, ortum uersus, ad Ampsagam flumen pertinet, qui eam ab Africa minore diuidit, a meridie clauditur Atlante maiore, post quem sunt Getuli. Plinius uero ait Numidiam appellatam Metagoniticam, de qua diximus, ac Masinissæ regnum fuisse. Ptolemæus autem, ut dictum est, eam finit ad fretum Gaditanum, Metagonitemq; promontorium, cum Numidia sit post Ampsagam flumen, atque in parte minoris Africae. Adhæc Ptolemæus Numidiam et Africam Cancro Metagoniticam Scorpio subiicit. Getulia sita est post Atlantem maiorem ad oceanum occidentum, quo monte determinatur a Mauritania Africaq; minore. pertinet autem ad Garamantes, Libyæq; interiora, ac solitudines. Syria finitima est Ciliciæ a septentrione, ab occasu mari tenditur, quod ab ea Syrum dicitur, continetq; Phœniciam, quam

tam diximus Leoni subiectam esse, a meridie Iudææ, atq; Arabiæ, quæ Petrea agnominatur, ab ortu uero Arabiæ desertæ. Commagena Syriæ coniuncta est, aut eiusdē potius pars ad Euphraten sita post Amanum montem ac Taurū, quibus a Cilicia Armeniæq; diuiditur. Cappadocia quæ a flumine nomē sortita est, habet ab occasu Galatiā hoc est Paphlagoniam, ac Pamphylia, a qua Taurus illam separat, itēq; a Cilicia, quæ est illi a meridie posita. At qua exortum spectat iungitur Armeniæ ad Euphratē, qua uero septentrionem Ponto Euxino abluatur. Est in ea Trapezos, quæ post dedit nomē regioni, propter imperium unde hodie Trapezuntia uocatur. deleucre autem imperium ipsum paucis ante annis Turcæ, imperante Mahometo.

De Sagittario.

Rerum cœlestium scriptores, ac princeps eorum Ptolemæus tradunt Sagittarij signum penitus uentosum esse, quamuis quo ad triplicem partū diuisionem, primam quidē humidam, secundam temperatam, tertiam calidā urentemq; esse uelint. Nec mirum quod si primæ partes humidæ, ultimæ calidæ sunt, medias temperamentum quoddam sequi, desinente iam autūno atq; appetente hyeme. Cur autē uētōsum sit præteritarum pluuiaū ratio palam indicat, siquidē ea natura uentorū est, ut post pluias statim cessent, se deturq; aër, è cuius sedatione uentorū etiam cessatio sequitur. Cū enim uētōrū materia sit terrestris illa aspiratio, maxime arefacta et torrida atq; a calore quæ illā torruit sursum rapta, multumq; agitata, ea humectantibus atq; refrigerantibus hymbribus prorsus extinguitur, qua extincta uentorū uis emoritur. Consueuere autē, Sole Libram et Scorpiū permeante, fieri magnæ et ferè cōtinuæ pluiæ, nimbūq; admodū procellosi, quibus madefacta terra aspirationes illas suas, quas uētōrū materiā esse diximus, tādium intra aliuū continet, donec pluias illos uapores, quibus terra diluta madefcebat, in aërē de more suo Sol sustulerit, quibus sublatis multā rursus aspirationem sustolli simul necesse est. Cūq; aër eo tēpore non mediocriter frigescat, aspiratio ipsa arefacta et fumida sursum perlata, ubi frigus sensit, deorsum ab illo reijcitur, quæq; leuitate ac fumositate sua nequeat deorsum omnino rerrudi, unde exhalauerat prius, obliquo itinere atq; cōtortis spatij aërē impellit, agitatq; in diuersum, quo fit ut Sole Sagittarium permeante, uenti plurimi gignantur, ac signum ipsum uentosum iudicetur, talēq; plerumq; contingat esse ijs in affectionibus, quæ in aëre eueniunt. Quod uero ad genituras et hominū mores attinet, Sagittarij signū natos efficit generosos, liberales, magnanimos,

magnanimos, iustos, maturos, beneficos, moderatos, faciles, misericordes, in tractandis tamen rebus subobscuros ac duplices, cum signū ipsum duplici è natura sit præditum, fratrum item, cognatorū, amicorūq; studiosos, et, ut ita dixerim, fratricolas, ammicolasq; honorū etiam appetentes, iudicijs ac tribunalibus præpositos, quiq; amissa facile reciperent, ac repensent compendijs damna prius accepta, non tamen ut multa prole abundant, quandoquidem Sagittarius igneus est, nec abunde fecundus, et, ut Græci dicunt, ἀλιόγονος. Sequitur autem signum ipsum in ijs quæ dicta sunt Iouis naturam, sub cuius est dominatu ac triangularitate, idem nati Solis etiam suffragio qui cum Ioue triangulum hoc possidet in contentionibus ac certaminibus aduersarios suos prosternent. Quo ad fines autem ac finium partes Sagittarius ita distinguitur, ut primæ octo partes quæ Iouis sunt, homines actiosos faciant hoc est ad peragenda negotia, ipsasq; ad actiones accommodatos atq; efficaces, utimur enim uerbo hoc libenter, easdem etiam genitales esse uolunt, quæq; fratres, liberosq; complures promittant, quo uero ad qualitatem humectatis quidem, certo tamen cum temperamento. Quæ deinceps sequuntur sex cum sint è Veneris finibus, in animis nescientium pietatem, temperatiam, gloriæ laudesq; cupiditatem ingenerant. arbitrantur etiā conferre honores, coronas, auctoritatemq; et apud populum, et apud principes, fratres ac filios complures promittunt, diuersisq; è mulieribus. Tertio loco numerantur partes quinque Mercurij finibus attributæ, quas perhibent eloquentiæ, sapientiæ, rerumq; cognitionis studium atq; cupiditatem in animis nascentium, earumq; indagacionis ita insigere, ut nati ipsi excellere in aliquo doctrinæ ac scientiæ genere contendant. Quarto loco numerantur partes sex Saturni finibus attributæ, quas steriles, frigidas, noxias, uitiosas, damnosas, despicabiles, et in cunctis male felices arbitrantur. Quinque reliquas Martis finibus ascriptas tradunt esse igneas quidem, ac periculosas, iniurias, contumeliosas, impudentes, corruptas, contaminatas, atq; infidas. Denique Sagittarij signum ex omni parte in hominum actionibus peruariū esse uolunt. Aegyptij uero in constituendis finibus, numero duntaxat dissentiunt. siquidem primos Iouis fines duodecim è partibus statuunt, Veneris secundos è quinque, Mercurij tertios è quatuor, Saturni quartos è quinque, Martis quintos, eosdemq; ultimos partibus è quatuor. Constitutus autem in horoscopo geniturae alicuius Sagittarius, natum illum probitate, honestate, fide, ingenioq; admodum uersatili adornabit, ut tum artium, tum disciplinarum di-

uersarum cognitionem ac peritiam assequatur, utq; in publicis negotijs administrationibusq; uersetur. quod Iupiter signi dominus cum sole triangularitatis socio præstabit, quam ad rem multum etiam conferet natura signi, quod ex priore parte humanum est, odonat enim animum dotibus ips, quæ hominis sunt propria. Patrimonium censusq; illi domesticus obijcietur præter spem atq; opinionem, atq; unde minime fortasse rebitur. Hoc autem eueniet propter Pisces, qui ascendente Sagittario innum coeli locum hoc est quartum optinent, quare re aquosis in locis conuersabitur, aut negotia secundum aquas res uel aquaticas ministrabit, hac enim ratione Iupiter duobus simul cardinibus dominatur, & ascendenti, & imo, fauoremq; suum utroq; a cardine pro loci natura præstabit, multum etiam eidem adiuuenti adhibebit Mercurius tum locupletandis ingenij bonis, cognoscendisq; disciplinis, tum etiam administrationibus negotijsq; obeundis, qui reliquis duobus cardinibus id est occasu, & culmini dominatur. Idem etiam multum terrarum & quidem sponte peragrabit, propter Leonem nono in loco qui peregrinationis est, constitutum. Etenim Leo ac Sagittarius eiusdem sunt trianguli cum Ariete, & quintum in locum incidens sua quidem natura bonum ac felicem, inde auxilium etiam suum conferet. Verum, quod sæpius monui, uidenda est geniturae qualitas ac mensura, loca item ipsa quomodo irradiantur, domini quoq; ac triangulatores qua sint in coelo ratione collocati. Laborabit etiam natus hic aduersariorum odio, atq; insectationibus, etenim Sagittarius in ortu, in medio, atq; in occasu constitutus geniturae tempore, nascentibus inimicos decernit, eosdem etiam peregre proficisci diutius cogit, propter signi naturam igneam, nec sibi omnino constantem. Humanitas enim ac feritas inter se se male omnino conueniunt, cuiusmodi constitutionis est Sagittarius, cum sit ex parte humanum, ex parte autem ferum atque atrox signum. Equi uero hominisq; societas ab arte existit, potius quam a natura. Sed nec de nihilo traditum est signum hoc partim quidem ex homine, partim autem ex equo consistere, quaq; homo fingitur, sagittis instructum esse, ac, tractantem spicula, uulnera meditari, atq; ob feritatem, a gregeq; ingenium palambundum esse, peregrinationibusq; gaudere. Idem signum in culmine positum geniturae tempore eum q; nascitur agilem atq; idoneum agendis rebus pro natura sua decernit. amicitiae studium, eiusq; obseruantiam, fidelem item conuersationem domini beneficio, atq; horoscopantium Piscium cognatione promittit, & quod dictum est, inimicorum opera laborare, peregreq; proficisci, ac non mediocribus periculis iactari cogit, Iouis etiam beneficio quod amiserit instauraturum denuntiat.

Arbitramur autem iacturam partem prius substantiae, hoc est rei domesticæ originem & causam ducere ab Ariete contriangulari signo, quod secundum id est substantiae locum optinet, Sagittario in culmine consistente. Cum sit Aries signum igneum ac uarians, insectumq; domini sui Martis ueneno ac maleficientia, quæ iactura postmodum Iouis benignitate instaurabitur. Idem hic natus rebus erit amatorijs deditus, nec mirum, cum Venus in Piscibus, quod signum culminante Sagittario horoscopat, altitudinem suam habeat, Marsq; triangularitatem. Huiusmodi autem geniturarum secreta hac a me iudicantur ratione uestiganda, quamuis complura sint a re id est effectione ab ipsa potius iudicanda, quam certa omnino ratione quaerenda. Sagittarius in occasu positus geniturae cuiuspiam tempore nato ipsi sollicitudinem animiq; inquietem, plurimaq; aduersa ob rerum uarietatem denuntiat, odia item, atque inimicitias, uitamq; extra patriam externis in locis degendam minatur, cum fratribus, affinibusq; contentiones graues, atque damnosas. Etenim signa ipsa ignea, maxime Leo, ac Sagittarius, nam Aries Martis signum est, Marsq; ipse lætatur occasu propter noctem, cum ipse Luna socius atq; comes sit, nõ satis commode hoc in cardine sese habent, forsitan quod regio illa humida & frigens est, Solq; signorum ipso riu triangulator, ac lucis pater, quam ab ortu diffundit, tristatur regione illa, quæ luci contraria est, eiusq; qualitati q; maxime aduersa. Adhæc signa ignea uitalia sunt, occasus letalis, ut enim ab ortu uita proficiscitur, sic mors ab occasu. In ima coeli sede collocatus Sagittarius natum efficit agendis rebus accommodatum, agilem, eruditum, amabilem, notum, sacricolam, quiq; felicem rerum suarum euentum Deo acceptum referat, idq; precibus, sacrificijsq; testetur. atq; hæc quidem propter naturam signi ac domini. Idem hic natus susceptam prolem lugebit, post uero noua suscepta sobole mitigato dolore mæror ipse cessabit, atq; in lætitiã uertetur. Eueniet autem hoc propter malam constitutionem contriangularium signorum Arietis et Leonis, quorum alterum constituitur in octauo, alterum in loco duodecimo, quo tempore Sagittarius innum coeli locum tenet. Si enim Sagittarium in horoscopo collocaueris, locus filiorum incidet in Arietem, si Leonem, prolis locus incidet in Sagittarium. Vtrumq; autem signum Aries ac Leo deiectum ac perniciosum occupat locum, ubi Sagittarius imam coeli partem fortietur. Quo circa malignitate loci liberis damnum inferitur, quod postmodum Iupiter benignitate sua noua prole instaurabit. Rem autem familiarem natus ipse accumulabit.

propinquorum suffragio atque opera, signa enim ipsa cardinalia inuicem cognata sunt. Ad hæc in eadem hac genitura (cum orientis et culminantis cœli signa Mercurio dedicata sint, infimæ atque occidentis Ioui) efficitur, ut cognatio hæc ipsa uideatur sibi inuicem suffragari. Ac de genituris hæcenus. Paret autem signo huic Hetruria, quæ et Tyrrhenia, hodie Tuscana est, Italiæ quædam pars, quæ à Luna, Lunæque promontorio incipit, quæ è re ipsa regio ætate hac Lunensia id est Lunensis dicitur, protenditur autem ab ipso promontorio per oram maritimam ad hostia Tyberis. Sunt autem in Hetruria Luca, Vise, Florentia, Sena, Clusium, Aretium, Perusia, Suana, Surium, Nepe te, quo circa uidetur claudi Apennino monte, Tiberi flumine, et mari Tyrrhenio. Huic item paret signo ea quæ Celtica à Ptolemæo uocatur, Hispania quoque, quæ et Hesperia, et Iberia dicta est, clauditurque oceano, qui tum Hesperius, tum Ibericus ab ea nominatur, marique mediterraneo, quo satis angusto freto à Mauritania seungitur, seperatur autem à Gallia Pyreneis montibus. Quæ uero Celtica à Ptolemæo dicitur, ea Galliæ pars uidetur intellegenda, quæ Narbonensis provincia est, quam Ptolemæus Sagittario subiicit, in qua est Narbon, unde Narbonensis, et Massilia nobilis urbs, tunditurque à mari, quod Ligusticum dicitur, quo fit, ut ora quoque Ligustica, quæ Celtica atque Hetruriæ media est, Sagittario attribuitur; cui item attribuitur Arabia, quæ felix à nostris agnominata est, à Creas Eudæmon. ea est ad oceanum exposita, ac mare rubrum, clauditurque à duplici sinu, ab occasu Arabico, ab ortu Persico, à meridie mari rubro, seperaturque ab Arabia Petrea, itemque deserta montibus, qui à septentrione insurgunt.

De Capricorno.

Per agente cursum suum Sole, qualitibusque inuicem se uertentibus, dieque ad ultimum lucis detrimentum iam redacto, frigida uis usque adeo iam excreuit, ut regnare prorsus in aëre uideatur. Cumque Solaris ille calor labefactatus maxima è parte iam refrixerit, nec quos uapores sursum euexerit, concoquere ullo pacto queat, terra ipsa madescens, necesse est, hymbribus ac niuibus pro regionum natura cœlum permanare. Etenim conuectis in editum uaporibus, terra mirum in modum grauida, obsistens quoque sua in regione frigore, uapores ipsi aut in hymbrem diffidunt, aut in niues concreti dilabuntur. Quo circa Capricornus ad quem sol Sagittarium permensus, confestim præterit, merito humidus

merito humidus ab antiquis est dictus, quandoquidem eo ipso Solem hospicio suo accipiente, multæ ac ualidæ decidunt pluuie, fitque ut, uniuersim putetur signum ipsum humescere. Diuisim autem Ptolemæus putat primas eius partis uehementer urere, simulque corrumpere, humidum enim à calido facile corrumpitur. quæ quidem omnia signo huic cæterisque; item alijs obueniunt, propter Solis progressionem, orbisque Solaris à punctis æquinoctialibus euectionem ac declinationem. Finitime etiam stellæ non parum sua de qualitate conferunt. Medias autem temperamentum quoddam retinere idem Ptolemæus est auctor, ultimas uero maxime pluias esse, hymbriferasque arbitratur, quod fore necesse est tum propter rationes quas attulimus, tum quia partes austrinæ septentrionalesque; utraq; è parte suas ob causas humectant admodum atque corrumpunt, quæ quidem auctoris eiusdem opinio est. Non uidetur autem aduersari rationi, neque repugnare rerum naturæ, quod Capricorni signum cum sit, ut initio diximus, terrenum, fiat humidum ab euentu, atque ex aëris accidentia. Siquidem non raro uidemus æstates maxime pluias, contra hyemes admodum siccas. Quæ autem uia primæ Capricorni partes urere habeant nostris in regionibus non uidemus, in quibus frigora tunc maxima contingunt Sole Capricornum ingresso, quo tempore niuibus etiam complentur omnia. Plurima enim secus Aethiopibus atque nobis accidunt. Cancer enim illis plurimos ac penè assiduos hymbres fundit, æstus autem nobis ingentissimos. Forte igitur ut nobis Capricornus propter remotiorem, frigora, sic illis contrario modo ob propinquitatem æstum addunt. Nam ut stellæ fixæ urentis naturæ hoc præstent, fieri ex parte potest, ratio tamen hyemis in terris nostris plus pollet ad frigiditatem. Quo ad fines autem, finiumque ipsorum rationem, quæ sit signi huius significatio, statim explicabimus. Partes sex primæ, quæ Veneri ascribuntur, Veneris ipsius significationibus sunt appositæ, siquidem luxum eius ac profusionem referunt, faciunt enim natos belluones, lebidinosos, pathicos, discinctos, infames, ac luxu ipso perditos. Quæ sex aliæ insequuntur partes Mercurio addictæ, natos indicant futuros hystriones, nummos, scænicos, personarum fictores atque imitatores, lenones, ganeones, alletores, captatores, quique hac uia lucris inhiēt, homines quidem degeneres atque abiectos, gratos tamen atque opulentos. Partes septem quæ statim sequuntur, cum sint Iouis, natos reddunt, in ipsa etiam copia inopes, in honore ac gloria in gloriosos atque in honores, in alto gradu constitutos humiles atque abiectos, eosdemque sordidos, atque incultis moribus, nec non steriles, aut qui foeminas tantum gignat,

ac fortasse monstrosas. Nos hæc ab antiquis scriptoribus Græcis, Aegyptijsq; hunc in modum proditas referimus, mirati a Ioue ac Venere talia decerni, ni forte natura signi a Saturno Marteq; infecti propter altitudinem ac dominatum tum Veneris nitorem ac munditias, tum Iouis generositatem contamnet ac nobilitatem. Sex quæ insequuntur cum sint Martis, natos extollunt ad potentiam, ad ordines, honoresq; militares, ad dominatus, ad tyrannidem, eosdē faciunt adulteros, propriarum facultatum dissipatores, cognatorum insectatores, peregrinationibus, homicidijs, cōtentionibusq; gaudētes. Quinq; reliquæ cum sint Saturninæ, natos gignunt austeros, tristes, difficiles, morosos, acerbos, doloſos, liuidos, tardos, futuris de rebus sollicitos, frigidos, sine filijs, itemq; sine fratribus. Dissentit autem et numero, et ordine, omniq; è parte finium hæc constitutio ab Aegyptia constitutione. siquidem ab Aegyptijs primi fines Mercurio, secundi Iouis septenis è partibus ascribuntur. Terrij partibus ex octo Veneri, quarti Saturno, quinti Marti è quaternis utriq;. Signum autem ipsum Capricorni pro qualitate sua, proq; natura Saturni ac Martis, alterius domini, alterius in eo altitudinem habētis, natos efficit plerūq; agriculturæ studiosos, rerumq; abditarum, ac naturæ exploratores, laboriosos, sedulos, uigilantes, erumnoſos, simulatores, superstiosos, quæ a Saturno proficiuntur, uerbosos item, mendaces, inconstantes, insidiosos, libidinosos, fœdos, puerorū amatores, quæ uita Martis sunt. ijdem propter Venere trianguli huius participem delectabuntur uerborum lenocinijs, capiunturq; dicendi suauitate. Capricornus igitur in ortu constitutus prodeunte in lucem aliquo, animi eius applicationem futuram indicat erga itinera uisendi orbis studio obeunda, idq; a natura signi mobilis, et in orbis parte tropica constituti decernitur. Cum etiam Virgo contriangulum signum in loco nono, qui peregrinationis est collocetur. Rei item familiaris alimonia, satisq; amplæ facultates denuntiantur, cum idem Saturnus et horoscopanti signo, et domesticæ facultatis domicilio præsit. tamen si Saturni stella difficilis est ac laboriosa. Indicitur etiam cognitio quædam rerum naturæ occultarum, aut cerimoniarum, sacrorumq; aut humanorum etiam secretorum. quarum rerum inuestigatio atq; peritia Saturni propria est, nec non in administrandis rebus cautio, atq; prudentia portenditur, quadã quasi cum simplicitate iuxta. Etenim Saturnus propter innatum timorem et cauet, et simpliciter in agendo progreditur, ne dolus appareat, et superstitione potius quam religione animos imbuit, atq; ad Deorū preces notaq; in aduersis cōuertit. Quodq; Mars propter

altitudinem signum ipsum malignitate sua inficit, cum etiam Taurus eiusdem trianguli signum Veneream ad rem inuitet, natum amatoris in rebus ardentiores reddet. Sunt enim Martis propria adulteria, amoresq; intemperati, quæ ex intemperantia efficitur, ut quam in delictis habuerit, paulo post odio insectetur, infamãq; afficiat, nec minus ipse quos beneficijs affecerit, ingratos post, contumacesq; experiatur. Idem Capricornus coelo in medio collocatus, nascente aliquo, præficit eum negotijs administrationibusq;, è quibus gloriam sibi uē dicit, domesticasq; acumulet facultates cum ornatu et copia. Largitur etiam acumen ingenij, multamq; cognitionem rerum a natura arte, ne abstrusarum, præsertim celestium rerum peritiam. Idem erit propter ingenij dexteritatem, multis rebus negotijsq; accommodatus adeo, ut iudicetur non utilis modo, uerum etiam necessarius. Hæc autem præstantur a Saturno. Nec Mars tamen acuendo ingenio fauorem suum denegat. siquidem Saturnus cum atræ præsit bili, is humor calefactus ubi fuerit, murum in modum tenuatus acuitur. Nec iniuria emanauit etiam in uulgus dictum illud, omnis melancholicos ingeniosos. Etenim ignis ipse ubi querno inhæsit stipiti, quod lignum est admodum terrestre, et calorem emittit maiorem, et diuinus in eo seruatur, quam in populeo, aut abiegnio stipite, in quo quasi è uestigio ignis extinguitur, euaporata repente flamma. Itaque Saturnina ingenia pertinaciora sunt, suãq; pertinacia atq; obduratiōe ad occultiora penetrant, assequunturq; pertendendo quod querunt. In occasu etiam collocatus natum similiter ingeniosum, rerumq; obscurarum indagatorem ac scium præstabit, quiq; propter situm ac naturam cardinis ac domini, Martisq; hostilem qualitatem, insidijs plurimis laboraturus sit, magnãq; passurus incommoda, propter calumnias, accusationes, atq; occulta odia, è quibus tandem emerget, uiuetq; quietior, quin etiam occultis corporis aut animi doloribus ac uitijs laborabit. Ut autem hoc è loco Capricornus insidias, plurimãq; parat incommoda, sic ex imo loco qui est paternæ substantiæ, euertit illam, quodq; antea partum est dilacerat. Post uero laborando, agendo, multumq; insudando natus ipse aut amissa recuperabit, aut nouas sibi parabit facultates, quibus senectutem suam tranquille admodum traducat. Liberos aut non suscipiet, aut ignobiles quidem atq; è matre humili et abiecta suscipiet, aut illos sibi adoptabit, quod idem Saturnus efficit, qui non solum quarto loco, qui census est, uerum etiam quinto in quo Aquarius succedit, dominatur, illumq; corrumpit. Saturni tamen maleficiat uis post primum decur-

sus sui spatium mitigatur, & quod in acerbis pomis usuenit, maturi rescit. Capricorno autem dedicatae sunt regiones hae India, Ariana, Gedrosia, quae quidem in Asia sunt, in Europa uero Illyrium, Macedonia, ac Thracia. Secernitur autem India qua septentrionem spectat, a Sacis, Imao monte, a Gedrosia uero Indus eam seperat, ipsaq; Gedrosia diuiditur a Carmania montibus qui Persici dicuntur, percunturq; Indico mari. At Ariana iungitur Parthiae, ac Carmaniae solitudinibus. Duxit autem nomen ab Ario flumine, qui eam secat, ac lacum efficit. de quibus (quoniam remotissima a nobis sunt) aliud non uidetur dicendum. Illyrium autem quod in se continet Liburniam, ac Dalmatiam, hodieq; ex parte uocatur Sclauonia, itemq; Croatia, ex parte Albania, a septentrione habet Pannonias, quae hodie Hungaria est, a qua distinguitur montibus, ab occasu Istriam, quae Italiae annexa est, ab ortu Mysiam superiorem, quae hoc tempore Hungariae pars est, a meridie Macedoniae partem, abluaturq; ab occasu Hadriatico sinu, a quo Macedonia protenditur ad mare Aegeum, coniungiturq; Thraeciae, a solis exortu, ad Strymonis amnis ripas. seperatur autem ab Illyrio, ac Mysia montibus, itemq; ab Epiro, atq; ab Hellade, & Achaia, de quibus iam diximus. Graecia hodie omnis ea regio a nostris dicitur, Epiri tamen pars, Albania uocatur. Thracia iungitur a septentrione Mysiae inferiori, ipsius autem Mysiae pars, itemq; Thraeciae Bulgaria nunc est, ab occasu Mysiae superiori, quam Hungari tenent, itemq; Macedoniae, cui etiam iungitur a meridie, ab ortu Solis habet Propontidem, hoc est mare, quod e Callipoli ad Constantinopolim procurrat, & Bosphorum, qui Thraecius dicitur est, ea quoq; regio Graeciae nomine nunc comprehenditur, in qua Turcarum reges solium sibi constituere, propter urbis Constantinopolis magnitudinem.

De Aquario.

Aquarii signum hybernium id est frigidum, atq; humidum qualis hyems est, ab antiquis esse dicitur. Tunc enim & maxima in gruunt frigora, demersis penè ab euaporationibus Solis radijs, et hymbribus, pruinis, aut niuibus inhorrescunt oia, quando uel frigoris de gelu glacieq; occupantur. Vltimas autem partes (cum prima humidæ, mediae uero temperatae tradantur) uentosas esse perhibent, nec sine ratione. Si enim prima partes pluuiae, ac magnopere nimbose, mediae autem temperatae sunt, dum scilicet uenti cessant, ob praeteritas pluias, quae uim illam fundam, e qua uenti gignuntur, extinxere, necesse est per

detentim post tantam terrae madefactionem, congelationemq; aspirationem quoq; multam a Sole subduci, quae cum materia uentorum sit, ut eos plurimos citet, per quam naturale quidem est. Bene igitur atq; aprofite traditum est, primas Aquarii partes admodum madescere, ultimas abunde flare, quae aut ad boream spectent, urere. quod nostris in regionibus per anni tempus quo pacto contingat, non uideo: quae uero ad austrum, niues plurimas funderi opinantur. Haec itaq; uniuersim in aere contingere, Sole Aquarium peragrante, uolunt. Quod uero ad hominum genituras coeliq; decreta pertinet, tale est, ut natos plerosq; gignat molles, propter signi naturam, est enim humanum signum, quae e re fit, ut animi nascentium emollescant otio, deuitentq; laboriosa & aspera, ut quasieffœmentur. Propter Saturnum autem signi dominum faciet eosdem parcos, sordidos, inuidos, ocores suorum, astutos, cautos, consiliorum suorum celatores, pertinaces, elatos, delatores, atq; calumniosos. Quo circa quibus Aquarius in genitura ascenderit ob artis aliquas, rectamq; institutionem noti erunt, ac potentibus uiris accepti, faciet hoc Saturnus signi dominus ac triangulator. Quodq; Mercurius habet etiam in hoc signo triangularem praerogatiuam, suffragabitur eis beneficio literarum atq; eruditionis, nec non etiam Venus praesidio religionis, ac sacrorum, cum Librae praesideat, quam non uel id est religionis locum tenere manifestum est, quoties Aquarius in horoscopo collocatus fuerit. Huius est stellae fauore ac beneficio liberati maximus e periculis euadent, q; ob rem a laboribus erumnisq; circumuenti natura duce ad aras, deorumq; auxilia resurgent. Idem bona parata, ob Saturni maleficientiam hominumq; inuidiam amittent, amissa repensabunt opera utiq; atq; industria sua. Bonus quoq; affuentibus, in multos beneficia conferet, deq; suo erogabunt, quorum illi quidem in grati erunt atq; immemores. In remunerandis enim beneficijs, gratiaq; referenda Mars ac Saturnus aut auarissimi sunt, aut in gratissimi. Quibus Aquarius culminauerit in genitura, & propter cardinis maiestatem, & propter Saturni praesidatum, nati illi diuersabuntur apud potentes & magnos uiros, publicosq; magistratus gerent, quibus gerendis rem sibi famularem comparabunt. administrabunt autem res plerumq; aquosas, pro signi ipsius natura, aut in locis fortasse fluminalibus ac maritimis. laborabunt hominum inuidia, ac fortunae uarietate. In loco septimo hoc est in occasu constitutus, ueniēte in lucem homine Aquarius ipsum illum multa rerum inconstantia uersabit, ac quatiet, ut siquid ante

commodi, ac bonæ fortunæ præbuerit, haud multo post tantundē in-
commodi atq; aduersi obijciat. Cardo autem ipse horoscopo aduersans.
aduersarios atq; accusatores decernit, criminaq; ob inuidiam, lites
etiam atq; infamiam, nec non sollicitudines uxoriæ rei gratia, uitia
insuper corporis, aut occultos decernit dolores. Siquidem Saturnus si-
gni dominus, itemq; triangulator, Mercurius quoq; eiusdem trian-
guli particeps septimo i loco positi uitia corporis naturaliter inducunt.
Ac nihilominus Saturnus hoc è loco senectutem bonam atq; opulen-
tam pollicetur, quod signum ipsum suo à domino mutuatum in natis
referet. Adhæc contriangula signa Gemini ac Libra tenente occasum
Aquario alterum ab undecimo, alterum à loco tertio felici tuentur
aspectu. Ex imo etiam cardine Aquarius uidetur natos insectari, mi-
natur enim non in aquis modo labores, incommoda, periculaq; ue-
rum etiam hæc ipsa mala propè loca aquosa, aut secundum flumi-
na, lacus uel aut paludes, ac maria, Saturnus enim maleficientiam in
aquis suam maxime exercet. Quæ in re illud etiam aduertendum
signa contriangula in locis pigris, disjunctisq; collocari. Siquidem Li-
bra duodecimo in loco, Gemini in octauo ita desident, quoties Aqua-
rius inum cardinem optinet, ut contagione quasi quadam pariter
ægroten. Qui uero de finibus signi huius præcepta tradunt, Ptole-
mæi approbationem secuti sic quidem sentiunt, ut primæ partes sex
Saturno attributæ maleficæ quidem atq; infelices sint, quippe quæ
sterilitatem afferant, filios ac fratres penè abnegent, uitia in uisce-
ribus ingenerent, ac præsertim in membris è chartilagine, aquam
quoq; intercutem, neruorūq; distentiones, hydropem, spasmodiq; exu-
scitent. Quæ sex autem insequuntur, Mercurioq; addictæ sunt, ut
nati animum cogendis diuitijs exacuunt, ut diligentiam, sedulitatem,
curam, atq; prudentiam in actionibus largiantur, ut legum etiam
peritiam, instituendi rationem, doctrinarū cognitionem, ingeniumq;
admodum uersatile, cum innata quadam aptitudine ad res admini-
strandas, domesticasq; ad rationes dispensandas, cum perpetua animi
solicitudine atq; metu. Tradunt etiam insequentes octo partes Veneri
ascriptas in animis nascentium ingenerare summum pietatis atq; ami-
ciæ studium, ueri honestiq; amoris affectionem, fore etiā arbitran-
tur, ut coeli benignitate magis quàm aut labore, aut industria, sed
tanquam ex improviso nati ipsi locupletentur. Idem in Venerem in-
temperati, impuriq; futuri sint, siquidem cum uetulis, aut sagis, ma-
gisq; mulieribus consuescent, aut cum eunuchis, sterilibus, exoletis,

anædis uel se miscbunt, ex hacq; coitus impuritate diuitias sibi pa-
rabunt. Forsitan et idem nauiculariam resq; maritimas exercébunt.
De quinque partibus insequentibus Ioui dedicatis ita sentiunt, ut qui
partibus his horoscopantibus in lucem uenerint, futuri sint fortunati,
qui tamen minutissima quæq; quin etiam uilia, ac sordes ipsas cu-
rent, gloriam ac famam negligunt, obscuritate letentur, liberos susci-
pant, fratres tamen odio insectentur. De partibus quinque reliquis fi-
nes ultimos statuentibus, Martiq; attributis hæc tradunt, ut eæ nato-
rum corpora occultis morbis uitijq; infestent, animos contamnent,
ignauos ac seordes reddant, inuidos ac dissolutos faciant, torturis,
supplicijsq; proponant, et ad omne flagitij genus præcipitent. At
qui Aegyptios secuti sunt, fines hac ratione partiuntur, ut Aquarij
partes septem Mercurio primum, deinde sex Veneri, deinceps septem
Ioui, post has, quinque Marti, ultimo totidem Saturno. Famulantur
autem signo huic de terrarum partibus ac prouincijs Sauromatia,
Oxiana, Sogdiana, Arabia, Azania, mediæq; Aethiopia. Iunguntur
autem simul Oxiana ac Sogdiana. habent autem fines ab occasu atq;
à septentrione cum Scythijs, quos supra Sacas uocauimus, nam Persæ
sua lingua Sacas uocabant, qui nostra erant Scythæ, nunc uero sunt
Tartari, ab ortu item cum Sacis, in quibus numerantur Massagetae
qui et Alani à meridie cum Bactrianis. Vtraque cepit nomen à flumi-
nibus, Oxa enim qui et Ossus dicitur, atq; à Caucasæis montibus
qui Oxij dicuntur, fluit, dedit alteri nomen, quod altera affecta est
à geminis fluminibus eiusdem appellationis, duo eius latera præter-
labentibus. Sauromatia pars est Sarmatiæ, spectatq; ad Mæotidem
paludem, perma gnusq; est gentis eius in Asia, atq; in Europa tra-
ctus. Nam à finibus Mysiæ inferioris, quæ est ad ostia Danubij,
quam regionem hodie Valachiam uocant, ad Hyperboreos montes
atq; ultraq; Tanaim, atq; ad mare Caspium Sarmatia pertinet, in
eaq; habentur Rossia, Transilvania, ac Polonia. De Arabia felice iã
est dictum. hæc autem ipsa Arabia intellegenda est Petræa ac deserta,
utraq; autem est inclusa duobus à lateribus, hinc Syria ac Iudæa,
illinc Mesopotamia, à tergo autem felici Arabia hoc est Eudemone,
ac sinu partim Persico, partim etiam Arabico, ab ipsa uero felici di-
sternatur montium perpetuitate. Media uero Aethiopia sita est
post Marmaricam, iacetq; inter Libyæ deserta, paludesq; Nubam ac
Chelonidem, Nilum item flumen ac Meroen insulam, per quam
etiam altissimi procurrunt montes, qui Aethiopiæ uocantur. regio aut

tem ipsa uasta est, A Zania est ad sinum Arabicum, in qua plurimi elephantes, coniungiturq; regioni Cinnamiferae. Sunt in ea Mastia, ac Pylei montes, Coloa palus, protenditurq; illinc ad Nili paludes, atq; ad Anthropophagos, Aetiope, hinc iungitur Troglodytis uersus mare rubrum, & Memnonibus, ubi duo illi amnes simul miscentur, postq; in Nilum influunt.

De Piscibus.

Qui uenti a septentrione spirant, mensi quidem Februario ualde familiares sunt. Siquidem sol ante Capricornum, post Aquariū emensus, cardiniq; aequinoctiali propinquior factus in regionibus, quae posita sub septentrionem sunt, concalescere aliquantulum, iam cum coeperit, uapores passim multos, multamq; aspirationem in aëra sursum euehit, qua ex euectione fit, ut aspiratio ipsa deorsum a frigore, geluq; reiecta, in nos, regionesq; has deuexiores ingruat, uehementiore et cum impetu frigoris ac niuium. Ita q; accommode atq; e re ipsa traditum est a maioribus nostris riscium signum omnino frigidum ac uentosum esse. Etenim de natura orbis Solis atq; anni cum hyems frigida & humens sit, frigidum ipsum eo processit, ut cedere iam humido naturaliter debeat, aduentante etiam uere, quo tempore humida uis incrementum suum accipit, qua de re fit, ut Pisces sint maxime frigidi, in humidumq; declinent. Opinatur autem Ptolemæus primas signi huius partes temperatas esse, medias humectas, quae ultimae sunt urere. Quod hæc quidem urant, illæ uero temperatae sint, in Ptolemæi regionibus potest usuuenire, minime autem in nostris, atq; ad septentrionem, quae uero ad boream, uentos spirare, quae ad austrum, pluuias fundere. Qui uero fines partiuntur, e Ptolemæi opinione de significationibus eorum, quae singulis a finibus portenduntur, hæc quidem tradunt, ut primae partes octo numero, quae Veneri dedicate sunt, hilares, iucundae, suauis, lasciuæ, uoluptariae, urbanae, gratæ, petulcae, genitalesq; esse perhibeantur, itemq; beneficae, diis acceptae, atq; amabiles, quippe quae huiusmodi affectiones in animis nascentium ingenerent. Partes insequentes sex cum sint Iouis, arbitrantur esse rerum naturalium studiosas, peritas, experientes, eloquentes, concionatrices, curiosas, populari auræ, civiliq; clientela deditas, fratrumq; ac filiorum foecundas. Quae deinceps sex aliae insequuntur, Mercurioq; addictae sunt, eas esse perhibent honorabi-

les, praepositas magistratibus amicitiae appetentes, gratas, misericordes, religiosas, pias, modestas, officiosas, atq; etiam genitales. Sex item alias insequentes, Martiq; addictas, actionibus deditas, efficaces, maritimus rebus gaudentes, hinc eripientes, illinc profundentes, loquaces, uarias, inconstantes, nefarias, scelerum magistras, quaeq; uiolentam mortem portendant. Quatuor reliquas Saturno ascriptas asserunt humidas, noxias, quaeq; neruis obsint, malosq; humores instillent, ac fortunae bonorum damna, iacturasq; denuntient, quiq; illis horoscopantibus nascuntur, eos utiq; eiusmodi tum uitijs, tum uirtutibus praeditos fore autumant. Qui uero Aegyptiam partitionem sequuntur, ij Veneri duodecim, Ioui quatuor, Mercurio tres, Marti nouem, reliquas duas partes Saturno tribuunt. Fines autem domini sui naturam ubiq; ferè sequuntur. Plerunq; autem sub Piscibus nascuntur, qui libenter peregre proficiantur, uisendi orbis studio capti, quorum etiam uoluntates ancipites sint, atq; incerta consilia, quod signi ipsius natura praestat. ijdem post ab erroribus ad quietem transibunt. a laboribus ad otium ac tranquillitatem. futuri etiam sunt sedatis atq; compositis moribus, fideles ingeniosi, religiosi, rerum popularium studiosi, foecundi, pro natura Iouis, signi domini, atq; item Veneris, quae altitudinem, ac triangularitatem eamq; cum Luna simul habet in Piscibus. quam ob causam futuri sunt etiam molles, lasciuus, proceres, conuiuus, cantibus, lusibus, rei q; amatoriae dediti. Horoscopantibus igitur Piscibus, in lucem qui ueniunt, futuri sunt ingeniosi, amicitiae cultores, sano consilio, fideli beneuolentia. praeponentur autem negotijs, aut magistratibus, e quibus gloriam consequantur, ex ijsq; gradatim ad alios transferentur. in itineribus uersabuntur, qua e re in magnam hominum notitiam uenient, tandem procedente tempore diuitijs re q; familiari multum abundabunt, aduersariorum iniquitatem facile superabunt, quae omnia stellarum quas supra posui fauore illis praestabuntur, praesertim cum, iupiter sit etiã medijs caeli dominus orientibus enim Piscibus sagittarius culminat. isdem Piscibus in medio caelo collocatis, ubi quis ex utero matris prodit, is in locis maritimis, fluminalibus ue, aut aquosis negotia sua actiõesq; exercebit, patri moniū et amplū et opulentū sibi cōparabit, alienisq; e facultatibus, contributionibusq; locupletabitur, nec uno tantum in loco possidebit, cum Piscium signum bicorporeum sit, quae quidem bona non tam caridinis quam Iouis ac Veneris beneficio conferentur, auxiliante etiam Luna Cancrī domina, quod signum culminantibus Piscibus se cun-

do in loco id est in domestica rei parte inuenitur, quibus è locis signa ipsa sibi contriunguntur. constitutus in occasu Piscibus, qui in lucem uenit is in itineribus assiduus erit, peregreq; notescet, gratia, beneuolentiaq; multum apud homines ualebit, in conuersationibus, familiaritatibusq; gratus erit, præstabit ingenio, atq; administrandis negotijs continue occupabitur, quibus è rebus etiam ditescet. Videntur autem signa humida, quæq; Lunæ, Martis, ac Veneris triangularitatem conficiunt, secus atq; ignea, propter similitudinem qualitatis occasu quodammodo gaudere in hominum genituris. In imo positus Piscibus quicunq; in lucem uenit, ille multa fide, integritate, ingenioq; dexterritate præditus erit, atq; ob hanc rem, magnam sibi auctoritatem in administrandis negotijs conuolabit, cuius etiam patrimonium, rei q; familiaris suppeditatio uidetur futura aut ex aquosis locis, aut è ministerijs, quæ in aquis, aut per aquas exercentur, propter signi, cardinisq; naturam. A re autem uxoria aut abhorrebit, aut erit uxorem coniugali beneuolentia parum afficietur, moresq; illius detestabitur. Quod propter Saturnum continget, quem triangulatorem esse Gemminorum, Aquarum, ac Libræ diximus. Siquidem Piscibus innum cæli tenentibus, Gemini in occasu reperiuntur, quem locum uxoris esse traditum est. Quam igitur malignitatem signum à triangulatore suo accipit, cardini quoq; infigit, ex eaq; contagione rem uxoriam uexat. Adhæc Mercurius Gemminorum triangulator et dominus, septimo in loco genituræ, ut ante quoq; dictum est, non satis bene sese habet, diurno præsertim tempore. Illic enim inuentus eum qui nascitur impuræ quædam libidinis cupiditate foedabit. Hacq; è resignum ipsum, domini ac triangulatoris sui contactu quasi quoddam male affectum, quem concepit habitum, in re uxoria, maritaliq; coniunctione referret. Sub Piscibus sunt Phæzania, Garamantica, Nasamonica, Lydia, Cilicia, Pamphylia. Sunt autem Garamantes ultra minorem Africam, postq; Libyæ solitudines, è quorum montibus decurrit Cinyx fluvius, qui Africam ipsam perlabitur, et ex alijs item montibus Bagrada. Protenduntur autem uersus Aethiopiam quæ est in Aegypto, latere ab uno, ab altero uero Getuliam uersus, tenduntq; in interiora Lybiæ. Nasamonica pars est Marmaricæ eius quæ est ad montes Anagombros, iungiturq; Ammoniacæ, Mesamonicam sunt qui uelint olim dictam, quod loca tenerent inter arenas sita. Phæzania sita est in Africæ solitudinibus, uersus minorem Syrtum, porrigiturq; uersus deserta, in quibus mons est ab exustione uocatus, atq;

ad Garamantum fines. Lydia minoris Asiæ pars est, quæ et Mæonia quondam dicta, in qua sunt Hermus et Pactolus celebrati a Poëtis flumines, ac Sipylus, et Imolus montes. Pamphylia terminatur ab occasu Lyciæ, atq; Asia minore, à septentrione Galatiæ, ab ortu Ciliciæ, et Cappadociæ, à meridie mari Pamphylia, ab ipsa cognominato. Ipsa uero Cilicia habet ab occasu Pamphylia, ab ortu montem Amanum, et Armeniam, à septentrione Cappadociam, ac Taurum montem. à meridie mare in quo est Cyprus insula, et sinum Issicum ab oppido in ora sito appellatum prope portas Amanum montis per quas in Syriam est aditus.

F I N I S.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
SVARDINVM SVARDVM DE
REBVS COELESTIBVS
LIBER SEXTVS.

Innum hanc (in hortis enim sumus) admirari
te magnopere uideo suardine suarde, proxi-
mamq; illi nucem, ob tantam uidelicet stirpiū,
ut arbitror, proceritatem, laxitatemq; ramo-
rum, adoleuere nanq; mirificum in modum,
plurimumq; in crassitudinem dilatauere sese,
quanquam pro sua stirpis utriusq; natura. Me-
uero non tam ipsa proceritas trahit in admirationem, tamesi ad-
mirratione per quam diuina res est, quam quod pauca admodum radi-
ces, infixaeq; maioribus radicibus capillamenta, & quidem pertenuia
ac permixta tantam alere sumministracione sua, pluribus etiam se-
culis atq; aetatibus molem ualeant. Quae enim Deus optime maximus
exurgendi e terra succi uis radiculis illis inest tanta? ut & alere tam
diu materiam tam grandem possit, & tam uberem frugum copiam
ferre, ut ad hominum non solum usum, uerum ad plurimorum quoq;
animalium alimoniam adiumenti tantum conferant? Vbi autem me-
cum ipse reputo, minutissimus e principis corpora ipsa proficisci, atq;
e tantulo nucleo tantae prouenire proceritatis arbore, desino iam ad-
mirari, cum praesertim uideam paucissimis e uoculis ac literis ma-
nare tam uberem uerborum copiam, tantamq; uerbis ipsis uim inesse,
se, ut & oratio finitis e literulis progressa in infinitatem abeat, et
animos hominum ad iram ac uoluptatem, contrariasq; inter se affe-
ctiones sic impellat, ut dominari in animis ipsis nostris oratio uidea-
tur. Atq; haec quidem ipsa in hunc maxime modum a natura compa-
rata sunt. Quo circa si educendo e terra succo pertenues etia radicle
tantum adeptae sunt uirium, quas inesse stellis facultates, quo etiam ro-
bore ac potestate praeditas illas existimabimus, immittendis e caelo il-
lisq; e corporibus radijs, et tanq; imprimendis notis in ipsis e quibus
constamus humoribus? Afficitur ipse qdē per quem spiramus aer ab eius
uero affectione sensus, mox etiam animus titillatur, ubi aut per ignē,
aut per suffitum myrrhae tantulum, Arabicae uel cuiuspiam odoramen-
ti naribus obiectū fuerit. Nō concipiuntur in naribus stellarū effe-
ctio-
nes, non

nes, non auribus, at actionibus ipsis hominum, animorumq; commo-
tionibus sentiuntur. Non sentitur tactu, non odoratu uis pestifera,
quae tamen sit, quam etiam letalis, docent funera, & orbitates quodā
modo urbium ac populorum. Inhaerent solo infixae arbores, contra
mouentur homines atq; incedunt. Atq; ut haec ipsa contraria sunt of-
ficia, sic diuersa admodum ratione & arborum & hominum consti-
tuta sunt corpora. Ducit alimentum a radicibus imus arbor, qua par-
te stipes infixus est terrae, at homo summo a capite, ubi & os forma-
tum est, per quod alitur, & lingua sita est, per quam sapores sentit,
& aures dispositae sunt, & item nares, quarum & audit & olfacit
ministerio. Oculi quoq; eodem sunt inclusi capite, quorum ipsorum
officio luce fruuntur, mundi q; intuetur pulchritudine, ac contemplatur.
Haec autem omnia per aerem homo assequitur, in quo perinde ut pa-
tentissimo quodam in campo stellae uires suas assiduis agitationibus, di-
scursibusq; exercent. Etenim oculi quorum nullum esset absq; aere
officium, sciendi atq; intellegendi uiam nobis aperuere. A motu enim
caeli stellarumq; atq; e diuersitate tum rerum, tum temporum, quam
tantam esse cernerent, in admirationem conuersi coeperunt praestantis-
simi quidam uiri rationem, causasq; exquirere. Quibus e prin-
cipis rerum ac naturae ratio in eam peruenit cognitionem, quae nunc
scientia dicitur. Itaq; ut a terra stirpes alendis corporibus, sic ab aere
homines exercendis sensibus opem mutuauerunt, quem maiores nostri
tum spiritum, tum animam uocauerunt, quod ex eo potissimum ui-
ueremus. In eo igitur stellarum uires maxime ostenduntur, quod
manifestissime omnium docent Sol ac Luna, propter principatum al-
ter lucis ac caloris, propter propinquitatem altera. Quod uersibus
etiam decantatum est a nobis in eo libro qui Meteorica inscribitur.
Atq; ut translationes arborum, itemq; insitiones peperere eam quae
nunc est, fructuum diuersitatem, dum rerum semina inter se commi-
sentur, aliudq; atq; aliud in solum transferuntur, coagmentatis si-
mul libris atq; corticibus. Sic ingeniorum quoq; proueniunt diuersita-
tes tam multae de commixtione radiorum, quos stellae diuersis e si-
gnis ac locis, diuersis etiam e configurationibus miscendo iaculantur.
Quemadmodum igitur paruis e principis profluunt corpora, sic e te-
mū humorum mixtura, atq; a uarietate radiorum, diuersitateq;
agitata & fota uarietates proueniunt corporum atq; ingeniorū. Ete-
nim ingenia siue acuta ea sint, siue obtusa, pro humorum qualitate cor-
porumq; textura & acuiuntur & obtunduntur in nobis. Anima eni
suis instrumentis usa, quod artificis est proprium, tum materiae ipsi,

tum instrumentis sese accommodat, proq; materiae atq; instrumentorum natura aut hebetius mouetur, aut solertius ad agendū, qua ē cōmotio ne actiones ipsae quoq; proueniunt eiusmodi, ut a corporeae fermentationis ac natura haud ita multum tamen discedant. Ac tamen animae sit officium imperare sensibus, perinde ut artificis est materiae atq; instrumentis, nihilominus artifex ipse sic materiae, sic instrumentis imperat, ut illis utatur etiam pro sua ipsorum qualitate ac temperatione. Neq; enim faber statuarius scabroso ē tofo statuam sic formabit, ut, quod Poeta inquit, uiuos perinde ut de marmore uultus ducat. Tanta itaq; ac tam diuersa ingeniorum uarietas minime a parentibus ortum habet. Quotus enim in tanta multitudine, & cuius copia inuenitur filius, qui paternum parte ab omni ingenium referat ac mores? Quin infinitus penē filiorum potius est numerus, qui diuersas artes, diuersa studia, diuersa etiam a paternis instituta confectentur, cum saepe numero tota illis (ut dici solet) fronte sint aduersi. quae res exemplorū locupletatione minime indiget. Proficiuntur igitur haec omnia ab erraticarum natura, configuratione, habitu, situ, radiorumq; inter se complicationibus atq; mxturis, quae quidem infinitae cum sint, infinita quoq; uarietate humores ē qbus constamus, ut afficiantur, necesse est. Has autem affectiones in actionibus etiam suis refert anima, quae tamen institutio atq; exercitatione plurimum adiunatur & colitur, tamen, ut Horatius non minus probate quam eleganter dicit, Naturam expellis furca, tamen usq; recurret, Quod in agris quoq; usuuenit, ut quis a agricolae cultu, diligentiq; non minus quam assidua opera multum sibi ad ubertatem frugum, ac probitatem comparent, ad naturam tamen statim redeant, ubi opera ipsa cultusq; defuerint. Nihil enim natura potētius, quādo uis eius perpetua quidē est, cum habitū ipsum mutari saepe numero aut externam ob uim aut per electionem uideamus. Sed nos postq; non ab re praesenti haec tecum suauitate sumus, ad ea quae rerum caelestium explicandarum ordo iam postulat, redeamus.

De Saturno & Ioue simul geniturae imperantibus.

¶ Noniam autem quas in animis affectiones ingenerent erraticae singulae, ubi solae geniturae praesuerint, abunde iam diximus, consentaneum uidetur, earundem quoq; significationes, ubi binae simul aequata etiam

am potestate geniturae dominabuntur, ordine suo explicare. siquidem earum ē commxtionibus quae uidentur, diuersitates proueniunt morum atq; ingeniorum. A Saturno igitur exordiemur, qui ubi cum Ioue simul dominatum obtinuerit, & uterq; bene atq; opportune collocatus suam cum auctoritate dignitatem in figura retinuerit, natos ipsos ad probitatis ac modestiae studium excitabit. Quapropter inuenit in illorum animis summa ac singularis tum aduersum senes natuq; maiores obseruantia, tum erga magistratus atq; institutores, eosq; in quibus signa sapientiae uirtutisq; apparuerint. Etenim Iouis id est sanguinis ipsius temperatio Saturni frigus siccitatemq; ita fouet, ac tanquam refocillat, ut in natorum etiam animis eius opera idem temperamentum agendis referatur in rebus, utq; illorum ipsorum instituta pro humorum corporis moderatione sint etiam moderata. Sequentur itaq; probitatem, uerecundiam, modestiam. erunt in conuersationibus, familiariq; consuetudine suauis & grati, colent iustitiam & honestatem. seruabunt in iudicijs, in arbitratibus, in ferendis sententijs & iuxta & honestum & leges. ab aequoq; & bono nequaquam recedent. in consilijs grauitatem retinebunt. in electionibus, delectibus, administrationibusq; mensurā ac rationem adhibebunt, amicos, domesticos, ac notos homines beneuolo prosequuntur affectu. mansuetudinem, lenitatem, aequabilitatem ubiq; praeseferentes, atque in distributionibus faciendis benignitatem ac rectitudinem. quodq; ait Virgilius, ut alio etiam loco testati sumus, cum de pascendis capellis praecipit, occultum eas in lacte saporem salis referre, ad nostram hanc institutionem transferentes, eiusmodi uisiones in hominibus excitatum iri dicimus, cuiusmodi in procreandis, atq; informandis illis fuerit corporum humorumq; fermentatio ac temperatura. Has autem ipsas uisionum commotiones, quibus animi post afficiuntur, natura duce sequuntur etiam actiones, mores item, assiduaq; ab exercitatione habitus. Etenim liquandis haeribus, succisq; expurgandis ubi ignis moderanter admotus fuerit, liquores ipsi moderationem quoq; suam retinent, ubi uero admotus ignis uehementior fuerit, aut exuretur liquor, aut penitus exhalando euanescet, aut uitium omnino aliquod contrahet pro ignis ipsius intemperantia ac uitio. Haec Saturni Iouisq; temperatura, atq; ut ita dixerim, condimentum, quod Saturnus contemplationem atque pensitationem habeat in se se, quod Iupiter moderationem ac mensuram, natos ipsos prudentes, graues, atq; consideratos efficiet, ex illis enim prudentia constituitur, eosdem etiam reddet benefaciendi ac proficiendi alijs studiosos, quiq; in cōmune etiā bonum cō-

fulant, atq; arcendo iniuriam, tueantur oppressos. Quippe cum Iu-
piter natura beneficus sit, Saturnus oderit uolentiam. Neq; enim frigi-
di & siccus est uim inferre, cum è contrario sanguinis id est humidi
calidiq; proprium sit fouere corpus, ac tutari illud. Ex hac tempera-
tione ac natura nati ipsi efficiantur defensores iuxta atq; honesti, pro-
pulsabunt iniurias, atcebunt uolentiam, uidem erunt magni animi,
quem Saturno Iupiter propter calefactione subministrabit. Siquidem,
ut supra de atra bile diximus, humor hic natus est oblatum sibi calo-
rem accipere, acceptumq; etiam fouere diutius, quod in lapidibus, qui
in calcem excoquantur, a parte cernitur. erunt rei rusticæ studiosi, ama-
bunt prædia & fundos. Siquidem Saturnus terræ præest, Iupiter af-
fluentiam amat & copiam. atq; in nostris corporibus nihil est san-
guine ipso uberius, copia uero domesticæ rei ex agris ac fundis pro-
uenit, fundiq; a fundedo dicti. Neq; philosophiæ illis bonarumq; in-
stitutionum ac legum studium defuerit, neq; tolerandis duris patien-
tia ac fortitudo, cum hæc ipsa animi fortitudo ab ipsius magnitudine
proficiatur, quam quidem magnitudinem, ut dictum est, Iupiter præ-
beat. Terrestris autem uis, cui Saturnus præest, sit cum primis solida, ac
ferendis oneribus potissimum accommodata. Cumq; Iupiter sit honesti
defensor, tribuatq; iudicij rectitudinem, Saturnus contemplationem
amet, rerumq; abditarum cognitionem, Quin etiam cum morum
grauitatem, & in agendo maturitatem sectetur, ab hac ipsa harum
inter se duarum stellarum commixtione atq; communitate etiam phi-
losophiæ excitabuntur studia, cuius propria est rerum naturæ cog-
nitio atq; scientia, uitæ item grauitas, rectaq; animorum informatio, ac
sapiens illa & in docendo & in agendo institutio & ueritas. Hæc ta-
men omnia non modo immuentur, uerum etiam in contrarium si-
cile uertentur, si aut utrumq; sidus male collocatum in genitura fuerit,
perinde ac propria dignitate amissa, aut ipsorum forte alterum
abiectum prostratumq; ignobiliter iacuerit. Quod ubi euenie-
rit (quoniam Saturni uis quæ in malum prona est, nihil habet
quod malignitati obsistat suæ, quin eadem ipsa ob infelicem cæ-
li situm atq; habitum magis magisque ad malignitatem impellatur) eo
in statu qui nascuntur, futuri sunt alieni ab amicis, atq; ab hominum
beneuolentia & societate. Quid quod liberos ipsos, suamq; progeniem
odio insectabuntur, uiuentq; in solitudine, qua mirifice capiuntur.
uident erunt suspicaces, simulatores, ficti, suorumq; consiliorum celato-
res, sacrilegi, templorum ac sacrorum uiolutores, inertes, languidi,
imbecilli, queruli, susurriones, sine delectu, sine iudicio, indiscrete con-
fusi q; se suaq;

fusi q; se suaq; administrâtes, sine fide, sine fiducia, inepti, fatui, igno-
rantes, tamen ambitiosi ac patientes. Eosdem forte aut furor quâdoq;
agitat ac uesania illa quæ Græco uerbo *μαρία* est, uim inuidia
odiuinq; compellet ad miscenda uenena, mortesq; potionibus perpetrâ-
das, fortasse etiam pretio capti illas procurabunt. Vides igitur quid
mixture faciat, quid felix infelix uel stellarum collocatio ac positura?
ut ab illa de qua diximus beneficentia, animiq; magnitudine fiat
permutatio ad uenenorum ministeria, mortesq; pretiosas. Hæc autem
ipsa uarietas tam diuersa morum ingeniorumq; (ut cæli res ad ho-
minum artificia quæstusq; transferamus) maxime apparet in pictu-
ra, & ea quæ suo nomine tinctura dicitur, siquidem ex colorum ip-
sorum permixtione nunc pluscula, nunc minuscula, nunc pusilla, nunc
mediocri, infinita penè colorum diuersitas oritur, quod in pannu tum
è lana, tum è serico, atq; in tabulis pictis uulgo cum summa etiam
admiratione cognoscitur. Cum tamen colores ipsi qui simplices dicun-
tur, nequaquam multi sint, quin potius pauci admodum, & quinque,
ut sic loquamur, digiti comprehensi. Itaq; ab ipsa commixtione, proq;
commixtionis temperatura cuncta hæc proficiuntur, quod mathema-
tica est non secus ac medici, omni arte diligentiaq; perficere. Cum etiã
(ne ab ipsa pictura discedamus) in maximis quoq; pictoribus ui-
deamus alios excellere in effigandis senum simulacris, alios in ado-
lescentum, hos in uariandis pratis ac syluis, illos in auiculis, aut feris
animalibus exprimendis. Quod in Poëtis etiam usuuenit, ut quos na-
tura ipsa forte extulit Heroo in carmine, deprimat in Iambico, quos
in Elegiaco, eosdem Heroicis in numeris sordescere omnino faciat.
Atq; hæc quidem neutiq; parentum sermone, cum maiores ipsorum
neq; pictores fuerint, neq; Poëtæ, sed cælo ipsi stellisq; tribuenda sunt,
earumq; fermentationi ac mixturis.

De Saturno & Marte simul.

Quo circa his iam explicatis, ueniamus ad Saturni, Martisq; com-
mixture, quorum stellæ intemperantes sunt, ac propterea maleficæ
atq; infelices habitæ. Iulius autem Maternus de stellis his ubi con-
iunctæ simul partiliterq; in genituris fuerint, tradit alteram alterius ad-
uersantem uim cohibere ac modificare, quod ignis etiam ipse frigidus
in loco accensus præstat, cum locum eum calore suo tepesciat, quæ è
tepefactione locus ipse ita temperatur, ut neq; omnino frigeat, neq; pe-
nitus exæstuet, cum inter frigidum æstuosumq; mediū quæsi. quoad

tepor teneat. I gnea enim atq; exæstiuans illa Martis natura frigescentem atq; obtorpidam Saturni uim fouet, quo è fomento temperamentum tale enascitur, ut qui tunc in lucem ueniunt, nec ira rabieq; præcipites eant, neq; atram ob bilem obtorpescant adeo, ut nullam ad rem aggrediendam incalcant, quin potius eiusmodi euadant, ut hinc Marte, id est rubra bile compellente, illinc Saturno, hoc est atra retrahente, incerti sint utram in partem declinent, hoc ne an illud consilium prius sequantur. Hæc autem Mars Saturno coniunctus eadem insigni particula præstat in genituris, in quibus quidem eadem stellæ auctoritatem & prerogatiuam simul suam cum quadam quasi maiestate retinentes, natos ipsos faciunt laboriosos, multosq; erumnis comprimunt, quod utriusq; stellæ, cum maleficæ ambæ sint, proprium est præstare. Si quidem hinc nimius feruor incitat, illinc frigus angit, alter nimio plus impellens, alterum cohibens atq; deterrens. Quo fit, ut non solum & laborent, & angantur, & solliciti admodum sint, uerum ut & aliquando supra quam oportet, audeant, & idem haud multo post metu uicti ab incepto turpiter desistant, sintq; ostentatores et gloriosi, magis quam fortes, atq; ad ferociam feritatemq; potius declinent, quod est bestiarum proprium, & illarum quidem quæ suo nomine feræ dicuntur. Itaq; Græco nomine de audacia metuq; composito θρασύδειλοι uocantur. Idem quod nequeant qui scere, nunc metu cogente, nunc calor ipsius impulsu conciti turbas excitant, seditiones ac discordias ferunt inter ciues, nihil quietum patiuntur, rixarum ac contentionum cupidi, si quidem alia ratione nequaquam securus fore se arbitrantur, odiorum ubiq; ac iniuriarum memores, cum Saturnus parcere ob metum nesciat, Mars uero propter iram nequaquam patitur inultum se abire, ac suapte natura subinde dolor recurset. Quæ è re immutes, immisericordes, implacabiles, inclementesq; redduntur, nedum ut sint austeri, ac perdifficiles. Arida enim et sicca male flectuntur, cum accedente calore, si quis reliquus succus inerat, exicatur penitus atq; inarescat. Et quoniam illinc metus, ut dictum est, hinc fiducia eosdem, & reuocat, & compellit, neq; quod aggredi parant, uirtute se assecuturos confidunt, plerumq; insidijs ac fraude nituntur in dolum prorsus conuersi, nihilominus habendi cupiditate expugnati, quoniam utraq; stella perq; cupida è, tyrannicos mores exercebunt, efficiuntq; intolerabiles, odio, maleuolentiaq; ciues ipsos persequentes infestabunt, ut pote ab omni iustitia, modestiaq; aliam, quæ uitia tyrannorum sunt propria, quos hinc metus, dum sibi præhiment ad immania etiã impellit, omni prorsus pietate, humanitateq;

exutos, hinc cupiditas urget, uim manusq; humanis ac diuinis ut inferant rebus, promiscueq; undiq; rapiant, quam ob cupiditatem & obiectent se periculis, & militiam sequantur. Itaq; huiusmodi homines futuri sunt fallaces, subdoli, infestatores, seditiosi, deceptores, alios contemptui habentes, aliorum bona occupantes, terrifici, formidabiles, dum enim magnopere timent, id agunt, ut alijs formidinem incutiãt, qua uia securiores se futuros arbitrantur, neq; in hominum respectum uenturos. peruersis deniq; atq; corruptis erunt moribus, utq; de Catilina scribit Sallustius, ingenio malo, prauoq; agiles tamen, administrandisq; negotijs apti, quos etiam, ut quod ardentem concupiscunt, omnino cosequantur, non pudeat, & inter agendum, & inter loquendum de loco, iureq; ei cedere, a quo impetrare aliquid studeãt, illiusq; indigeant opera, cum etiam assentatorum personas induant, nihilq; ipsorum sit uerbis blandius, aut uultu gestuq; summissius, tamesi contemptui alios habent, & præferri ceteris student. Quæ è re iudicari etiam potest, quam sint inanes ac uentosi. Illud quoq; prætereundum non est, quod cum sint præcupidi, ex alia etiam parte sunt non nihil incuriosi quodq; aliunde corraserunt, per incuriam quoq; labi aliquando aut patiantur, aut ne gligant. Quod si stellæ ipsæ importunæ, ignobiliterq; collocatæ fuerint, ut altera temperare alterã nequeat, neq; retineri pensi quippiam possit, Marsq; bilem illam suam accenderit adeo, ut Saturnum quoq; contactu suo calfecerit, seq; in frigidam, atq; arentem illius naturam calore suo insinuauerit, quod fornacalibus in lapidibus cernitur, nascentium animos sic inficiet, ut futuri omnino quidem sint rapaces, grassatores, adulteri, malis plurimus expositi, & ipsi quidem malefici, turpibus atq; infamibus quæstibus dediti, improbi, contumeliatores, insidiatores, furaces, periuri, sicarij, paricidæ, comedones, uoraces, atq; ita in uentrem proni, ut ne illicitis quidem cibis abstineant: quin etiam ab omni pietate, humanæq; societatis affectione sic alieni, ut ueneno mortales petant, quorum etiam cadauera spolient, ac sepulcra uiolent, templa polluant, sacris manus inferant, incesti, sacrilegi ac omni è parte contummati. Quibus omnibus in bonum, malum ue perpendendis, attendenda signa sunt in quibus stellæ ipsæ genituræ tempora inueniuntur, qui sint signorum ipsorum domini, quo etiam intueantur aspectu, & quo in loco figuræ collocentur, an prerogatiuam suam libere, aut ex alterius præscripto exerceant, ut ex hac perpensione iudicari ex animorum propensionibus, deq; futuris nascentium uirtutibus queat, aut uitijs.

Saturnus suam in genituris cum Venere potestatem commiscens communicatis inuicem uiribus non nihil de tristitia sua demit. Siquidem Saturnina ariditas Venereis liquore humectata redditur temperator, de sterili etiā fecunda, quæq; antea dura, & rigens erat, emollescit, lenitate quasi quadam superinducta. Arida enim mollescent humore adhibito, ac lentescunt quæ dura sunt. Ex hac igitur Saturni, Venereisq; temperatione modificatis utriusq; humoribus, ut neq; Venereis mollities nimis diffuset, neq; Saturni durities, tristitiaq; obrigescat, his socijs beneq; collocatis nascuntur, futuri sunt bona, suauisq; cōuersatione, temperatis moribus, proba institutione, singulari uerecūdia ac pudore, summa etiā reuerentia. Rē autē uxoriā fideliter, constanterq; seruabunt, ac nihilominus Zelotypia, riuualitatisq; affectu uehementer laborabunt. Cumq; abstinentes ipsi sint, indigne ferent, ubi perperā, atq; indigne actum secum uiderint. Ita q; indignatione magis magisq; afficientur & hac in parte ab insita modestia ad impatientiam declinabunt. Idem multa taciturnitate præditi erunt, ut cogitare q; loqui malint. Saturnus enim, quod atræ bilis propriū est, in hominibus ipsis cogitationes fixiores, magisq; assiduas ingenerat, quæ e re taciturni efficiuntur. Etenim qui mentē uehementius exercent, linguā libentius cohibent. Loquacitas namq; tum modestiæ, pudoriq; aduersatur, tum cogitationes impedit, mentemq; ab officio illo suo ad linguæ ministerium detorquet. Quoniā autē prudentis, beneq; instituti est animi, pietatem colere, idem quoq; religiosi, Deorumq; cultores erunt, sacrifici, mysteriorū, ac cerimoniarū scj, quiq; libenter in templis uersentur, sacerdotia administrabunt, sacrorū arcana cognoscent, aut ipsi quoq; uaticinabuntur. Cū autē religio metus quidā Deorū sit, is autē metus in mulierculis maxime regnet, sitq; Venereis stella naturæ, qualitatisq; foemineæ, naturaliter a stellis his religionis, diuinarumq; opinionū studiū portenditur. Verū de uaticinijs, uaticinantiūq; furore suo loco diffusius ac distinctius a nobis differetur. Has igitur animi hominū applicationes Saturnus ac Venus induit, ubi utriusq; in genituris stella opportune, excellenterq; collocata, communicatis simul uiribus dominabitur. At ubi aut utraq; stella, aut ipsarum altera ignobilitate oppressa iacuerit, quoniā temperatiua illa quæ de amborū mutua cōmixture prouenit, retineri nullo pacto potest, nati ipsi futuri sunt lasciuji, petulantes, in libidine ita proni ut neq; sexui, neq; ætati parcant, ac ne a bellis quidē absineat, honestatē, uerecūdiā, pudore in pro-

patulo habeant. quorum etiam ipsorum studium sit puellas nobiles, inuptasq; sollicitare. sollicitas decipere, uitamq; in ganeis inter scortaei opiniones agere. Omnia tandem genere turpitudinis, obscenitatis, seruiliumq; impuritatum contamina buntur, ac (nequa uirtute redēpti sint a uitijs, ut de Crispino I uenalis prædicat) sacra, profanaq; promiscua habebunt, humanitatem, pietatem, diuinum cultum contemnent, uenena miscebunt, falsis testamentis subscribent, omni deniq; flagitij genere inquinabuntur. Hæc autē ipsa flagitia maiora minoraq; futura sunt, magisq; aut minus nota pro stellarū ignobilitate, ac signi cuiusq; natura, proq; aspectu beneuolo aut aduerso. Quoniā autē dum de stellarum harum communitate loquimur, de libidine quoq; mentio facta est, non uidetur alienum, uini quoq; hac in parte similitudine uti, quod spiritus quidem plurimos gignere, uehementiusq; inflare uenas, spuma ipsa & dum misceatur in foculis, & dum humi diffunditur, docet, quo enim uinum potentius, hoc etiam fumosius est, spiritusq; uberores creat, inflari autem uenas ab atra bile, uenarū ipsarum plenitudo ac tumor in ijs hominibus qui melancholici dicuntur aperte monstrat, siquidem illorum uenæ plinæ ac tumētes sunt, notam præ sanguinis copia, quàm spiritus easdem instantis. Id quod in ijs non euenit, qui sanguine multo abundant. Ita q; ut uini calor libidinem excitat (neq; enim nisi e re ipsa tam diuulgate dicitur, Venere rem frigescere sine Bacto) eodem modo bilis atræ calor illā accendit, siquidem magnopere, uinum ut ipsum, inflat. Cieri autem concubitū ab inflatione, iudicari inde potest, quod genitale membrum de si igore iacet, ubi uero calorem sentit de inflatione a calore suscitata turgescit ac tenditur, flatusq; ipse per meatus a calore immisus semen impellit in coitu. Quo circa naturale est, qui homines atra bile, eaq; calida abundant, eos libidinosiores esse propter multum spiritum a calore suscitatum ac per uenas impulsam. Pleraq; enim instantia, ut terra tubera, Venere inuitant. Quod si Saturnus propter humore hunc atræ bilis libidinem prouocat, Venere quidē coniunctus, cuius ea appetitio propria est, tanto illā ardentius prouocabit, nec mediū in ea retinere aliquē patietur, præsertim ubi nascentiū animos, pp infelicem colloationē, in uitia, exuperantiāq; impellit. Esse autem bilem atram huiusmodi naturæ, Simiorum genus aperte docet, cum animal illud & abundet plurimū hoc humore & ob libidine etiā sauiat, uirtaturq; in rabiē. Esse uē tā spirituosam q; profecto est, palam ostēdit puluis ille intra aenea tormēta bōbardasq; incensus, qui huic humori maxime similis est etiam colore nedum siccitate. Is enim puluis, ut dictum

est, incensus tãtos flatus progignit, ut ingentis magnitudinis saxea, aut ferream pilam longum per aeris tractum eiactet, et quo iactauit qua habuit obuiam cuncta prosternat ac diruat.

De Saturno & Mercurio.

In hac ipsa nostri corporis & animæ cõpage Mercurius eã sibi partem uēdicat, quæ rationalis dicitur, qua de re post abũde suo loco differtur. Cũ igitur rationi Mercurius præsit, ac Saturnus pp naturam atrabilis, quæ pertinax admodum est, ac magnopere spirituosã, libenter contēpletur, perquiratq; rerũ causas, quarum cognitionẽ multũ cogitando, diutiusq; in illis peruestigãdis, atq; intellegendis persistendo cõsequatur, quoties ambo simul excellenter opportunẽq; collocati in genituris fuerint, ac uires simul suas contulerint, soliq; una principatũ tenuerint, erit natus ille i cuius genitura hoc cõtingerit, in ijs uel artibus uel negotijs in quibus uersabitur, abũde diligens, atq; in ijs administrandis singulari utetur sedulitate & cura, sciscitabitur occulta, studebitq; incumbens ad arcana penetrare, rerum ac naturæ causas inquirere, auiles cõstitutiones non ignorabit, hominũ explorabit secreta. Quo fiet, ut pro natura signi cõfigurationisq; ac pro genituræ mēsurã, uel ad medicinã, rerumq; naturalium, uel iuris ciuilibus, uel grãmaticæ, literarumq; cognitionẽ, uel ad numerorũ, aut rerũ cœli peritiã ingenium suum applicet, uel ad hominũ secreta intellegenda, cõsiliãq; pernoscenda, aut ad epistolas scriptitandas, aut ad mandata explicanda, quod munus oratorũ est propriũ, aut ad alienas res dispēsandas, negotia ue administranda. In uniuersum aut erunt eiusmodi homines diligentes, sagaces, seduli, sciscitatores, inuestigatores, cauti, negotiosi, cõputatores, arithmetici, astrologi, hærbularij, medici, iurisperiti, grãmatici, scribæ, sacerdotes, ac mystæ, q; ingenij uiribus, ac pertinaci opera quod sibi proposuerint, tandẽ consequantur. Forsan et euadent uiatores, cursores, muntij. Erunt sanẽ acerbis atq; asperis moribus, pp humoris ipsius asperitudinẽ. arida enim attractu ipso aspera sunt, ac propterea in cõversationibus non oio tractabiles, aut satis incũdi et faciles. Cõtra uero stellis ipsis male indignẽq; se habẽtibus, q nascuntur, euadẽt tristes atq; ab omni incũditate remoti, pueri, dolosi, imstes, seductores, isidiatores, fallaces, proditores, tortores, ac suppliciorũ ministri, q; odio maleuolẽtiaq; alios prosequantur, fures, noctuagi, magi, uenefici, uenenorũq; ministri, falsarij, captatores, q; fraude, ueneno, illecebrosisq; captationibus, ac malis artibus cupiditati satisfaciant suæ. Etenim ut corrupto corpore a uitiis humoribus, ac febribus laborãti, sensus quoq; corrupuntur, ac præcipue gustus, p quẽ potiss-

simũ alimur, sic corrupta ratiois natura, hacq; animæ ipsius parte, necesse ẽ ut aia quoq; uirtutes corrupantur, qbus corruptis, ea quæ diximus uitia, flagitiosãq; applicatiões necesse ẽ subsequatur. Quod enim corruptis corporũ accidit humoribus, ut gustatus, et uis ea per quã appetimus, etiam quæ aliena sint a sanitate, cum primis appetat, idem in animæ quoq; actionibus usuenit, qua a uis corrupta, naturales illæ propõsiones, relictã ratione ad improba dilabuntur ac flagitiosa.

De Ioue & Marte.

Peractã iam ea parte quæ ad Saturni communicationem cum planetis singulis in hominum genituris attinet, transeundum est ad Iouẽ ad easq; animorum applicationes explicandas, quas in genituris Iupiter futuras decernit, ubi cum inferiorum planetarum aliquo singularitẽ dominatum communicauerit. Ac primum quidem de communicatione eius cum Marte, deinde ordine suo cum Venere, Mercurioq; explicabimus. Quoties igitur Iupiter ac Mars soli in genituris communicatis uiribus dominabuntur, eritq; uterq; magnifice atq; ẽ sententia collocatus, qui tunc nascuntur, procedente etate gerent magistratus, præsidebunt administrationibus, adipiscuntur honores, præficiuntur tribunalibus, uitæ, necisq; potestatem exercabunt, deq; litibus, causis, ac criminibus sententiam ferent. Horum enim corpora cum sanguine atq; calore potissimũ foueantur, sitq; ignis proprium, propter leuitatem sursum ferri, atq; in altum elabi, eorũ animi abũde calefacti ad eorum quæ summa sunt appetitiõẽ affectationẽq; accendentur. Rerum autem humanarum omnium uitæq; ciuilibus summa penes honorem putatur consistere, atq; in muneribus administrandis, cum inter ciuilia, quæq; πολιτικά dicuntur bona, primũ honor locum obtineat. Ex hac igitur accensione animi extolluntur ipsi quidem, ab elatione autem suscitatur appetitus ad gerendos magistratus, ad præfecturas moderandas, quoq; animus ipse magis incenditur, maiorq; existit, eo ẽt maior est, honorumq; maiorũ appetitio, pro qbus adipiscẽdis nihil non parati sunt & agere & pati, ut sepe numero relictis bonis artibus impellantur ad ea quæ sine turpitudine fieri nequeant. Quoniã autem nimius calor, ac præsertim qui a Marte accenditur, consueuit incandescere, ignis uero in se, ubi uehementius exagitur, in flammã euolat, eaq; inflammatio irã gignit atq; excandescentiã, hinc nati ipsi futuri sunt iracundi, elati, insolentes, asperri, truculenti, quiq; alijs subijci nulla ratione patientur, quippe cum in omni contentione euadere superiores uelint. Propter animorũ autẽ uehementiã, atq; id quod quærunt ut assequantur, incauti, præcipitesq;

in pericula sepe incurrunt nimio plus ad appetendum, atque audendum cupiditate inciti. Atque ut idem ipsi impigri admodum ac maxime acres sunt, a ministrandisque negotiis apti, uehementerque in agendo efficaces, propter caloris ubertatem, ac sanguinis copiam, sic et sunt magnopere contentiosi, rixisque atque litigijs dediti, quibus etiam letari uideantur. Vbi uero stellae ipsae deiectione fuerint, earumque status ignobilis, quae nascetur facile in conuicia, opprobriaque prorumpent eruntque obstinatis animis, singulari perniciosa, summa petulantia, magna in gratitudine, fluxa fide, infirmis promissis, perditio luxu, immensa profusione, uarianti consilio, mutabili uoluntate, mira leuitate, corruptis moribus, inexorabili duritia, in geniti cupiditate, quos et iuuuet discordiam serere, turbas excitare seditionem mouere, raptu uiuere, uim, rapinasque exercere, uulnerare, cadere, iure atque iniuria multum queri, criminaque et immerentur impingere, quos forte et delirium aliquando occupet, et ipsi mente capiatur. Oppresso enim Ioue id est sanguine, humidoque exusto, ob in temperatum Martis ardorem, uehementioresque rubrae bilis inflammationes, ratio retineri nullo pacto poterit, ex eoque aut uesania, aut delirium nascatur oportet, aut eiusmodi eorum actiones futurae sunt, quae furorem praese ferant ferinamue immanitatem, pro locis tamen proque signis, partibus, atque aspectibus utriusque stellae. In hac autem Iouis Martisque communicatione, aequataque inter eos uirium potestate, ubi Iouis moderatio, sanguinisque temperies adeo corrupta fuerit, ut Martis retinere imperum nequeat, Martis uero effrenata uis ac rufae bilis ardor in immensum efferbuerit, illud usuuenit, quod in uino maxime dulci, ubi inacuit, fit enim acetum ipsum consueque acre, ut linguam exurat, ustileque palatum.

De Ioue et Venere.

Coniunctio ipsa Iouis ac Venere in genituris ubi bene fortunata fuerit, facile indicat, quid in iisdem genituris utriusque stellae habeant potestatem, ubi potestatem aequato iure solae sibi uendicauerint, quales et animorum applicationes futurae sint, quae item actiones, atque affectus. Veteres igitur scriptores et in ijs Iulius Maternus scriptor maxime probatus, ex harum coniunctione stellarum in genituris, ubi ea bene feliciterque contigerit, decerni tradunt honores et quidem insignes, magnorum etiam uirorum familiaritatem atque amicitiam, mores quoque probatissimos, fidem, religionem, integritatem, honestatem, nitorem, lautelam, cum illustribus mulieribus consuetudinem, ex eaque domesticarum facultatum affluentiam, felix coniugium, prolixam gratam susceptionem, cupiditatemque ad

res ueneris semper accensam, et pene insatiabilem. Quamobrem in hac communitate uirum ac potestatis inter se ubi Iupiter ac Venus soli, feliciterque collocati praesidebunt in genituris, natos ipsos efficiunt pios, religiosos, beneficos, puros, simplices, innocentes, mundos, iucundos, bene institutos, uenustos, publica boni ac iusti honestique cultores, elegantes, gratos, modestos, prudentes, dapinatos, ut Plautino utar uerbo, uoluptarios, amatorisque rebus deditos, quae quidem applicationes a Iouis, sanguinisque moderatione atque a Venere quae appetitionem mouet, natura proueniunt. Haec autem ipsa commotio a Ioue temperata, nec a Venere recedens natura, quae tranquilla et modesta est, mores eiusmodi excitat, ut nati erga Deum futuri sint pii, erga homines benefici et iuxti, in ijs quae ad utilitatem spectant, frugi, moderati, et continentis, in referenda gratia memores ac grati, in cogitationibus recti et simplices, in cultu atque ornatu mundi, nitidi, elegantes, quosque indistinctis factisque multa uenustas gratiaque subsequatur, nec tamen ipsi amatoris in rebus recedent ab honestate. Itaque et casti et prudentes erunt, neque in ipsa uoluptate modestae pudorisque obliuiscuntur. Et quoniam a natura ipsa non ad ea tantum quae utilia sunt, uerum ad iucunda uehementer trahimur, praeterque quod nati ipsi uoluptatibus erunt dediti, illis praesertim quae a coitu capiuntur ac dapibus, delectabuntur musica, cantibus, uersibus, spectaculis, mimis, ludis theatralibus, agonisticisque, picturis, tabellis, statujs, margaritis, gemis, unguentis, odoribus, illis etiam artibus, quae subministrandis uoluptatibus repertae sunt, quae quidem uoluptates uidendo, audiendo, odorandoque et excitantur et capiuntur. Quodque corporea concretio natorum ipsorum de Iouis, Venereque humoribus temperanter fermentata est, uisque illa uidendi, et representandi, quae phantasia dicitur, nihil nisi moderatum, rationique consentientes suggerit intellectui, bene utique ipsi sentient atque in bonis rectisque cogitationibus exercebuntur, quae de re et recti et probi et sapientes erunt, quietisque admodum ac tranquillis consilijs, et actionibus dediti, recta etiam honestaque ubique sequentes, et in iudicando, et in consulendo, quos et cupiditas laudum gloriaeque propter Iouem non nihil ad se trahet. In quibus tamen assequendis adipiscendisque non recedent ab insita moderatione ac temperantia, neque a bonis artibus, quibus honor gloriaque comparari debet. Ac mihi quidem ubi Iupiter Venereque in unum simul conuenerint, uidetur fortasse non iniuria dictum, formam ipsam materiamque ita simul coire, ut temperamento illi quod recte informandis hominibus conuenit, nihil omnino desit. Cum utraque stella sua in qualitate moderata sit, et altera perinde ut Solis in generatione socia formae studeat,

altera aut Lunæ adiutrix materiam instruat, aptetq; informationi, ob idq; necesse sit, temperamentum animati corporis omnino conseq; ex eoq; temperamento actiones etiam homine ipso dignas, moresq; quam probatissimos. At ubi indigne, abiecteq; in hac potestatis communicatione stellæ ipsæ se habuerint, erunt qui nascentur, in quibus diximus rebus maxime intemperati, ut luxu, delicijsq; eorum animi emoliti eneruatiq; effoementur, in coenas conuiuiaq; resq; amatorias pecuniam effundant, pudicitiam uenalem habeant, uitam in ganeis atq; inter scorta turpissime agant, ac tanq; sues coeno libidinis uoluntati infames habeantur, qui ppe qui artes etiam lenonias, quæstumq; meretricium sint exercitaturi, aut ubi minus infames fuerint, euadent histriones, pantommi, catharœdi, chorearum magistri, quiq; ex his, similibusq; e quæstibus uitam ducant. Atq; hæc quidem omnia & in hac Iouis Venerisq; communicatione, & in cæteris omnibus ita menscenda & temperanda sunt, ut signorum, locorum, aspectuum, finium, altitudinum, deiectionum ratio quam diligentissime habeatur.

De Ioue & Mercurio.

Iupiter ac Mercurius æqualem in genituris potestatem nacti, soli q; simul imperantes, ac suam in configuratione dignitatem retinentes, natos præstant ingeniosos, quorū applicationes futuræ sint tum ad ea quæ ciuiles ad mores ptinent, tum ad illa quæ ad animos spectant, cognitione excolendos ac rerum scientia. Itaq; pij erunt, religiosi, frugi, benefici, ciuiles, patrocina, procurationesq; exercebunt, rem familiarem cum labunt, pecunijs abundabunt, plebi accepti erunt, quibus e rebus honores dignitatesq; assequentur, eloquentiæ operam dabunt, atq; in contionibus plurimū ualebunt, magnamq; inde auctoritatē sibi cōparabunt. Idē animos excolent, grāmaticæ geometriæ, mathematicæ, philosophiæ, poëticiæ artiumq; bonarū studijs, euadentq; docti & clari, quiq; suasionibus, admonitionibus, consilijsq; suis & docendo, & instituendo, ac recte prudenterq; consulendo plurimum alijs conferant. Ex hac enim Iouis Mercurijq; communicatione, & ut ita dixerim, condonatu alterius leuitas cui acumen etiam perquam tenue inest, alterius grauitate ac penso temperatur. Cum enim Martis idest rubræ bilis sit propria celeritas uehementiorq; festinatio, Saturni uero ac bilis atræ tarditas, quædamq; quasi oscitatio, solius quidem Iouis, hoc est sanguinis moderatio est, motusq; maturus ac pensitatus. Quocirca Mercurij uelox atq; acuta uis Iouis pensitatione,

freno quasi quodam retenta ita perficitur, & tanquam conditur, ut huiusmodi hominum ingenia futura sint nō solū acuta & prompta, uerum matura & recta, sententiæ graues, consilia fidelia, facundia grata, atq; auctoritatis plena, doctrina exquisita, iucunda consuetudo atq; familiaritas, mores plane ciuiles, res familiaris opulenta. Cū enim Iouis stella felix sit, & honorum ac diuitiarū ministra, diuitiæ, honores, dignitates per artes operasq; Mercuriales illis conferentur cum auctoritate & gloria. Quod si stellæ ipsæ ignobiliter abiecte q; iacuerint in hac ipsa uirium inter se communicatione, natorum applicationes longe different ab eisdem, quas diximus. siquidem ipsi futuri sunt, pro qualitate abiectiois ignobilitatisq; stellarum ipsarū bardi, stulti, insipientes, stupidi, nebulones, non nunquam autem nugatores, mordaces, irrisores, sapientiæ simulatores ac uitutis, multa sibi arrogantes, fallaces, circulatores, quiq; in triujs multarū rerū peritiā profiteantur, sepe et profitebuntur in scholis, aliquando tanq; numine afflati futura prædicent, lymphatiq; diuino, ut creditum est, furore agitantur. Atq; hæc quidem uarietas ab habitu manat naturæq; atræ bilis. Etenim ut uinum, quod supra iam diximus, suapte natura peridoneum est ad prouocationem libidinis, risus, lacrimarum, itemq; ad mouendam lætitiā, tristitiā, ad inducendam taciturnitatem uerbositatem, metum, fidutiā, aliasq; atq; alias affectiones, sic atræ bilis, animos hominum ad alias atq; alias maxime diuersas res, studiaq; ad diuersa applicat, & propensos facit. Quæquam autem hæc ipsa bilis naturaliter frigida est, ita tamen est frigida, ut calorem etiam concipiat, atq; alias quidem modicum, alias uero plusculum, non nunquam ut maximum quoq; in modum incalescat.

De Bili.

Ab ea igitur, ubi frigescit, metus gignitur, & animi consternatio. quod fit, ut eiusmodi humore qui plurimum abundant, sint meticulosi, suspiciosi, stupidi, a spe ipsa se penumero destituti, ut ob desperationem uitam finiant aut laqueo, aut gladio, aut alio uoluntariæ mortis genere. Contra ubi concaluit spem ac fidutiā gignit, quoq; calor ipse maior est, tanto etiam maior excrescit fidutiā, a qua excitatus animus uehementior efficitur ad ea comparanda, quorum studio trahitur, moteturq; cupiditate. Ut enim uinum ipsum eiusq; concalescatio & spiritus agit, & spiritus excitat, sic atræ bilis ubi concaluit, spiritus etiam gignit, excitatq; animū tanquam adhibitis stimulis, nec conquiescit.

scere illum patitur, eaq; iniquis atq; commotio propter continuationem (inhæsit enim calor in arido ac solido) id præstabit atq; efficiet tandem, ut pueniat quo sibi iam proposuerat. Quâ ob causam q; qui præclaram re excelluerint aliqua siue Philosophi, siue Poætæ siue reru publicarum administratores, ne de humilioribus loquar artibus, pictura, sculptura, musica, architectura, eos melancholicos fuisse comperitum est. Quid plura? Hercules huiusmodi fuisse, Cæsarq; perhibetur, quod morbus indicare comitialis potest. Nec qui Alexandri res gestas moresq; examine considerauerit, non illum melancholicum fuisse uel asseuerauerit. Quod & a Seneca dictum est, atq; in proverbijs loco habitum, nullum magnum ingenium absq; dementiæ specie, cuius rei bilis atra causa est, quæ ubi efferbuit, non nisi uehementior esse atq; exardescens potest, quod in aqua potissimum cernitur, quæ natura cum sit frigidissima, tamen feruescens non solum carnes excoquit, uerum etiam exedit, uellitq; ab ossibus. Atq; ut aqua et tepescit, & calefit, atq; etiam efferuescit, subiectis ignibus, proq; ignis qualitate ac continuatione plus minus' uel a calore afficitur, sic atra etiam bilis perinde ut affecta ipsa fuerit, hominû mouet affiatq; ingenia. Quo fit, ut melancholicorum hominum genera sint admodum diuersa, & in multis etiã artibus multa. Ciceronem quoq; qui irridere uidetur uelle quod iam diximus, authore Aristotele, ac medicorum optimo quoq; uel cum primis atra bile affectum ac peritum fuisse inueniet, si quis mores eius, eloquentiæ ac philosophiæ studia, honorû tantam illam appetitionem, ac primis in re publica loci affectationem, tot ac tantas obinde susceptas contentiones, omnem deniq; uitam eius probe exasteq; examinauerit. Huic autem atræ bilis licet Saturnus ob frigus atq; ariditatem præsit in qua humor ipsa concalescit, qua exercendæ atque inquirendæ rationi ingenia præparat atque exacuit, qua etiam spiritus suggerit, qui animum conuiescere nullo modo patiuntur, dum eo perueniat, quo uis illa compellit, nimirum Mercurio subijatur, cuius stellam retorridam esse diximus. Quæ enim torrida sunt, diutius ignem fouent, qui in arido ac solido, quæ natura terrestris est, potissimum alitur. Quo circa factus a Ioue Mercurius, atraq; illa bilis a Iouis igne calefacta, atque ab eius humectatione temperata, ne uel exuratur penitus de calore continuo, humido quidem ipso materiam suggerente, magnorum author est ingeniorum, magnasq; in animis hominum commotiones, spiritusq; exuscitat. Quæ propter præclari ac maximi moti euadent, siue arma sequantur, siue literas, siue alias ad actiones animos

nes animos suos applicent, in quorum genituris Iupiter ac Mercurius bene feliciterq; collocati, suamq; cum dignitate auctoritatem retinentes, prærogatiuas suas, suam etiam potestatem una communicauerint, equataq; inter se iurisdictione ius suum exeruerint. Quo circa nec immerito Iouis filius a Poëtis Mercurius est dictus.

De Marte & Venere.

Mars & Venus quoties soli sibi in geniturarum configurationibus dominatum arripuerint, suamq; cum dignitate auctoritatem retinuerint, quoniam Venere humecta uis, Martis feruorem mitigat, Martis uero uirilis ille calor foemineam Venere naturam fouet, ac fouendo calfacit, ut nõ inepte Poætæ finxerint Vulcanum Venere maritum, natorum animos sic afficiunt, affectosq; ita moderantur, ut futuri illi sint læti, hilares, iucundi, beneuoli, simplices, grati, concanni, ludis ac spectaculis dediti adeo ut ipsi etiam mimos agant, in uoluptatem, atq; in res Venere prouisi ac procliuēs, ne a maribus quidem temperaturi sumptusq; his in rebus plurimos facturi, obrectationis quoq; morbo, et ea quæ Græce ζυλοτυρία est, laborabunt, Venere etiam beneficio concupita facile consequentur. Itaq; hæc ipsa inter Martem ac Venere dominatus in genituris communicatio tale temperamentum affert nascenti concretioni, ut commotiones ipse sensum ac naturæ nihil nisi iucundum ac uoluptarium animis representent. Quæ è representatione assidua & grata, quod dictum est, efficitur. At ex ignobilitate, ac male affecta configuratione, nati ipsi præter modum ac mensuram a libidine rapiuntur, nullus ab eis honesti respectus habebitur, nihil illis sanctum erit, quippe quorum etiam oculi proceres futuri sunt, gestus lasciuus ac petulantus, uerba illecebrosa, & lenocinij plena, ac molliedus corrupendisq; mulierum animis nata. Siquidem nuptas, uirgines, matronas omni arte sollicitabunt, nec conuicijs, contentionibus uel aut rixis parcent, facile etiã ob innatam libidinem periurabunt. Fas & iura promissa habebunt, plurima etiam per temeritatem patrabunt. Nec uero a natura rationeq; alienum fuerit, ut post tantam, tamq; continuatam intemperantiam comitiali infestentur morbo, aut mente etiã capiuntur. Martis igitur Venereq; ignobilitas, infelixq; configuratio, ubi soli simul genituris dominabuntur, compagem corporis atq; animæ sic insiciunt, ut sensus quoq; animumq; inde ipsum labefactent. Quæ è labefactione actiones quoq; corruptæ intemperantesq; proficiuntur, mores item peruersi, neq; corporis habitus satis bonus.

Martis ac Mercurij commixtiones ingenium ut facile acuiunt, sic difficile admodum est, animum ut temperent, cum uterq; propter naturam humoris cui præest, sit cocitatus ac subitaneus, Marsq; naturaliter uiolentus, Mercurius autem inconstans & uarius. Rufa enim bilis ubi incensa est atq; incanduit, nihil nisi iracundum immoderatumq; representare animo potest, eaq; ubi atram exciuit, deq; feruore etiam suo illam calefaciat, mutuo se uterq; humor mirandum in modum & fouet & uires inuicem sumministrat. Quo fit, ut commotiones illæ quæ ab utraq; proficiuntur stella, utriusq; naturam in animis hominum atq; in actionibus eorum referant. Ita q; ubi ambo, soliq; in genituris dominabuntur, suamq; auctoritatem cum dignitate retinebunt, erunt qui nascuntur, acuti, ingeniosi, impij, uersatiles, agiles, efficares, astuti, captiosi, subdoli, circumuentores, terguersatores, fraudulenti, simulatores, insidiosi, quiq; ad ea quæ uolunt facile, summaq; cum dexteritate se accommodent, consequanturq; concupita. Idem erunt etiam loquaces, nec satis sibi constantes, malis et artibus imbuti ac formidabiles, curiosi alienorumq; consiliorum ac uoluntatum exploratores, q; alios inter se artibus suis committant, atq; hac ratione in similitudines & contentiones impellant atq; ut idem ipsi in hostem acres atq; uehementes sunt, sic de amicis optime mereri studet, quos sibi ipsis similes eligunt. magistratus gerent, in quibus armati præerunt, forsitan & ipsi in militia proficiantur. Tales deniq; futuri sunt, q; negotijs laboribusq; magno pere delectentur. Malus uero habitus stellarum ipsarum, ignobilitasq; collocationis in genituris, atq; in hac ipsa potestatis communicatione, ysdem applicationibus, humorumq; commotionibus accessionem uehementer grauem ac noxiam facient, qua ex accessione id efficitur, ut nati ipsi futuri sint peruersis moribus, præcipiti consilio, mente elata, audacia uel summa & temeraria, nulla religione, aut in Deum reuerentia, manibus contumeliosæ lingua petulanti, ac profana, fide incerta, inconstantiq; proposito, ut quod proposuerint, false mutent, quin et incepti conuentiq; poeniteant, nec stare pactis uelint, factumq; infectum cupiant uerbis blandis ac fallacibus. Horum quoq; peculiaria sunt mendacia, furta, periuria, latrocinia, grassationes, seditiosæ factiones, paricidiorum patrationes, falsa obsecrationes, uenenorum ministrations, magicæ incantationes, ærarij compilationes, sepulcrorum uiolationes, pecuniarum profusiones, criminum impositiones, templorum spoliationes, nocturna q; incendia, atq; eiusmodi generis scelera plurima. Quamobrem Martis Mercurijq; mixtura

temperari uix poterunt, ubi soli sibi imperium assumpserint. Etenim rufabilis cum est sanguinis inflammatione, deq; illius excessu ingenere tur, ubi diutius feruescendo exiliit, indeq; paulatim subsegit, moxq; incineres deferuescendo abiit, tandem in atram bilis refrigerando transit, ut quemadmodum rufa ipsa est sanguinis inflammatione gignitur, pari et modo atra de rufæ excessu exuperantiaq; gignatur, uidelicet post rufæ ipsius concrematam incandescentiâ, cum quo ulterius procedat, non habet extinctis iam fomentis. Quo fit, ut ex horum humorum commotionibus actiones nisi intemperantes ac peruersæ proficiant nullo pacto queant.

De Venere cum Mercurio.

Veneris ac Mercurij societas in genituris ubi utriusq; stella feliciter se habuerit, corporis concretionem sic afficit, ac temperat, ut de ingenio ac nati moribus, parentes quæcumq; ad ingenij excellentiam, morumq; temperantiam spectent iure sibi promittant. Etenim Mercurialis illa bilis, de qua supra iam diximus, Veneris humore non aliter temperatur, quam ubi terra hortensis, tenuis ac suavis pluuie irrigatione madescit, qua est madefactione, accedente post moderata solis irradiatione germinat, suasq; herbas fundit, multa cum uenustate & copia. Neq; enim aptiorem afferre similitudinem hoc in loco iudicio nostro possumus. Si quidem humor ille retorridus hoc ipso genitali Veneris atq; admodum feraci humore large fatus in natorum ingenijs ea præstabit, quæ in hortis bene cultis, ac pulla terra lenior præstiterit pluuia. Cum enim Mercurius rationi, præsit, Venus appetitioni hæc quædam ipsa ad rationis perscrutandam studium, nati appetitum assidue excitat, et in appetendo, et in perscrutando uoluptatem, quæ Veneris est propria, quasi rorem quendam diffundit, qui perscrutationis laborem non modo leuet, uerum et suauitate ad illum sua inuitet ac trahat, ac primum quædam ad excolendum ingenium, sequedasq; artes ingenio dignas, illius cogitationes spiritusq; exuscitat. De qua quædam exuscitatione continua et gratæ et quædam naturali, animi ipsius applicatio, ingenitaq; propensio ad illud assidue cursat, ac uolens eo fertur, quod natura ipsa quædam iam cum uoluptate sequendum proposuit. Dignæ autem ingenio artes perhibentur, quæ in illis quædam uersantur, quæ animi dicuntur bona. Præcipuum autem ac maxime gratum iucundumq; animi bonum est scientia, rerumq; cognitio, in qua mens ipsa, mensq; puer fugatrix illa euagatio coalescit. Quocirca quæ eiusmodi erunt ingenio, Veneris ac Mercurij dono præditi, ij futuri sunt naturæ ipsius penè artifices, rerumq; naturæ magistri, Philosophi, Poætæ, q; scientes ac intellegen-

tes dicuntur, optimeq; instituti sunt, quorū animi affecti atq; etiā orna-
ti erunt pietate, mansuetudine, lenitate, hilaritate, comitate, urbanitate,
in amicos beneuolentia, in Deos reuerentia, in miseros misericordia,
in omnis bonos caritate. Quibus profecto efficitur, ut ament honesta,
proben, æqua, sequantur legitima, rem familiarem frugaliter tuean-
tur, studeant, prodesse q̄ plurimum, reprehendant ac detestentur faci-
norosa & impia. Eorundem etiā iudicia erunt iuxta, præceptio-
nes æquabiles, sermo suauis & gratus, cogitationes quæ nihil nisi bo-
num atq; honestum respectent, mens etiā in rerum cognitione ac
scientia semper occupata. Ipsi autem propter ingenij bonitatem, atq; as-
siduam mentis operam, cogitando, perscrutando, commentando, quarū
rerum studijs capiuntur, a semet ipsis eas discunt, ac cito etiā discunt.
Illorum etiā quæ manu exercentur, artifices erunt non minus lepi-
di, q̄ ingeniosi & probi, nec minus in ijs quoq; quæ ad machinas atq;
architecturam pertinent, in cunctis demum artificijs siue manu fiat,
siue ingenio elaborentur, solertes erunt ac seduli, & opera eorum af-
fabrefacta. Quodq; ut diximus, Veneris lætitia affati sunt, erunt
blandi, deliciofi, elegantes, ornatus ac munditiarum studiosi, nec can-
tus suauitas, & ea quæ musica dicitur, munus q̄ uerborum gratia, ac
sermonis facilitas futura est eorum comes. Quibus è rebus omnibus,
atq; à morum suauitate amabiles reddentur, eruntq; populariter di-
lecti. Vtinam autem aut in re amatoria, ac præsertim uxoria nō sint
obrectatorum suspitione laboraturi ac rinalitate, q̄ nos vulgus se-
cuti in Obedientiæ libris Celosiam uocauimus, aut puerorum amoribus
turpissime dediti, seq; morumq; nobilitatem tantam hoc infamiae
genere lasciuientes foedent. Animi autem dotes tam egregias, donaq;
coeli tam rara subuertet, aut magna saltem è parte corrumpet stella-
rū ipsarū ignobilis infelixq; collocatio in genituris. Nā pro lingua
sermonisq; suauitate utentur maledicētia, dicacitate, obscenitate, pro in-
genij acumne, intellectusq; agilitate artes manū & quidē sordidas
exercebunt, criminabuntur innocentes, decipient quos familiaritate
uideri uolunt fuisse complexi, fallent in commercijs ac promissis, per-
iurabunt libenter, exultabunt dolis atq; insidijs, calumnias struent,
mares foeminasq; ob libidinis impotentia uitabunt, cū alijs aliter lo-
quentur, seq; nunc cum his sentire, nunc ab eisdem dissentire una ea-
demq; in re ostendent, homines deniq; incompositi, contaminati, incom-
modi, maledici, male sentientes, peruerse cogitantes, obrectatores, infir-
matore, corrupti, et ob hæc atq; huiusmodi uitia iudicium sententijs
expositi condemnabuntur, meritasq; aliquando poenas dabunt.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
PETRVM BEMBVM DE REBVS
COELESTIBVS. LIBER
SEPTIMVS.

Oeta qui primi de natura rerum per confabu-
lationes quasi quasdam scripsere Petre Bembe,
tradunt Geryonem quendam regnantem ad Hi-
spanicum Oceanum irris animas, tria etiā cor-
pora habuisse, hisq; tribus fuisse usum. Nimirū
triplex corporis genus, triplex etiā animæ mi-
nificis his è dictis innuere uoluerunt. Siquidem genus unum est cor-
poris arborum herbarumq; proprium, idq; a uegetatione, solaq;
corporis ipsius alimonia atq; enutritione uegetabile dictum est, ani-
mæq; huius aliud officium est nullum præterq; educatio ipsa sola,
soli etiā inheret corpori, neq; extra quicquā se mouet, nisi quan-
tum succos ipsos è quibus uegetatur ad se se irahit, ac irahendo cor-
pori insinuat, in proceritatemq; conuertit. Secundū corporis atq; ani-
mæ genus est, quod a sentiendo nomen duxit, nam & corpus ipsum
mouetur per loca, & uictum hic atq; illic queritando, alitur, et ani-
ma ipsa uidendo, audiendo, olfaciendo, gustando sic afficitur, ut cor-
pus ipsum moueat, impellatq; ad ea exterius querenda, quæ profu-
tura sentiat, contraq; ad ea fugienda, quæ uideantur nocitura. Neq;
enim sine motu esse, sensus ipsius opera potest ulla, aut motus aliquis
per loca corporeus ac suus absq; sensu. Hæc ipsa anima uiribus his
suis usa, per uisum, per auditum, per olfactum extra corpus ipsum pe-
nè egressa, ea quæ extrinsecus posita sunt, uidetur sentire, atq; ita
quidē sentire, ut èt diiudicet, quid ex illis profuturum, aut offuturū
naturæ sit suæ, indeq; sentiens anima uocitata. Atq; hæc quidē cor-
poris atq; animæ duo genera naturaliter seruilia sunt, tertioq; illi
generi, quod rationale genus est animæ, obediunt. Hoc autem ipsum
rationalis animæ genus, quantū a uegetante, atq; a sentiente rece-
dit anima, tantū superiori illi naturæ, aut potius, ut nunc loquuntur,
essentiæ quæ diuina dicitur, se se adiūgu atq; inherescit. Quo circa
aliud quoddam corpus huic rationalis animæ generi attribuitur, tū
figura, tum temperatione diuersum. ut si & uegetetur, & sentiētibus
utatur uiribus, ueluti ea corpora, quæ tū uegetabilia, tū sensibilia di-
cta sunt, tamen alio quodā modo, & figuratione, & membrorum
dispositione, & humorū præcipue temperatione affectū est. Tertium

tamen illi nomen nullum inest, nisi quod est genus corporis aptum natum rationali animæ subservire. Atque, ut Aristoteles tradit, in ipsa anima inesse partes alias rationi obtemperantes, alias quæ nullo modo rationi uelint subijci, sic mihi partienda uidetur sensibilis corporis species, ut alia quidem sit, quæ nobis cum beluis sit cõmunis, alia quæ tantum sit nostra id est hominis solius propria. Quam ob rem non inepte à Poëtis traditum est, Geryonem triplici anima, triplici etiam corpore fuisse præditum. Quoniam autem rationalis animæ imperium est proprium, uegetantis autem ac sentiētis seruitium, ut Sallustiano utar uerbo, ita quidem sentiēns uis subservit ratione utenti, ut eius tanq̄ ministra atq; exploratrix exgrat, præparet, repræsentatq; illi omnia, quæ uiderit, audierit, olfecerit, gustauerit, quoq; etiam modo tetigerit. Quibus repræsentatis, et tanq̄ oculis eius id est intelligenti uis expositis sic omnia considerat, atq; perpendit, eadem illa tanq̄ in trutina expēdendo seernat, seernendo singillatim inspiciat, deum iudicet, sicq; inspiciendo ac iudicando in illa illabatur et penetret, ut postmodum eorum omnium rationem et causas appositissime reddat. à qua effectioe quoniã hac in parte præstat atq; excellit, rationalis cognominata est anima. Ab hac autem ipsa anima hominũ proficiuntur actiones, quarum aliæ membrorum corporis ministerio aut solum aut maxime indigent, aliæ aut parũ, aut fortasse nihil præterq̄ qđ anima sensuũ sumministratone, operatq; illorũ utitur. Nã et cogitãdo, et pscrutãdo, et distinguẽdo, et discutẽdo, et multa simul, se paratim uel cõieplãdo, sensus quoq; fati gãtur. In sunt et animæ huic tres siue potētia, siue uires, siue affectioes, sunt q̄ uirtutes uocauerint. Nam et M. Virgilius arborũ uirtutes atq; herbarũ uocat. Nec M. Cicero hoc ipsum non et inuere uidetur, cũ ait, Nã nec arboris, nec equi uirtus quæ dicitur. Eas autem ab ira, quæ de sanguinis accensioe gignitur, irascibile, tum à cupiditate utilis ac iucundi concupiscibile nũc uocant. De rationali uero cur ita nominetur, iã diximus. Quo circa cũ erraticæ stellæ humoribus è quibus homo constat, præsent, hiq; ab illis moueantur, motus aut uisiones exuscitent, hæq; animam afficiãt, anima uero uisionibus ipsis excita eo tandẽ propendeat, atq; applicet, quo assiduo quasi quodã uento agitata impellitur. Hinc efficitur, ut nos ipsi eas artis actionesq; sequamur ad quas natura ab ipsa impellimur et quodãmodo instituti sumus. Neq; enim nisi impulsus quafi quidã, perinde ut uetorũ est, assidua illa uisionũ recursatio. Atq; eo quidẽ maior è et uehemẽtior, qđ uetus exterior quidã impulsus est, uisq; aliunde adueniẽs. at uisionũ impulsio interna est ac potius natu

na. His autem partibus hoc est irascibili, concupiscibili, rationali, tanq̄ earũ motores, ac rectores quasi quidã præsent Mars, Venus, ac Mercurius. Cur autem præsent, eisi ratio satis per se manifesta est, nihilominus in hac etiã parte differendũ esse aliquid duximus. Iræ motus hoc est calefacti sanguinis excitatio animã mouet. motus aut hic ipse maior ac minor futurus est, pro excitationis ipsius mensura. Cõmotio aut hæc animæ hominẽ ipsum ad agendum impellit. Actiones uero eiusmodi futuræ sunt, cuiusmodi calefactio illa sanguinis fuerit, ea uero Martis qualitatẽ sequetur, qui solis astro hac in parte assistit, et tanq̄ ad minister informatori adest, generationisq; auctori. Quale igitur temperaturã inflãmato sanguini, ac rufæ bili, quæ inde, ut Physicis placet, prouenit, Mars in genituris adhibuerit, talẽ temperaturã inflãmatio ipsa in mouendo animo retinebit. Mars igitur et excitator cõmotionũ earũ, et temperator iure dicitur, iure etiam irascibilis pars moderationi eius imperioq; subijcitur. Quoniã autẽ artes ipsæ quas homines sequuntur, actiones quædã sunt, et continuatæ quidem actiones, ac propterea quodãmodo naturales, secũdũ enim naturales cuiusq; proclinationes artes ipsæ existunt, hæ quoq; suas ad stellas referendæ sunt. Artes igitur siue ingenuæ, atq; ab animi generositate profectæ siue quæstiosæ, quæq; manu exercentur, quæ à sanguinis inflammatione deq; rufæ bilis humore portenduntur in genituris, quoniam à Marte ipso portenduntur, ab ipso etiam Marte quærendæ sunt. Pro eius enim collocatone, altitudine, deiectione, dignitate, ignobilitate, aliarumq; erga illũ stellarũ aspectu artes ipsæ futuræ sunt in hoc ipso artium genere nobiles aut ignobiles, utiles aut inutiles, felices aut infelices, celebres aut infames. Itaq; et irascibili parti Mars præest, eiusq; moderator ac rector est, et artes similiter, quæ à bile rufa, sanguineq; inflãmato portenduntur, ad Martem quoq; ut earum suscitatore referendæ sunt, atq; ab eius statu quærendæ in genituris ac pronuntiandæ. Appetitioni autem, eiq; animæ parti, quæ concupiscibilis uocatur à Philosophis nostri temporis, Venus stella præsidet, ea in aptanda, suggerendaq; ad generationem materia, Luce, ut diximus, socia est atq; adiutrix. Cuius quidem materiæ ut proprium est formam appetere, sic etiam sua ac propria utriusq; est conseruandi sui appetitio, postquam in unũ coiuere, qua è coitione constitutum est animal, quod quia sentit, ut appetat quoq; necesse est. Quibus enim sentiendi uis inest, et uis pariter appetendi uis est indita. Conseruatur aut formæ ipsius, materiæq; connexio atq; societas ut eorum adeptione, quæ utilia et iucũda futura sunt, sic mutiliũ ac

eristum evitacione & fuga. Versatur igitur concupiscibilis atq; appetens animæ vis in appetendis illis quæ utilia & iucunda existimantur. Qualis autem quantaq; appetendi vis hæc futura sit in anima nati, à Venere in illius genitura portenditur, pro sua ipsius collocacione & statu, eodem etiam modo quam sit artem secuturus, eã nãq; sequetur, quam uisiones ac titillationes ipsæ à Venere excitatæ animo ac menti representauerint. Quod autem de artibus dicimus, de actionibus quoq; dicimus, quæ futuræ quidem sunt pro e usdē stellæ collocacione & statu, genituræ tempore. Vis autem rationalis nullo in corporis humore, nulla in eius parte collocatur. eam tamen uim sensus qui corporei quidem sunt, adiuant, fouent, & tanquam itineris duces uiam quasi quandam ad exquirendam, assequendamq; rationem demonstrat atq; aperiuunt. Huic animæ parti ac uirtuti eius, ut etiam in commentationum libris ostendimus, Mercurius præsidet, atq; ita quidem præsidet, ut soli hac in parte subseruiat ad perficiendū hominem, quod rationale animal de ratione ipsa uocatum est, idq; ut perfici atq; absolui à Sole posset, quatuor primū humoribus opus fuit, sumministrante materiam Luna, tanq; generacionis socia. Itaq; uicæ aëris, sanguinem sibi à Ioue Sol mutuatus est, qui calore quidem Soli, humido autem Lunæ opitularetur, loco terræ bilem atram à Saturno, qui frigiditate sua Lunæ adesset, siccitate uero ei, siccitas enim caloris est familiarissima, pro igne autem bilem rubram à Marte, qui calore ac siccitate sua suffragaretur, quemadmodū Venus frigidus atq; humectus Lunæ. His igitur elementis, atq; humoribus, his etiam auxiliatoribus in fingendo humano corpore usus est Sol, et quidem appositissime. Primum enim quod generatio futura esset è contrarijs, Sol se pro uiro ac mare gessit, usus Luna pro coniuge ac muliere. Itaq; hinc forma ex parte Solis, illinc materia ex parte Lunæ simul conuenere. Quoniã autē duo aduersantia atq; omnino contraria conuenire in unū nequeant, nisi medijs adhibitis, quæ contrarietatem atq; repugnantiam uirinq; temperent, nec forma ipsa impingi nisi per calorem in humidam posset materiã, cui tamen frigiditas ei insita repugnaret, media adhibita sunt, quæ inuicem seq; omniãq; simul mixta moderarentur, siccitas, quæ tum calori, tum frigori familiaris esset, hæc enim qualitates agentes sunt, & feruor Martius, qui calori adesset Solari, ne ab humido extingueretur, tum etiam Saturninum frigus, quod humidum à calore atq; exarescentia tueretur, præsertim quod animal hoc mortale futurum esset. Calori Solari, qui genitilis esset adiectus est feruor Martis urens ac corrumpens, Lunari autem frigi-

gori adiecta est Saturnina frigiditas, quæ ueneni uim quoddã in corrumpendo retineret. Nullis igitur in humoribus corporis sita est ratio, nullis in membris, non Ioui adiecta, qui dominatur sanguini, à quo corpori alimentum sufficitur, non Marti, qui rubræ bili quæ de sanguine ipso excernitur, non Saturno, qui atræ, non Lunæ, aut Veneri quæ pituitæ. Quomodo enim in terreno humore ratio collocabitur, q̄ tantopere obtusus est, nulliusq; cõmotionis? quomodo in aquæo, cuius motus est etiã magnopere tardus, uis aut hebes ac retusa? cū aëria èt qualitas nequaq; tãti acuminis sit, tantæq; celeritatis ac penetratiõis, ut rationalis potestatis sedes in ea collocari debeat. Nã ignea ac Martia uis si idonea est iræ, parū tamen apta est cõquirendæ rationi, cui motus temperatior, minimeq; præcipitatus accommodari debeat, ipsum aut acimè ut penetrabile, sic minime attenuatū ac frãgibile, ne tanq; furtim surrepat, hucq; atq; illuc fugitiuus dissiliat. Sol igitur uim hæc rationale sibi ipsi retinuit, atq; ut author præstantissimus humani corporis, partē hæc hominis præstantissimã sibi adiudicauit, ea in conditione, ut regã sibi maiestate retinens in potestatis rationalis uim auctoritatēq; Mercurio subrogauerit, ut pote maxime sibi uicino & familiari, ut natura tantopere uersatili prædito, ut nulli omnino qualitati addicto, ut qui facile se in aliorū naturam non modo cõuerteret, uerū etiam naturas, mores, applicationesq; indueret, cuius ad eū accessus, itemq; ab eo recessus essent etiã frequentiores, quæ è re familiaritas tanto maior atq; obstrictior inter ipsos iniretur. Nã Venere natura (licet eius stellæ sit etiam Soli proxima) quia foeminea, quia Lunæ socia, quia uersatilis nequaq; esset, si cupiditati apta est, nõ in idonea est, quæ præsideat rationi. Mercurij itaq; status in genituris rationalis animæ futurū statum denuntiat, actiones item atq; artes futuræ, illarumq; qualitates. Si enim bona cū Saturno familiaritate iunctus fuerit, mutuatus ab eo tarditatē firmitudinēq; cogitandi, et in dæ gandi constantiam, atq; è tarditate cõstantiãq; cõtemplationē, ac rerū pensitationem, celeritatem suam, insitumq; sibi acimè tẽperabit, quim etiam persistet diutius in cogitationibus atq; in suscepta inuestigatione firmitus perseverabit. Singulaq; magis ac magis intuebitur, et cautiùs considerabit, maturiusq; ex eo de illis iudicium feret. à Ioue mutuabitur rectitudinem ac mēsurã, iudicijq; integritatem cū æquabilitate & penso, pro natura familiaritatis atq; aspectus. Hæ enim ipsæ affectiones tum Saturni, tum Iouis, humorum quibus illi præfunt, naturas sequuntur, à Marte alacritatem, uehementiam, fidutiam, ut sit acris atq; alacer in suscipiendis cogitationibus, uehemens in persuadē

do, atq; in iudicando generosus & liber. a Venere suauitatem, bonitatem, iucunditatem, ut sit in suadendo iucundus, in iudicando bonus, cogitationes uero eiusdem suaves ut sint, ab omniq; acerbitate aliena. a Luna uero mutabitur non ea solu quae Luna sunt propria, uerū & illa quae ab stellis alijs ipsa sibi mutuata fuerit, assidua decursione sua. Haec tamen omnia pro cuiusq; statu ac suo, quae tamen ipse & ad Solem referet, & a Sole ad ipsum referentur, neq; enim alia ad rationē inueniendā est uia, nisi huc atq; illuc discursando, haec atq; illa aut sequendo aut fugiendo, alia consyderando, alia reiciendo, his inhærendo, ab illis recedendo, quaedā probando, quaedā contra improbando, praeterita memorādo, praesentia pensitando, futura praesagiendo, singula deniq; seq; ipsum, resq; suas metiendo. Atq; ut ad Sole ipsa tandem referatur generatio, sic ea quae ad perficiendā rationē accommodata sunt, tanq; ad principē unum aliquē referenda sunt ad iudiciū, a quo rationis rectitudo ueritasq; emanat, iudiciū autem confertur a Sole authore omniū ac magistro. Eorum uero quae iudiciū antecedunt inquisitio, inuestigatio ac representatio, unius Mercurij est propria. Atq; ut Mercurij qualitas est retorrída, sic inuestigatio omnis, omnis item iudicatio concocta esse debet, nihil enim retorrídū, quod non omni etiam sit parte concoctum. Adhaec humor ille quē Mercuriale diximus, q; Saturni iurisdictioni proprie tamen attribuitur, neq; enim nisi ex euentu (atq; ut nouo, idoneo tamen utamur uerbo) ex accidentia quadam attribui Mercurio potest, multū a natura ipsa parti huic rationali cōferet, ut tamen si a natura Saturno sit addictus, accidentia tamen quadam efficiatur Mercurio per familiaris, ac penē Mercurij ipsius suus. Efficit enim hic ipse humor cogitationes fixas ac permanentes, atq; exinde concoctas & defecatas. Et quia ubiq; dubitat, undecunq; etiam querit, & quia quocunq; se se offert, sciscitabundus perscrutatur singula, ac perscrutando ad secretiora penetrat, aperitq; quae prius erāt obscura & incognita, quin etiā proficiscitur ulterius ad intentata, dū non solum acuit spiritus, uerum etiam fidentiores illos facit, redditq; indefessos. Praesse autem rationi Mercurium, illud etiam docet, quod ab eodem Mercurio manat oratio, quae rationis ipsius, rationalisq; animae interpres est ac ministra. Attribuerunt etiam ueteres ac probati scriptores Mercurio linguam, item fel humoris illius persimile, de quo iam multa diximus, ac dicturi sumus. Aristoteles tamen arbitratur fel inutile iecinoris excrementum esse, nec cunctis animalibus sed ne omnibus etiam hominibus inesse. Quoniam autem haec ipsa potestas est illi a Sole tradita, diligentissime uidentium est qualis sit

eius cum Sole status, sit ne matutinus an uespertinus, orientalis ne an occidentalis, recto ne itinere, an regrediendo incedat? Sit Soli proximus, an ab eo remotior, aut quā fieri potest remotissimus? Praeterea feratur ne eodem cum Sole signo, an alio? signa etiam ipsa qualia sint, signorumq; ac partium domini quomodo sint in figura collocati, amice ne an hostiliter conspecti, ut quale futurum sit nati ingenium, quae uis rationalis animae eius, absolutius iudicari queat. Quia uero satis probatum est, tris illas animae potestates irascendi, appetendi, ratione utendi Marti, Veneri, ac Mercurio ascribendas esse, ab ipsidemq; solis actus hominum artesq; proficisci, reliquum est, ut de singulis, cum honus ipsum tradendae artis acceperint, differamus, hoc tamen praefati, primum attendendum esse nati ipsius genus, generisq; mensuram, qui enim nobili è genere nascuntur, diuitijsq; abundant, uix unquam artes, quae manu fiunt, secuturi sunt, quamuis coelum sic uideatur discernere. Saepenumero enim humanae leges, ciuiliaq; instituta coelestibus praeferruntur. Deinde patria uidentia est, cum sat notum sit non omnis artes quocunq; in oppido exerceri posse. Quis enim unquē tariam exercebit in Apennini iugis, aut Alpium appendicibus uitam ducens? Cauenses pleriq; omnes aedificiorum structores sunt, Anglonenses ferrarij atq; ararij fabri, Sulmonenses aurifices. In Maris non pauca inuenias oppida, quorum oppidani praeter ouium pasturam aliud omnino nihil aut exerceant, aut curent. In Apulia qui a agro colendo tantummodo studeant. Tertio loco climata, terrarumq; acclinationes, cum differant inter se, nec eadem sint in illis significationes, ac stellarum decreta.

De Marte datore artis ac magisterij.

Mars igitur cum fuerit magisterij atq; actionum dator, proq; dignitate ac excellentia praefectura huius suae collocatus, si feliciter, felibusq; a stellis conspectus illustrabitur, nocturna quidem in genitura (si quidem nocturno gaudet Mars tempore) discernit militiā, discernit militari ab exercitatione ac disciplina, bellicisq; item ex artibus gloriam, honorem, magistratus, praeclearaq; pollicetur insignia. Praeficietur enim natus ille aut cohorti, aut legioni, aut tribunus erit, aut equitum magister, aut ductabit exercitum, aut maximam aliquā potestatem maxima cum licentia exercebit, quae quidem Martis decreta inueniuntur ex dignitatis autoritatisq; eius immutatione. Quod si autoritas immuta fuerit adeo, ut ad artis opificas, ac manuum

magisteria descendendū sit, tamen ut in his decernendis dignitatem quoq; Mars suam magna e parte retineat, natus ipse quæ circa ignē, aut quæ circa ferrum uersatur, artem exercebit, quadam cum nobilitate atq; præstantia, interq; artifices alios commendatione et fama. Erit autem ars quæ igni exerceatur, ubi Mars Soli ratione aspectus aliqua configurabitur, qualis est ars fabri ferrarij, aut furnarij, aut fornacarij, aut fusoris, conflatōrisq;. Vbi uero nulla cum Sole aspectus ratione iungetur, ars ipsa ferro administrabitur, futurusq; e natus is aut agricola, aut lapicida, aut faber lignarius. Quod si aspirare ad illa Martis ipsius status eū non patitur, artes minus nobiles ac minus honestas aut ex igni aut e ferro nihilominus sequetur, futurus aut lanius, aut faber ferrarius, aut cultarius, spatharius ue, aut loriarum thoracumq; fabricator, aut æreorum uasorum, aut tympanorum, aut æneorum tormentorum fusor. Sin Mars in pigris ac deiectis constitutus locus fuerit, aut in signis, in quibus ipse parū letetur, artes decernet multo ignobiliores, maiorēq; cū ignobilitate exercendas, ut qui lapides in calcem uertunt, qui ue animalium intestina in calcibus grandioribus ad esum coquunt, ut qui fossores sunt ac lignatores. Si enim Saturni aspectus accesserit, erit faber naualis natus ille aut purgator sentinæ, aut coriarius, aut sentinarij, aut coquus. Si uero Iupiter Martē ituebitur, erit aut publicanus, aut gregarius miles, aut capto, aut portitor, aut famulabitur. Futuræ aut sunt artes atq; actiones ipsæ utiles, honorificæq;, lucraq; ide magna qdē prouentura, si Mars beneuolentibus a stellis beneuolēter ad hæc ipsa præstada conspectus atq; adiutus fuerit. Sin a maleuolis tantū stellis, maleuole hostiliterq; irradiabitur, labores artificiaq; infeliter cedent, natiq; ipsi nō alijs modo uiuent obnoxij ac subiecti, uerum inopia laborabūt, ac multis prementur erūnis. Quo circa singula oia ad amissim metiēda sunt, ut quæ decernantur artes actionesq; bene cognitum ac perspectum mathematico sit, et quibus cū lucris celebritateq;, aut cōtra quibus cū dānis quaq; cū ignobilitate sint exercendæ. Hæc aut colligētur ab aspectu statuq; tū beneuolarū, tū maleuolarū stellarū, a signis, a finibus, a locis, in quibus constituta fuerint, et ab ipsorū signorū ac finiu dominis. Sint ne beneuolæ stellæ an maleuolæ, potentioribus prærogatiuis præditæ, an et felices, et infelices simul cōspiciāt, an solæ aut beneuolæ faueāt, aut ignēt maleuolæ. Qualis enim beneuolarū et maleuolarū status fuerit, tales ex artibus obuetiones, redditus, cōmēdationesq; futuræ sunt, talia et tū dāna, tū infāmia. Quod enim sæpius nostris i. libris et qdē libēter admonemus, oportet mathematicū in his pronū

tiādis a medici officio nullo modo recedere, stellarūq; significatiōes simul miscere ac temperare, singula i unū colligere, tandemq; de ijs in unum collectis sententiam ferre. Sed neq;, ut paulo ante dictum est, aut parentum, aut patriæ, aut regionis, terræq; declinationum immemorem esse par est.

De Venere quando erit domina magisterij.

Veneris stella ubi conferendæ artis, actionūq; potestātē sortita fuerit, ac bene feliciterq; collocata, felicibus etiam beneuolarum stellarū radijs conspecta fouebitur, suis in signis, suis etiam in finibus, primarijsq; in locis constituta, actiones decernet nobilissimas maximeq; insignes, præsertim si nocturna genitura fuerit, quibus ex actionibus magnæ facultates atq; opes, magna item cum gloria prouenturæ sunt. Quin etiam hominum beneuolentia et ciuium gratia tanta inde conciliabitur, ut nato illi in cuius genitura hæc contigerint, certatim unusquisq; prodesse contendat, maximusq; illi uel ab uxore, seu uxoris gratia, uel a matrona præstanti aliqua matronæ ue suffragio fauor confertur. Venus enim patrocinationem suam per mulieres ac matronas potissimum exercet. Non omitemus hæc in parte quod Iulius Maternus de Venere actus conferente in quarto Matheos libro tradit. Futuri sunt inquit regum imperatorumq; q̄ simillimi, in tanta potestate, tantisq; constituentur opibus qui cunq; suis in genituris, decernendisq; artibus atq; actibus Venere habuerint in domicilio suo constitutā, suis ue in finibus, partiliterq; in horoscopo, aut in culmine, aut in undecimo, quinto ue in loco præsidem, cui Iupiter feliciter trianguletur, Lunaq; immunito ad illū feratur lumine, sitq; Iupiter item ipse suo tanq̄ in solio cōstitutus, dignaq; Ioue maiestātē retineat. Imptitura est igitur nato huic Venus cui se in conferendis artibus benignā præbuerit, magnos honores, amplas dignitates, honestos magistratus, ornamenta senatoria, auctoritatē inter ciues beneuolentiā in populo, propter iustitiā, morūq; suauitatem, procurationem annonæ, ac publici horrei, sacerdotia, sacerdotiorumq; primaria loca. Quæ quidem omnia maiora minorā ue futura promittuntur, pro Venere ipsius statu, ac prærogatiuis. Vbi enim tanta fiet immunitio, ut non modo in signis, in locisq; de quibus dictū est, non inueniatur, uerū in alienis signis finibusq;, et in locis alijs q̄ quæ diximus, aut si non hæc illi desint omnia, uerū ex ijs pars aliqua, sitq; ad manuū magisteria declinandum, erunt magisteria ipsa honesta et munda, nati enim futuri sunt pictores, chorearū magistri, cantores, organarij, industriarij, bracteatores, aurifices, auri-

argentiq; artifices, textores pannorū ex lino, aut lana, aut serico, pannorūq; tinctores, unionum ac gemmarum exquisitores ac magistri. Quod si stella hæc in deiectis ac pigris locis inuenta languerit, artes ipsæ aliquanto ignobiliores atq; abiectiores decernentur, ipsiq; artifices erunt unguentarij, aromatarij, popinones, caupones, aut cauponum pueri, rerumq; illarum aut uenditores, aut artifices, quæ uoluptatem aut sumministrant, aut homines illius admoneant, aut ad oblectandos sensus potius quàm animos spectent. Hæc autem decernenti Veneri, si beneuolæ stellæ felix suffragabitur irradiatio, erunt magisteria utilia magniq; inde quæstus prouenient. Sin suffragatores nulli affuerint, contra hostiles offuerint irradiationes sordescunt artes, ac magisteria, ipsiq; artifices erunt immundi, sordidi, alijs subiecti, ac propter sordē despecti, ut furtores, obsonatores, cuppedinarij. At ubi fauor hinc stellarum accesserit, illinc iræ, minæq; in gruerint, adhibendum erit, de quo supra dixi, commiscendi simul ac temperandi iudiciū, ne prædictio ac denuntiatio mendax futura sit, omninoq; inanis & uana. Si enim Saturnus Veneri artem tribuēti suffragabitur, natus erit aut sumministrator, aut mercator rerum earum, quæ uoluptati subseruiant, animosq; emolliant, aut forte erit ueneficus aut leno, atq; huiusmodi è quæstibus rem sibi familiarem comparabit. Iouis uero suffragium faciet athletam, atq; in certamine uictorem, præmiūq; ac coronam inde referentem, quiq; magno in pretio habendus sit, atq; a matrona seu matronæ alicuius beneficio in gradū quæpiā promouendus.

De Mercurio magisterij & artium datore.

Artes, actus, magisteria, ubi eorum author ac distributor Mercurius fuerit, plerunq; ingenio, linguaq; exercēbuntur. Itaq; ubi in conferendis artibus inuentus fuerit in signis ac finibus suis et in locis cœli primarijs, atq; a beneuolis stellis feliciter irradiatus, in primisq; Soli conciliatus, præficiat eos q; in hoc cœli nascentur statu tribunalibus, prætorijs, iuri dicundo, aut regijs, publicisq; rationibus, fiscaliq; administrationi. Futuri enim sunt præsides, rectoresq; prouinciarū, causarū audita-res ac iudices, aut quæstores, exactoresq; publicæ regie uel pecunie, aut regiorum thesaurorum custodes, procuratoresq; aut regum ac maximorū principū institutores, ac magistri, aut illorū census ac rei familiaris dispensatores aut uicarij. De his aut omnibus quo certius ferri a mathematico iudiciū queat, signa ipsa in quibus Mercurius inuenitur, diligenter consideranda sunt. Si enim solidū signum fuerit, natum præficiat prætorijs, tribunalibus, prouincijs, iuriq; inter popula-

res dicundo, aut publicis regijsq; rationibus, pecuniarū administratio-nibus, thesauris custodiendis, portorijs exigendis aut fisci iuribus procurandis, tuendisq; ab iniuria et fraude. Sunt aut signa solida Taurus, quod Veneris domicaliū est, Leo, quod Solis, Scorpius, quod Martis, Aquarius, quod Saturni propriū hospitium est. Quo circa uidendū quoq; est, quo in statu sit dominus signi solidi, per quod tunc Mercurius fertur, quæ etiā cū Mercurio familiaritate, irradiationeq; coniunctus, plurimū enim hoc ipsum conferet ad decreta intellegenda, atque ad ferendā sententiā. Si uero fuerit tropicū hoc est aut Cácer, aut Capricornus, nati officium uersabitur in rerū commutationibus, mercibusq; peregre comportandis atq; in emūdo et uedūdo. Has aut artes à Mercurio denūtiari Plautus innuit in Alcmena fabula. Quoties aut fuerit æquinoctiale, siue Aries, siue Libra, natus ipse præficiatur publicis poderibus illorūq; inter artifices distributioni. Vbi aut fuerint signa duplicia, siue Gemini, siue Sagittarius, siue Pisces, natus portenditur futurus aut medicus, aut iuris ac legū peritus, aut astrologus, aut arithmeticus, aut geometra, aut inuētor, aut literator, aut epistolarum magister, q; nunc Secretarius dicatur, aut haruspex, aut somniorum coniector, cum primis aut natus erit ingeniosus, gnarus, atq; abūde cordatus, multaq; eruditione præditus. His igitur è rebus nati ipsi comparabunt sibi tum diuitias plurimas, tum summam commendationē ac famam, cum singulari etiā auctoritate & gratia, si Mercurius in his decernendis beneuolarū stellarū fauore suffragijsq; adiutus fuerit. Secus uero cum a beneuolis destitutus atq; a maleuolis impugnatus. Vbi autem Mercurij status mediocris fuerit, decernuntur mediocria munera, magistratusq; mediocres, siquidem futuri sunt nati notarij, bibliopola, exscriptores. Quod si Mercurius in pigris ac deiectis inuenietur locis, artes quoq; quæ decernuntur futuræ sunt humiles atq; abiectæ, ut custodia porteriorum, nequid in cōportandis aut exportandis mercibus fraudis fiat, ut portarum urbis, nequid detrimenti patiantur uectigalia, ut disquisitio fraudum ac furtorum, ut alia eiusmodi siue onera, siue munera, quæ per sepe habentur nō solū humilia, atq; inhonestā, uerū et infama. Aspectus aut atq; familiaritas stellarū aliarū in hac artium distributione atq; in agendis rebus quid præstet, prætereundum nē id quidem est. Si enim Mercurio Saturnus affuerit natum faciet in actionibus suis, suoq; magisterio tacitum, maturū, suspensum, grauem, austerum, qui tamen quandam mansuetudinem præseferat, qui consilia sua in pectore contineat, qui oçulta animi superbia inflammationeq; laboret, qui multa sibi ipse persuadeat, multa èt.

aut dissimulando prætereat, seq; curare parum ea ostendat, quæ qui dem sit uel admodum curaturus, aut simulando procuraturus quod dammodo promittat, quod etiam sponte præteriturus sit, deniq; sua q; cõsilia, quodq; animo destinauerit, celare alios semper cupiat, cautus, obscurus, difficilis, rigidus, futurorum prospector, presentium prolata tor, atq; in exequendis rebus cunctator. Hæc quoq; Saturni cū Mer curio familiaritas atq; configuratio natū faciet rerum alienarum dis pensatorem, aut somniorum coniectore, aut interprete, aut hariolū, aut futurorū prædictore, aut numine afflatū, aut q; in tēplis conuersetur. Vbi aut Mercurio Iupiter suffragator astiterit, in administrandis rebus nato præstabit animi magnitudinē, in iudicādo rectitudinē, in coercēdo moderatiōnē, in reddendo iure iustitiā, in moderādo populo grauitatem, in deliberando pēsitationē, in sedādis seditionibus animi robur ac firmitatē, in cõponendis odijs, simultatibus, inimicitijs digni tatē ac superciliū, in puniendis facinoribus seuerā animaduersionē in pace cõseruanda studiū q; diligentissimū, in interpretādis legibus circūspēctionē, in cõdendis prudentiā, deniq; in singulis actionibus natus ipse præ se feret æqui, recti, honesti, publiciq; boni curam, itē continētiæ, atq; æquabilitatis, dictorum, conuentorumq; obseruantiam ex fide, de honore, laude, uituperatione, infamia summam sollicitudinē, eritq; ita institutus a natura, ut iussis ac præceptis suis plane optempe rari uelit, ac nihilominus i contumaces placabilitate utetur pro tēpore, rerūq; cõditiōne. Hoc aut ipsum Iouis suffragiū faciet natū iuriconsultum aut rhetorē, aut sophistā, q; deniq; cū primarijs uiris conuersationē habeat familiaritate coniungatur. Quoties uero Mars Mercurio suffragabitur, nati animū et i actionibus, et in artibus quas exercebit, atq; i rebus gerēdis instruet fiducia, audacia, uirilitate, festinatione, contumacia, peruicacia, iracūdia, p̄fidia, uolētia, incōtinētia, rapacitate, stoliditate, leuitate, uarietate. Nā et promissorū neglector ac cõtēptor erit, et facile de proposito, inceptoq; mouebitur, ac propter animi uehemētiā erit in cautus, fraudibusq; expositus, quiq; ut per uim, iniuriāq; superare alios nititur, sic ab alijs facile capiatur, pronus, promptusq; ad res aggrediendas nouasq; suscitandas, atq; in gerendis illis incōpositus, inordinatusq; a uenere aut beneuolente, ac fauorē suū liberaliter offerente, mutuabitur sibi Mercurius in Magisterijs, in artibus, in agēdis rebus, in exponēdis mādatis, animiq; cõsilijs explicādis elocutionē, lenitatē, claritudinē, pietatē, misericordiā, cõmiserationē, gratitudinē iustitiā, simplicitatē, beneuolentiā, reuerentiā, bonitatē, pudorē, gratiā, cultus atq; ornatus studiū, consuetudinis facilitatem, splendoris nitelam,

nitalem, cœnarum lautelam, in Deum metum, ac ceremoniarum eximiam curam. Idem nec irasci sciet, iratus autem facile sedabitur, motusq; animi componet. Hæc autem affectiones a stellis ipsis hominum animis inditæ sequuntur, ut a nobis supra ostensum est, humorum ipsorum è quibus corpora compacta sunt, qualitatem, atq; efficaciam quam post in uitijs, uirtutibusq; atq; in rerum administrationibus referunt. Eadem etiam ratione hoc ipsum in disciplinis referent, ut alij actiores sint, atq; celeriores, alij hebetiores, tardioresq; alij in differendo arguti et cauti, alij captiosi et lubrici. his ut placeant obscura et perplexa, illis clara et explicata. Deniq; ut siqui medici euaserint, in curandis morbis alij felicissimi sint, alij infelicissimi, itemq; qui astrologi, in prædicendis stellarum significationibus ut quidam sint ueracissimi, contra non nulli maximum in modum uani.

Quando uel duo uel tres fuerint datores magisterij.

His autem è tribus qui nam sibi tradendi magisterij auctoritatem artiumq; exercendarum capiat, coeli quidem situs ostendet, locorumq; constitutio. Qui enim eorū in coeli culmine aut in horoscopo aut in occiduo seu imo in cardine aut in potioribus coeli locis repertus fuerit in genitura, cum reliqui tamen duo humilioribus in locis collocentur, neq; bene se habeant, illi utiq; tradendarum artium provincia uni erit decreta. Sim et alter paribus ac similibus prærogatiuis suffultus fuerit, uterq; simul æquata potestate actiones, magisteriaq; decernet. Quod ubi mathematicus uiderit, uires ac facultates utriusq; stellæ in decernendo miscebit. simulq; temperabit quam poterit ex altissime. Vbi autem contigerit, ut hos artium dispensatores pigris, atq; deiectis in locis mœrentes iacere, et tanquam sordescere, omnibus quidem præsidijs ac fauoribus uacuos, aut forte hostiliter ab aduersantibus stellis oppressos, in quo nā hominū numero natus ille habendus sit, nesciā, quippe q; præter effigiem uix sit hominis aliud habiturus. Si uero contigerit duos simul ex ijs æquata potestate, tradendæ artis sibi ius desumere, hiq; Mars ac Mercurius fuerint, natus ille in cuius genitura Martis hæc Mercurijq; societas forte euenerit, futurus est aut accusator, aut medicus, aut chirurgus, aut statuarius, aut scutarius, atq; armorum faber, aut diuinarum fictor imaginū, aut figulus, moribus in haud satis cõpositis, siquē futurus est adulter, falsarius, maleficus, idē quoq; palestrā luctator frequenter exercebit. Cui societati si Saturni quoq; aspectus accesserit, ad mores tā incompósitos illud et adiungetur, ut sit ho

indida, grassator, rapax, latrunculus, abactor. Vbi autē Iupiter illos aspexerit, natus futurus est pugna, effuax, uehemens, armorum exercitator, atq; alienorum occupator bonorum, quibus artibus rem sibi familiarem comparet. Si uero societas ipsa Martis ac Veneris fuerit, decernet unguētariam, tinctoriam, tonstrinariam, fusoriam, è stagna plumbo, ære, argento, aut uero, agriculturam, ueneficariam, medicinam, eam uidelicet quæ potionibus curat. Huic autem ipsi societati si Saturnus testem se præbuerit, illud adiūget, ut medicus ille inter alia curandarū ægritudinum remedia Deorum quoq; signis ac simulacris utatur, magisq; carminibus, & illud quoq; præstabit aspectus hic Saturni, ut nati futuri sint polinētores, bustuarij, funerum curatores, quiq; celebrandis exequiis, decantandis mortuorū laudibus, nequijsq; deplorandis præficorum fungantur officio. Forsitan & corrupti furore ut pote lymphati dei cuiuspiam numine afflabuntur. Quoties autem testem se Iupiter exhibuerit, augures futuros denuntiat, haeruspiciamq; peritos, quiq; sacris in locis uersaturi sint, aut sacra ipsa custodituri, uel solemnibus in pompis illa delaturi, aut matrimonia conciliaturi, copulamq; maritalem, quibus ex artibus uoluptariæ admodum uiuent, nihilominus periculis sese libenter obijcent. Quod si tradendarum artuum societas ipsa Mercurij ac Veneris fuerit, numerum hac è societate indicantur studia musicæ, cantus, tibiæ, Lyre, item uersuū poetarūq; numerorū, præsertim si domiciliorū priorū inter stellas ipsas fiat commutatio, quin etiam scænæ, scænicorūq; ludicrorum, chorearum, ac mimorum. Forsitan et nati ipsi exercebunt texturam, aut picturam, aut cæram fundent, aut manziones ipsi, ueni dabant seruitia, aut musica instrumenta, chordasq; conficiant, aut in uendendis muliebribus ornatibus, delicijsq; puellaribus uersabuntur, si Saturni stella illos conspexerit, quando quidem usdem sequendis artibus uehementer radijs suis Saturnus admniculaturus est. Iouis autem aspectus Veneri ac Mercurio in tradendis artibus adiunctus, q hoc in statu nascuntur, eos futuros promittit cauidicos, aut qui rationibus publicis præponantur, qui ue publicas administrationibus, seu regendo populo, plebiq; præficiantur moderandæ, aut qui puerorum institutores morumq; moderatores euadant.

De Magisterijs ipsis, & eorum qualitatibus.

Quamuis autem de actionum, artūq; traditione satis multa dixerimus, nequaquam tamen hoc quod reliquū est, prætereundū uidetur, in omni qua-

uitate iria esse consideranda, quæ maximum, quæ minimum, et quod medium est. Artes igitur et quæ a planetis traduntur magisteria, ubi eorum dator tanquam in maiestate quadam collocatus præsidet, decernuntur & ipse primariæ atq; excellentes. Si enim Mars in decernendis nati actionibus, uirū suarū amplitudine utetur, nihil fabrile, nihil sordidum in nati animū per simulacra illa quæ a sensibus offeruntur, insinuat. Magni enim ignes postquam candenter accensi sunt, nihil fumidū euaporant. Ita quoque natus ille quod ignis, quod rubræ bilis propriū est, sursum moueri ac ferri, nihil nisi altū atq; excellens aut appetet, aut conabitur. Quo circa fauente auctore ipso artū ac datore, auxilijsq; primarijs è locis summittente, consecretur magistratus, præfecturas, tribunatus, auctoritatēq; imperatoris, cum summa est potestate ac licentia, præsertim ubi aliæ stellæ fauorem quoque suū fauentibus è locis conferent. Vbi uero Mars ipse magisterij dator humiliter atq; abiecte collocatus fuerit, artes quoque abiectas & despicabiles decernet. Quoniam autem omnis tum maxima, tum minima quantitas, quæ partibilis quidem sit, latitudinē habet aliquam, ut si quis constituat, centum summum loci culmen obtinere, decem minimis, ubi quis propter Martem nequeuntem centenarium implere numerum, non poterit dux atq; imperator exercitus euadere, euadet præfectus equitum, quippe cum Mars illi nonagenarium tantum numerum decreuerit, euadet tribunus militum, aut centurio, aut præfectus fabrorum, cum tribuno illi octogenariū, centurioni septuagenarium, fabrorum præfecto sexagenariū tantum numerū decreuerit. Eodem modo in tradendis artibus ignobilioribus, futuri sunt gradus ignobilitatis, & eius cui nouē, et eius cui octo, et eius cui septem, et cui sex, et deinceps ut sui cuique definiti sunt numeri. atque ut summus ille numerus imperatorē constituturus est exercitus, ita infimus uindicē rerū capitaliū, atque carnicem. Inter summū autem et imū, quando mediū interiacet, et ipsum quoque mediū habet numerorū atque graduū suorū constitutionē. Nam et in manuarijs id est sordidis artibus quæ igni exercentur, aut ferro, gradus quoque constituti sunt sui. Faber enim ferrarius præfertur fornacario fabro licet uterque arte igni exerceat, et cōflator, fusorq; ænearū statuarū ante fertur furnario, ac panicerio. Ita quoque et quæ in latitudine summæ, et quæ in latitudine medijs constituitur aut imæ, habebūt dimensionē suā, suūque numerū perinde sortentur, ut Mars ipse pro collocacone atque cōfiguratione sua constituet, proque aliquius stellæ beneficio, aut malificencia. Iupiter enim auxiliator aliquatenus abstergitur est artis sordē atque ignobilitatē. Si enim natus ille absque Iouis præsidio futurus erat coriarius, mutabitur ob-

hoc praesidium in publicanum, aut uectigalium exactorem, aut in hospitiatorem meritorium, ut non temere dictus sit Iupiter dare iura hospitibus ut est apud Virgilium. Corruptum enim illum Martis humorē aliqua sanguinis atque humoris sui admixtione Iupiter subtemperabit. Contra Saturnus conquinabit sordentius, siquidem ad corruptionem à Marte profectam adiungat suam, cum utriusque stellae natura sit corruptioni accommodator, ut qui faber naualis futurus erat, illum ipse conquinatōne sua compellat ad emundandā sentinam, aut ad latrinas expurgandas, cloacariamque exercendā. Hoc idē et maximum, et minimum, et mediū considerandum est etiam in artibus atque actionibus à Venere decretis pro eius aut egregia regaliq; constitutione, cuius stellis alijs configuratione, aut pro mediocri eius statu atque conspectu ad stellas alias, aut pro abiectōne atque ignobili collocatōne eiusdē. Cum enim à Venere appetitiones suscitentur in hominibus, ubi ipsa tanquam regia in sella collocabitur, et quadam cum ueneratione ab alijs cōspiciatur, appetitiōes ille nihil nisi magnificū atque honoratū affectabunt, ipsaq; ut appetitiōnum genitrix, ut illarū muneratrix, magnificos atque honorabiles magistratus nato illi sumministrabit, quin etiam pontificatus, sacerdotia, praefecturam annonae publicae, splendidaq; inter ciues ornamenta cum summa et singulari ciuium beneuolentia, perinde ut numeros cuique suos constituerit. At ubi pro statu suo, suaq; collocatōne ad summum aspirare gradū nequierit, aut ad honores eos, qui intra summi loci latitudinem includuntur, decerneretque mediocria, in hac et mediocritate locus nato cuique suus integer seruetur, ut si aut pictor, aut textor, aut aurifex futurus denūtiatur, in illa ipsa arte maiorem retineat prerogatiuam, pro situ atque configuratione Veneris ipsius, stellarumque conspectu, ut tamen si Marcus et Publius indicentur futuri aurifices, alter tamen sit ingeniosior et clarior, alter minus notus, minori que ingenio praeditus, alterque sordescat inter plebeia opera, in lucem alter ueniat, eiusque opera circumferantur ad principes ciuitatum ac reges. Eadem est ratio artium ignobilium à Venere decretarum, ut si natus ipse decernatur artifex rerū uoluptariarū, accesseritque decreto huic malus aliquis aspectus, artifex ille futurus sit magis magisque cognatus atque infamis. Etenim si corrupto illi humori corruptionē quoque Saturnus suā immiscuerit, nati ingenij cogitationesque conuertet ad artis lenonias, ad philtra, ueneficiaque amatoria, aut magicas incantatiōes, amoris ac uoluptatis fructū de gratia. At Iupiter retrahet ab hac illū turpitudine et infamia, namque admixtione sanguinis atque humoris sui animum illius ab ea turpitudine

pituidine auertēs ad generosiores actiones subleuabit. Itaque faciet illum athletā, qui in spectaculis, ludisque theatralibus pugnas uersetur, non sine honore et laude. Cū enim à Venere proficiantur ludi et spectacula, sunt namque uoluptatis gratia instituti, Iupiter refocillabit calore suo natū animum, quo fatus ille tamen si à Venere statuatur inter ludios theatrales, generosior in effectus Iouis aspectu, ac maiore captiua quam ut minimum saltet, certamen inibit, ut suo etiā certamine et spectatores deliniat, et gloriā populari è uoluptate sibi cōparet. Mirari autē hac ipsa nemo debet, modo sit aliqua ingenij maturitate praeditus, neque enim mirabitur, si frugiferarū naturas arbuscularū cōsiderabit. Pirus in hortis meis nata et alta fructū suū profert succo suauis et sapido. Eadē è piro alio translata planta, soli que alterius succo emutata pirū profert non modo minus suauis, uerū etiā insipidū. Rursus ab hac ipsa arbore, atque ab hoc ipso solo aliud in solū delata atque in fossa planta fructum et crassiore, et succi salstioris feret. Itaque eadē ex arbore aut generosa, aut degenerare translatae plantae pro succo atque alimenti cōmixtione diuersitateque diuersos à matre sua fructus proferunt, atque ita quidē diuersos, ut qui à matre ducti sunt generosa degenerent, et à degenerare nobilitentur, mutato et calore, sapore, et cortice. In uitibus quoque transferendis idē hoc apertius cernitur. Cuius rei uinū ipsum manifestissimā probationē ac fidē facit, quid enim uini genere uariatus? haec aut uarietas prouenit à uarietate soli, et eius in quo uitis prius nata, et eius in quod postmodū translata est. Quod terra efficit in herbis atque arboribus, an non caelum efficiet? quaeque caelo feruntur stellae, nostri seminis, generisque artifices, in uariandis hominum artibus, cogitationibus, ingenijs, disciplinis? perinde ut uariantur caetera etiam animalia, ora quoque ipsa nostra, item corporatura, sermo, mores, atque habitus, quin etiā ut uariantur oculi, quod uidemus in Sauro matris, ut nares et labra, quod uidemus in Aethiopicis, ut etiā in pedibus, femoribus, coxis, quod uidemus in gente Simantopodum, qui à pedum atque à genuum tortu acturnationeque agnominantur.

De Mercurij commixtione cum alijs planetis.

Quae lex, quaeque obseruatio est et artium, et actionum quae à Marte Venereque decernuntur, eadem est etiā in illis distribuendis, quarum author est Mercurius, et tanquam legis cuiusdam seu lator, seu promulgator. Quo circa eadē tum ratio, tum obseruatio, aut constitutio in artificijs, magisterijs, actionibus quae à Mercurio decernuntur quocumque in genere tenenda est, atque eo maiori studio, quod ingeniorū ma-

ior est diuersitas, q̄ artū sordescentiū, cū tandē artes ferē oēs ingenio
 tēperentur. quoq; ars clarior est aliqua, eo maioribus utatur ingenij
 uiribus. Est Saturni propria inquisitio et contēplatio pp̄ atræ bilis na-
 turā, de qua nō pauca quidē a nobis dicta sunt, Iouis propriae sunt
 actiones pp̄ sanguinē, qui calore suo ad agendū nos cōmouet. Tēpe-
 rationē nanq; sanguinis sequuntur non modo sensus, uerū etiā mo-
 res. Ad Venerē referenda est quæcunq; suauitas, animorūq; oblecta-
 tio, pp̄ appetitionis dominatū, quæ quidē appetitio informatae mate-
 riæ hoc est sentiētis corporis est sua. Vbi enim sensus, illic et appetitio.
 Saturnus igitur decernētī artē Mercurio assistens ingenium excitabit
 ad cōtēplanda nō solū ea quæ tanq̄ præsentia oculis exposita sunt,
 uerū etiā quæ futura. Quōcirca natus ille in somniorū quoq; obser-
 uator, illorūq; interpres atq; coniector erit. Animi enim atq; ingenij
 eius uis atræ bilis humore excita, ad hæc quoq; intelligēda penetra-
 bit, aut per coniecturā somniorū, aut puolatū & cantū auuū, aut p̄
 furorē illū fanaticū, quin ēt pp̄ multā diuturnamq; consyderationē
 ac parsimoniā, quæ Saturnini humoris ē peculiarissima, rerū itē di-
 spēsandarū optimus administrator erit, hacq; de causa dispēsandis re-
 bus, rationibusq; familiaribus a magnis et præclaris uiris natus hic
 præficietur. Si uero Iupiter tradēdis artibus, actionibusq; Mercurio
 suffragabitur, nati ipsi uersabuntur in ijs quæ rhetorū, aut iuriscon-
 sultorū sunt propria, aut sophistarū. Etenim actiones ipsæ quæ a Ioue
 suffragatore decernētur, in uerbis, in oratione, i disputatiōe potissi-
 mū uersabūtur, quæ Mercurio addicta sunt. Verba enim ipsa benefi-
 cio aëris exprimūtur, q̄ calidus ē, et humidus, qualis ē Iouis natura.
 At ubi stella Veneris Mercurio affuerit in cōferēdis artibus, nati ip-
 sius uerbis orationiq; addet suauitatē, addet lepprē et gratiā. Cultū
 quoq; splendore atq; elegantiā, et ornatū nitelā, atq; administrādis sa-
 cerdotijs ceremoniarū peritiā obseruatiāq; adiūget. Quoniā autē signa
 illa in qbus Mercuriū inueniri cōtingerit genituræ tēpore, lōge quoq;
 inter se differre continget, tū qualitate, tū significatione, ut paulo an-
 te ostensum est, uideamus primo quid cause sit, cur solida tribunal de-
 cernant aut iuris dicendi, aut pecuniariæ rationis tuendæ, aut the-
 saurorū conseruadorū, siue instituendi principis cuiuspiā, siue regij fi-
 lij, dignitatē et honus. Nimirū signa solida magnā sibi ex ipsa primū
 soliditate prærogatiuā assumūt. Solida enim oīa et stabilia sunt, &
 diutius durāt. Adhæc quatuor cū sint, corū singula regijs stellis or-
 nata sunt, quod ceterorum signorum contingit nulli. Itaq; propter
 regiā hanc dignitatē, quia regis est ius dicere, ac præesse rationibus

publicis, & pp̄ soliditatem suā, tribunal id est præfecturā in conferē-
 dis artibus decernuntur. Quia uero Mercurius rationi præest atq; o-
 rationi, præfectura ipsa futura decernitur ijs in actionibus, quæ ra-
 tione administrantur & oratione, ut est iurisdictio in populis, quæ tū
 ratione constat, tum oratione, ut quæstura, quæ pecuniarū tū exigen-
 darū, tū distribuendarū curā gerit, habetq; numerorū ac computatio-
 nis rationē, ut custodia publica ærarū, aut regie supellectilis, hæc
 enim omnia cōputatione, gubernātur ac ratione, nec non scripto, nam
 & ea scripto constant, quo & continentur & cauētur, siquidem iura
 scripto sanciunt, adhæc pecuniarū administratio, omnis deniq; cōpis-
 tatio, numerorū quoq; ac literarū inuentio a Poëtis ad Mercuriū re-
 fertur, oīs itē disciplina, omnisq; institutio. Forſan etiā signa hæc so-
 lida institutionē puerorū edocendorū decernent, aut magni alicuius
 primapis, aut principis ipsius liberorum. Mam & Gemma puerile sa-
 gnum, & item Virgo puellare docere satis possunt instituendorum lē-
 berorum prouinciam Mercurio esse decretam. Quam ob rem merito
 signi cuiusq; natura consyderanda est mathematico in omni artium
 distributione facienda. Quod si æquinoctiale signum fuerit, in quo
 Mercurius artū dator præsidebit (quia signa ipsa æquinoctialia tem-
 porū æqualitatē tanq̄ in libra suspēdunt aliqua) decernet natū illū
 ea munera, easq; actiones auctore Mercurio exercitaturū, quæ pon-
 derū ac mensurarū ius habeat. Vbi uero τροπιον fuerit signum,
 quando τροπιον ipsa commutationem in se temporū habent, artes
 quoq; decernet Mercurio, rationis, ac computationis magistro, quæ in
 commutādis, ac peregre comportandis rebus mercibusq; uersabūtur,
 quæq; artes constant p̄mutatione, emptione, uenditione, atq; commer-
 cijs. Quæ autē duplicia sunt, quæq; alio noīe dicuntur cōmunia, ac
 pleraq; hominum sunt nominibus prædita, primū indicant natos fia-
 turos ingeniosos, & agiles ad ea quæ ingenio potissimum exercentur,
 deinde, propter ipsam ingenij agilitatem, exercituros ingenium ijs
 in rebus, quæ sunt ingenij ipsius propriae. Quodq; omnes a natura
 ipsa et scire, et nosse cupimus, eodem duce Mercurio disciplinarū ma-
 gistro operā impendent nati aut ad ea studia quæ sunt medicina, cia-
 ius cognitio est rerum naturæ, & in curandis ægritudinibus eius uer-
 satur actio, aut ad studia cognoscendi iuris, ciuiliūq; constitu-
 tionum, quarum cognitionis atq; peritiæ actio uersatur omnis in
 iure dicendo, causisq; definiendis, aut in studijs epistolarum, quæ
 actiones humanas, per literas his atq; illis significant, ac tum consilia
 publica, tū secretas principū cogitationes notant, quod munus est scri-

barū et illorū qui hodie parū uetustis nominibus partim Cācellarij, partim Secretarij dicuntur, aut ad studia hæc coeli et stellarū, cuius disciplinæ actiones uersantur in prædicendis futuris, ac stellarum ipsarū decretis pronuntiandis, aut ad ea forsitan studia, quæ cognitionem afferūt haruspicinæ, auguralis, aut somniorū coniecturorum. Cuius cognitionis propriū officium est, uoces ac uolatus auium, et quæ in somnis uisa sunt interpretari atq; coniecere, eaq; consulentibus respondere. Quod aut Mars ac Mercurius accusatores, chirurgos, medicos, statuunt in actionibus definiendis, ubi ambo simul ad has statuendas conuenere, quod Mars uenūsq; myropolas, tonfores, ueneficos: quod Mercurius ac Venus poetas, musicos, cantores, tunc aperiemus, cum de ipsarum erraticarum coniunctionibus ac configurationibus differemus. Etenim ex ijs quæ stellarum copulatio aspectusq; decernunt, iudicari etiam poterit, quid societas quoq; decernendarum artium, actionumq; portendat.

De collatione signorum in dandis magisterijs.

Nec uero hac præsertim in parte omittenda duximus ea quæ à Ptolemaeo traduntur, cū de hac ipsa magisterij traditione in quarto Apotelesmatico libro præcipit, inquit enim, Signa illa per quæ fertur generatio tempore actionū distributor, non nihil pro qualitate sua actionū naturæ qualitibus conferunt. Etenim signa quibus humanū inditū est nomen, quæq; ipse ἀνθρωπότητος nominat, mirū in modū conferunt ad omnē cognitionē earū scientiarū, quæ propriæ sunt hominū, atq; ab iisdē ipsis ad cōmunē usum excogitata atq; inuenta. Signa uero quadrupedū animalū ad effodienda metalla, ad exercendā mercaturā, ad ædificandas domos, atq; ad fabriles artis sequēdas. τρωικὰ aut signa quæq; æquidialia sunt, cōmutandis mercibus, cōtractandis negotijs, agrisq; colēdis, mensuris item, rebusq; geometricis ac sacris. Terrena uero signa, et itē humida magisterijs, quæ in humidis, uel per ea quæ humidae naturæ sunt, exercentur. quim est cognoscendis herbarū naturis, atq; illarū usui, exercendis nauū fabricis, atq; ad ea quæ ad sepulturas pertinet, quæq; ad salis usum, resq; sale cōtingēdas, quæq; itē ad sapes uoluptarios ministrādos inuenta sunt, quarū rerū si suo tempore Apitius magnus fuit artifex, nō minor in nostra ætate siue magister, siue recitator fuit Bartholomæus Platyna. sed ad Ptolemæū redeamus. Maximū inquit actionū ipsarū indicium faciet Luna, cū a coitu digressa, atq; ad locū ubi Mercurius reperitur delata cū illo copulabitur. Si enim fuerit in Tauro, aut in Capricorno, aut in

Cancro, faciet augures, immolatores, q; per patinas uaticinentur. In Sagittario, aut Piscibus daemonū elicitores. In Virgine, aut Scorpio magos, astrologos, prognosticatos, quorū est sermo sit plenus grauitatis, auctoritatis atq; sententiarū. In Libra, in Ariete, in Leone numme affatos, fanaticos, quiq; tum lymphati, tum procerriti dicuntur, somniorū coniectores, exorcistas. Quæ quæ omnia diligentissime contemplanda: ac metienda esse, illud docet, quod quæ dominatū hunc suscipiūt stellæ, ubi hecæ fuerint, aut cardinales, actiones decernūt, et quæ cum auctoritate, natisq; ipsis primariū in illis locū statuūt. Occidua uero aut a cardinibus declinantes, nequaquam primarios, uerū subiectos alijs potius suis in artibus atq; actionibus illos fore annuntiant, quibus si beneficarum stellarū fulgor affuerit, eaq; in apice circuli sui effulserint, artes, actionesq; decernentur cū celebritate, lucro, laude, atq; existimatione. Sin maleficæ offuerint, cum abiectioe, indignitate, dāno, ac periculo. Si quæ impugnant Saturno, ob se gnitiē ac simulationē nocimenta ipsa obueniet, Marte uero aduersante, per pericula et publicatioes. Vtroq; autē simul impugnatē, siue ab apice atq; ab eminentia, siue ab humilitate ac deiectione circulorū suorum, euersio ac tanquā diuastatio quædam indicatur pro situ ipsorum, proq; in partē uel hecæ, uel occidua positura. Hæc itaq; atq; in hac sententiā à Ptolemaeo tradita sunt, ac minus fortasse explicata, quæ res ipsa ferebat. Si quædem facta diuisione signorum quadrupedū, post ita subdit æquidialia, ac si Aries quadrupes nō esset, subdit et signa terrestria, post factam mentionē signorum humana specie figuratorū, ac si Virgo nō esset ex horū signorum numero, aut tropicorū ē numero Capricornus, cum post adiungat signa terrestria. Quod circa desyderio quodā disciplinæ huius in apertiore atq; cōpositiore formā uindicandæ, de inexploratione cōquerimur. Quæ ob rem parti huic, quæ de artium est datore, illā etiā adiungemus, quæ ad inueniendū cognoscendūq; generaturæ dominū tota pertinet. quæ in sequenti libro præstabimus. Si enim actionū dator artes, actionesq; quas natus ipse secuturus est, indicat, et generaturæ ipsius dominus oēs tibi nati propensiones, mores quoq; omnis sic exprimet, et tanquā in pictura sua p lineamenta inuibrabit, ut facile his oibus simul nuxtis, cōsideratisq; nati animus per fenestras quasi quasdam introspiciatur. Nec uero generaturæ dominatus tribus dūtaxat erraticas pmissus est, ut artium atq; actionū, uerum etiā erraticarū cuiq; suo loco conceditur. Solē tamen ac Lunā sic excipimus, ut pote quos pudeat partis cuiuspiā patrocinium suscipere, cū uitæ totius ac fortunæ uniuersæ imperiū penes se habeant, quæq; ad corpus ac spiritū pertineant, moderentur oia.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
PETRYM SVMMONTIVM DE RE-
BVS COELESTIBVS LI-
BER OCTAVVS.

ISTE hic oculos Petre Sumonti, in hortis enim
deambulamus, nostra cum Antiniana, germenq;
illud contemplare, quod ab humo prodire iam
nititur, ut solū superiniectum tamen si tenaciuscu-
lum, passim tamen diffiderit, ut fossoris negli-
gentia aggestum etiam lapidē pedetentim tamen
subleuando propulerit. Rem profecto, ut pleraq; omnia naturæ ope-
ra, summa etiā admiratione prosequendā. Verū autem quid pilo te-
nuis? cute rursus ipsa quid densius? quam assidua tamen propu-
sione perforat res tenuis admodum atq; imbecilla. sensim increscit
herbæ, frutices, arbores, ipsaq; animantium corpora. Incrementum ta-
men ipsum nequaquā sentitur. Quid q; ut Horatius ē natura ipsa
rerum ait, fama, ut arbor quoq; æuo crescit occulto. Quid q; animus
ipse qui pueris nobis tantopere rudis atq; etiam ignarus est, paula-
tim progressimq; ita instituitur, ut ē summa ignoratione atq; in-
scitia ad summam tandem rerum perueniat cognitionem atq; scien-
tiam. Quanta uero, qualesq; progressus cognitionis fiant, itemq; scien-
tiæ singulis neq; horis neq; diebus ne ab eodem quidem percipitur ani-
mo. Res tamen ipsa, tempusq; quod interim delabitur, postmodū de-
clarant, & quæ & quales cum incrementi corporei factæ sint pro-
gressiones, tum ac multo fortasse manifestius sui ipsius animi, institu-
tionis atq; peritiæ. Quò circa temporis hæc omnia naturam sequun-
tur, quod ē momentorum, ut sic loquar, insensibilitate prolapsioneq;
tam tenui atq; impartibili profectum, pedetentim continue atq; pro-
grediendo motus omnis ita metitur, atq; in numerum redigit, ut quod
initio non sentiebatur, post tandem luce ipsa clarius appareat, cla-
ritudineq; etiam splendescat sua. Videmus, cernimus, experimur hæc
omnia in nobis quidē ipsis, ac pauca admodum quinimmo rarissimi
sunt qui ea tamen considerent. Hoc igitur maxime modo stellarum
actiones procedunt. Neq; enim earum effectus sentiuntur, donec mul-
tum iam profecerint, tamen si commotiones atq; impulsus ipsi nunquā
desinunt, quando assidue qdem, atq; insensibiliter agunt, quodq; tem-
pus aut agere, aut egisse iam uidetur, sempiternis illæ commotionibus
atq; insinuationibus suis agunt. Sentitur palam solis calor, eiusq; ap-

paret illustratio, tenebrarum tantarum expultrix. At nō apparent
ceterarum erraticarū effectiones, scilicet q; nō æquæ oēs calidæ, tan-
tq; luminis maiestate sunt præditæ, differuntq; omnino qualitates
ipsæ inter se se, ac si lucerna qdē ipsa ubi primum accensa est, tamen si
calor eius nequaquā sentitur, atrium tamen omne non irradiet, sicut
oleo lumen id pascitur, siue adipe aut aruina. Et quæuis uita ipsius ne-
stræ fundamenta in corde collocata sint, in eiusq; calore ac commo-
tione iacta, scilicet ob hoc pulmones, iecur, cerebrumq; officium suū
nequaquā faciunt. Nec uidemus oculis, nec sensu statim capimus, qua-
uia uerba per aures ad animum translata moueant illū, mouent tamē
atq; adeo qdē & mouent, et afficiunt, ut à tristitia in hilaritatem,
à metu in spem, ab ira in tranquillitatem, à duritia obstinationeq; in
facilitatem, placabilitatēq; repente transferant. qd plura? ut animum
tandē maxime scientiæ reddant, qui in initio fuerat ignoratissimus.
Sentitur qdē, naribusq; hauritur & foetidus, & suauis odor. At nō
sentitur naribus nocens illa uis aëri immixta, è qua pestilentia gi-
gnitur. Mortes uero tam uiolētæ ac penē repētinae declarant, quātū
illi ueneni insit, quantaq; ad interimendū noxa sit indita. Quid uis
lentius q; uenti, qd magis etiā repentinū, q; flatus ipsi aëri? Aspira-
tio in illa, è qua uenti fiūt, ipsiq; flatus effluunt, nullo modo, neq; in
tenebris, neq; in luce oculis cernitur. res autē ipsa procellarū tantam
illā uolentiā impetusq; demonstrat. Sed qd uetos citamus ad dicendū
testimoniū? q; nostrum obsecro sentit ubi, aut quomodo aërē attra-
hit, quē tamen attractū statim spirat, ac remittit. Quod si hæc ipsa
in nobis, nostrisq; corporibus, in cerebro, in uenis, quin et in aëre,
atq; in aquis fiūt, atq; eueniunt, et quod initio nō spiciatur, si per se
tandē euadit q; clarissimū, quātū tū solertius penetrabiliusq; tum et
insensibilius censendū est, stellas ipsas efficacissimam illā uim suā in
nobis, inferioribusq; his corporibus exercere, in illaq; illabi? Cū cor-
pora ipsa è qbus constituti sumus, sint illis prorsus obnoxia, ipsdq; à
natura pareant, nec tam à seipsis, q; à stellis moueātur, neq; enim ali-
ter rerū ipsarum natura consisteret, frustra q; fulgentissimū illi ignes
qui lumen id est uitam inferioribus his in animantibus accendūt, cœ-
lo illo quā emmentissimo, quod omnia quidē continet atq; comple-
ctitur, tanto ordine, meatibusq; tam indefessis ferrentur, ni luce sua,
suisq; radijs his ipsis uitas inspirarent, quæ quidem inspiratio nec
cernitur, nec apparet, nisi postquam res ipsæ in lucem eam, quæ ui-
ta dicitur, prodierit. Ad hæc quod semina, radicesq; præstant herba-
rum atq; arborum, quod cor, qd cerebrum, quod uerba, qd spiritus,

ut dictū est, an non coelestia præstabant semina? quæ prima quæ sunt, et a quibus hæc ipsa, quæ naturalia dicuntur semina, perpetuo etiā fouentur, ac nequa intereant, assiduis ubiq; agitationibus suggeruntur, quin etiam ab his ipsis existit seminibus, ut insensibiliter rerum fiant incrementa, perinde ut coelestium illorum corporū momenta sunt insensibilia, id quod ingenium tibi tuum Summonti, quo solertissimo præditus es, declarare melius, exactiusq; quam disputatio ulla potest nostra, penetrat enim in initio ad ea quæ nulla quidē uidentur, neq; est uestigio penetratio ipsa sentitur, post uero uires ita suas colligit, suāq; præ se fert operam, se seq; intendit adeo, ut magna atq; magnifica inde prodeant, quæ antea aut re ipsa nulla erant, aut nullo esse modo cernebantur. Quod autem ingenium tuum præstat, quod quidem tuo isto continetur tam angusto corpore, non præstabant corpora illa, tanta in maiestate constituta? quorum opera, ductu, auspicioq; geruntur quæcunq; in inferiore hoc mundi tractu fiunt, administrantur, aguntur, sempiterna cum animantium generatione, perpetuoq; rerum omnium satū. Atq; ut tuum istud ingenium, animusq; ut iste tuus commentandis, atq; efficiendis ijs, sensibus proprijs utitur. Sic ætherei illi ignes, perinde ut instrumentis quibusdam suis, suāq; materia, elementis utuntur, e quibus ipsi constamus, intra quæ, et per quæ uitam quoq; ducimus, cū aëre operiamur ipso, ac per illum spiremus, unde aër spiritus a Latinis perquam proprie dictus est, qui quidem illis ipsis quam proximus ac contiguus est, quiq; tenuitate sua et aquas ineat, et intra densissimum et terræ corpus se se per rimulas quasi quasdam insinuet. Quin etiam ueluti supra terras perlatus auras Sol agit, qua ex agitatione cuncta calfacit, hæc q; ratione et uia alia excitat, alia eliquat, ac nunc cogit, nunc relaxat, nunc durat, nunc emollit, adhæc alia decolorat, alia candificat, illa frigit, hæc contrahit, sic stellæ quoq; et ipsæ per spiritum hunc maxime, quem aërem esse diximus, in humores e quibus constamus, uim quæq; suam sensim assidueq; pro sua natura insinuantes, illos continue afficiunt, quibus affectis uisacientur illa, quæ postmodum mentem atq; animos commouent, et ad commentandū, et ad agendum, pro uia naturaq; excitantis syderis atq; humoris, ut non modo constitutiones ipsæ corporū naturas comotionesq; sequantur eas, uerū actiones etiam ipsæ illas representent, ad quas ubi ratio se se nunc ducem, nunc comitem adiunxerit, id efficitur, ut iure hominonale tantū animal et dicatur solus, et habeatur, nec sit in terris aliud quippiam, quod deorū immortalū tantam æque similitudinem aut agendo referat aut comentando. Quando animal quoq; nullū neq; cum

caelo, neq; cū stellis quæ caelo feruntur tantam omnino cognationem habeat atq; contagem. Neq; enim uerebimur Contagem appellare eā, quæ Græce est *συμπαθεια*, quam Cicero ipse contagionem uocauerit. Quæ quoniam ita se se habeant, eo libentius prosequemur quod coepimus, ut et naturas comixtionesq; stellarū explicemus, et causas simul naturales illis accomodemus, quatum ars, quantum natura rerū patitur, mostratq; diuturnior solertissimorū hominum obseruatio.

De Domino genituræ.

Eteres, ut uideo, scriptores non una uia genituræ dominum quærendū censuerunt, quem uno uerbo Græci *διογενετης* uocant. Verum alij diurnis in genituris illū genituræ totius dominatum assecutum iudicabant, in cuius finibus Sol, in nocturnis uero, cuius in finibus Luna inueniretur. Idq; ea ratione instituisse uidetur, ut cū sol ac Luna generationis auctores sint, particularē hunc dominatum stellæ illi tanquam subministra delegarent, in cuius stellæ finibus Sol ipse diurno, Luna uero nocturno inueniretur tempore. Siquidē diurnum imperium propter lucem ac calorem, qualitatisq; similitudinem esset in sortem Soli, nocturnum autem propter opacitatem, Lunæ. Alij censuerunt planetam illum genituræ dominum, qui Lunæ latitudinis esset dominus. Cū enim Luna motus sui celeritate, suisq; discursibus cæterarum stellarum affectiones a se acceptas in nostra refundat corpora, et tanquam nutritrix quædam alimenta undiq; conquirit, in genituræ dominatu stellam illam tanquam ab educatrice quædam substitui putauerunt, in cuius stellæ finibus, Lunæ ipsius latitudo inueniretur, plurimum enim referre putauerunt, sub cuius iurisdictione Lunæ latitudo in boreā, aut in austrū diuertentis esset. Alij uero, atq; in ijs Iulius Maternus, cuius apud me auctoritas tanta est, ut si scripta eius extaret integra, uix aliquid arbitrer in hac ipsa disciplina desiderandū, censuerūt erraticæ illi genituræ dominatum in sorte cedere, ad cuius statim signum Luna progredere, post per agræ signū, in quo ipsa genituræ tempore inuenta esset. Si enim in Marce genitura Luna Arietem permeabat, permeato Ariete, quæ statim cecidit in Taurū, quod signū Veneris domiciliū est, Venus Martianæ huius genituræ sibi dominatum assumit, tanq; hospitij merito a Luna concessum. Quæ in re illud mihi uidetur pene contingere, quod in re contingit rustica. Planta enim ab eo in quo nata est loco emulsa, atq; aliud in solū translata ei cedit solo, in quo post effossa succrescit, et alitur.

Luna enim ipsa tanquam editi à se foetus mater atq; alitrix sociam sibi alendo illi queritans, in cuius primum stellæ domum incedit, eam sibi stellam adiutricem & tanquam comministram deligit, cum qua labores ac curas educationis partiatur. Omnis autem coeli actio, ut admodum mirifica est, sic ex omni sibi parte quadratissime constat. Neq; enim tanta provenire atq; effic ingeniorum, applicationum, studiorum, morum diuersitas posset, nisi tanta ac tam diuersa etiam esset stellarum mixtura, atq; inter stellas ipsas inuicem uirium mutuatio. Mutuatur igitur sibi auxiliū Luna, atq; ut nouo uerbo, comministrū à domino genituræ, genituræ autem dominus à domino finū, in quibus ipse inuenitur, et à domino item signi, rursum signi ac finū domini à stellis, à quibus aspiciuntur, uel in quorum errant finibus, atq; à locis etiam ipsis in quibus constituti sunt, à coniunctionibus iū, atq; à conditione diurna seu nocturna, à culminatione, atq; eminentia orbiculi sui, ab incessu, statu, regressu, à regione matutina seu uespertina, à signorum qualitatibus ac proprietatibus, quæ quidem ipsa tantarum sunt uirium, ut ex his atq; ab his ingeniorum nostrorum uarietas omnis proveniat. Quò circa genituræ domini idem mihi ius uidetur esse in nati uita, quod gubernatoris in nauis, ipsaq; in nauigatione, quando ab illius gubernatione quæ in mari geruntur omnia, ac pro clauis cui assistit moderatione regulā ac legem accipiunt. Siquidē ministri ipsi data ab illo signa, iussaq; ab eodē operas obcedunt in ministerijs et sequuntur, et exhibent, neq; ab illius moderatione ac prescriptis recedunt. Felicē itaq; aut infelicem constitutionē genituræ domini aliæ quoq; stellæ in uirāq; seu felicitatis seu infelicitatis partem adiuant, atq; adeo quodē constanter adiuant, ut bene ipse ac pro auctoritate sua collocatus annos uitæ à se distribuendos, integros quodē nato illi impartiat. Pro qualitate igitur collocationis atq; configurationis suæ cum stellis alijs, proq; natura & sua & stellarum, à quibus uel fouetur, uel impugnatur, ac signi per quod fertur, & signi eius, ac finium domini, quid nato obuenturum sit in totius uitæ decursu per seriem decernit. Iurēq; in prædicendis nati moribus atq; euentus, genituræ dominus in primis obseruandus est, quem ea de qua ultimo loco dixi ratione facile inuenies. Illud uero prætereū dum nō est, Lunam è signo quod peragrat natali die si in Cancrū domum suam, aut in Leonem Solis hospitium statim pertranseat, nequaquā aut ipsam patrociniū genituræ suscepturam, aut Solem propter hospitium. Dediignantur enim cum generationis uitæ, animalitatisq; authores sint, ad particulare ministerium, ac famulatum quasi que-

dam tanto è gradu descendere, quam ob rem quod post Leonem in uirginem transitura statim est, Mercurium signi eius domum in genituræ domum Luna substituet. Quid igitur singulæ erraticæ genituræ domum noctæ decreturæ sint, singillatim ordine suo explicabimus.

De Saturno genituræ domino.

Notam quidē uitam metiri, ni fallor, trifariam oportet, & per ea quæ ad corporis texturam pertinent, & per ea quæ ad animum ac mores, quæq; etiā ad fortunæ, ac rerum euenta spectant. Bona enim hominum omnia aut corporis sunt, aut animi, aut fortunæ, dicunturq; externa. Horum autem omnium genituræ dominus denuntiator erit, pro natura, collocatione, & configuratione ad alias stellas suā, proq; signorum etiam peculiariter attributa cuiq; uis ac natura, in primisq; pro humorum quibus præsent, temperatione ac mixtura. Saturnus igitur hac ratione & uia traditum sibi à Luna genituræ domum accipiens, primum in concernendo corpore, tamen ad hanc concretionem plurimum qualitas parentum confert, multis illud ac uitiosis humoribus uexabit, præsertim ubi nocturna genitura fuerit, Lunaq; imminuto lumine ad illum feretur, quæ è re & pallor multus sequetur, & corporis ipsius non parua debilitas, quod quidem et modicum erit, & propter latentium humorum defluxionem, imbecillum ac ualitudinarium. Quinetiam natus ipse uentre, stomachoq; multum laborauit atq; intestinorum doloribus. Ob hanc autem ipsam occultorum humorum defluxionem et copiam, uitiato magna è parte corpore, generari tandē consuevit hydrops, et quæ aqua inter cetera dicitur, aut podagra, morbusq; articularis, aut qui tumulgo caducus, tum comitialis uocatur, aut laterum dolor, aut nervorum distentio, aut pulmonum uitium, aut longæ, grauesq; ualitudines, quæ natum cōficiant, morbi autem, ægritudinesq; quarum Saturnus auctor est, plerūq; ab atra bile originem ducunt, quanquā non raro etiā à pituita. Nec uero his ab humoribus oculi tuti erunt, nā & suffusionibus, lippitudineq; sæpius offendetur, et ubi uis maior in grue rit, forte etiam illis capientur. Caput quoq; non solum doloribus infestabitur, uerū etiā aut caluitio, aut depilatione afficietur. Hæc autem uitia magna è parte minuentur, ubi in tradendo domum Luna crescenti ad Saturnum feretur lumine, quippe cum Saturnus ipse crescentis Lune familiaritate lætetur, ab eiusq; humore tepesfacto iā de Solis irradiatione refocilletur, atraq; illa bilis, cui præest, non exiguū adiuuentū ab hac ipsa Lunæ irrigatione accipiat, ne frigore, ariditateq;

nimia occupetur. Minuentur etiam morbi, sanabunturque ægritudines, ubi aspectus beneficarum stellarum opportuno è loco opem attulerit. Contra mala ipsa miserum in modum cumulabuntur, ubi malefica, hostilisque irradiatio Saturnum percusserit. Ea deinde quæ ad mores atque animum pertinent, ita quidem à Saturno suppeditabuntur, ut à natura stellæ humorisque minime recessura sint. Cum enim Saturno seniles mores insint multaque; ipse tarditate atque circumspectione sit præditus, nati commotiones, animique eius applicationes ac studia naturam hanc sequentur. Quam ob rem natus ipse futurus est probus, grauis, cunctabundus abstinent, parcus, prudens, graui consilio, bona fide, recto iudicio, multa uariisque cognitione gaudebit solitudine, sibi que, suæque rei tantum uacabit. sua consilia, suasque actiones libenter celabit namque taciturnus erit, et sua secreta ut lateant alios studebit iram continebit in pectore, ac uindictæ tempus expectabit simulare ac dissimulare aptus. sollicitabitur uariis atque assiduis curis, mentemque ubique cogitationibus occupabit. quo circa et tristis erit, et à risu letitiaque; alienus, difficilis, morosus, auidus, potui quam cibo indulgentior, cuius denique uita laboriosior semper erit, grauiusque erunt affecta. Nec uero Aristoteles atræ huic bili frustra tantum attribuit, siquidem pro temperatura frigidi, aut calidi, ac perinde uim hanc quam in illam qualitatem uehementius propendet, mores quoque ingenerat. ubi enim frigidior est, animum formidine multa concuti, calefactior uero securitate ac robore munit, atque ut humor hic naturaliter tristitiam gignit, sic aliquando pro temperatura atque admixtione, musicæ atque cantilenarum studium ingenerat. Cum enim uita nostra calido ita consistat, ut frigido temperetur, atque inde uita conseruetur, bilis hæc atra per corpus ipsum diffusa ita se tum frigori, tum calori insinuat, nunc plus nunc minus, ut pro mixtura frigidi, aut calidi, alteriusque; aut utriusque; illorum temperatura ad uarios mores applicationesque diuertat. Harum autem temperationum, ac mixturarum princeps causa Saturnus est, perinde namque humorem suum et miscet et temperat, atque ab erraticis ipsis conspectus est, itemque uti à signo in quo fertur, et ab eius ac finium dominus afficitur. Si enim Luna crescens ad Saturnum fertur, quo tempore genituræ illi præficiat, natum efficit honoris cupidum, animumque eius eriget atque efferet, elatumque inflabit adeo, ut superbus admodum insolensque euadat. Luna enim crescens (ut diximus) ac præsertim ubi ad plenitudinem accedit, non solum abundat humido, quo Saturni humectare ariditatem queat, uerum quia tepescit iam à Sole multum irradiata, frigescentis illius uires magnopere refocillat.

refocillat. Atqui, ut ante à nobis dictum est, bilis atræ uis ubi conualuit, flatum multum excitat, spiritusque uehementiores facit, quo circa animi inflationem, et superbiam, et honoris appetitionem Saturnus Lunæ sic commixtus ingenerat. Contra ubi Luna decrescens quædem, atque imminuto iam lumine ad Saturnum fertur, quia frigiditate, atque siccitate sua Saturni frigus ariditatemque; quodammodo obtorpescat, atraque; illa bilis refrigescit admodum, qui hoc in statu in lucem uenit, futurus est sordidus, abiectus, despicibilis, atque in assiduo fere luctu, squaloreque; uersabitur, atque eo magis si Saturnus ipse à Luna conuentus fuerit, uel in sua Lunæ ipsius domo, uel Martis in domicilio aut finibus. Quod si in Mercurij domo, aut finibus hæc contigerint, atra illa bilis afficietur adeo permixtione ab hac, Saturnusque; perinde ut peste quadam infectus ita ægrotabit, ut nati illius animi peruersis, ac maxime corruptis moribus, applicationibusque; insiciat, quippe qui futurus est periurus, maleficus, uenenarius, quique; parentes, fratres, cognatos hostili etiam animo infectetur. Profecturæ autem è bonis humorum commotionibus uirtutes, rectisque; è propensionibus mirum in modum augebuntur. E malis uero ac perniciosis prouentura mitigabuntur uitia, quoties beneficarum stellarum aspectus opportuno ac beneuolo è loco decernentem hæc Saturnum radijs suis inhibuerint. Tertio autem loco, quoniam de fortunæ bonis ratio habenda est, si genituræ gubernaculum accipienti Saturno, opportunoque; in loco collocato, opportuno etiam ac felici è loco beneficæ stellæ suffragum contulerint, sitque; diurna genitura, quoniam die Saturnus gaudet, perinde ut atra bilis refocillatione caloris, ipse uero aut sua in domo, suis uel in finibus, aut in Solis hospicio, aut in domo, aut finibus Iouis collocatus fuerit, quoniam atra bilis et quod nigrum fel à quibusdam etiam doctis uiris uocari uideo, sanguinis hoc est humidum calidumque; admixtione uehementer gaudet, ipseque; Lunæ (ut dictum est) augetis societate lætatur, natus ille futurus est nobilis, præclarisque; in actionibus ac negotijs uersabitur, honores, dignitates, magistratusque; eos consecuturus, quos signa, loca, signorumque; ipsorum domini, eorumque; configurationes pollicebuntur. Quæ quidem in parte exacte ad amissumque; tractanda, mathematicum ipsum non minori solertia prudentiaque; uti uolumus, quam in ægritudine curanda, morbisque; sanandis, ut sæpius à me dictum est, medicum, atque eo magis, quod medicus mathematici opera consilioque; adiuuari plurimum potest. Generaliter autem Saturnus ab uxore, ac liberis, nati animum propter frigus hoc est lentitudinem, tristitiam, remissionem, sanguinisque; ipsius relaxatum

habitu ab alienat. Itaq; nec alienum ab eius stella est qđ fertur in fabulis, Saturnum filios uorare solitum, proptereaq; Cybelen uxorem mentiri solitam, lapides se esse enixam. Vitę autem subsidia aut humidis ē ministerijs, aut aquosis in locis Saturnus suppeditat, ac quodcunq; præstat, magnum per laborem, nec nisi difficulter præstat.

De Ioue geniturę domino.

Iupiter geniturę dominatum sortitus, si diurna genitura fuerit, Lunaq; luminosa, nati corpus moderata admodum compage formabit, nam & multo illud irrorabit sanguine, & membra decora compositione disponet, faciem quoq; honestis oculis, & caput multo capillo adornabit, candorem per totum etiam corpus diffundet, quin pedum quoq; incessum digna quadam motus compositione nobilitabit. Decorum hunc corporis totius statum comutabitur nitida quaedam mundities, atq; ab ipso Ioue gestus magna cum dignitate concessus. Ipsam autem corporis tam honestam fabricam dignę quoq; fabricę corporis, animi proclinationes sequentur, quales natura quidem ipsa sanguinis mouet. Siquidem natus ille cuius Iupiter patrociniū suscepit, magno erit animo, magna etiam honorum appetitione, laudis quoq; ac glorię permulto ducetur studio, apud quem fides, rectitudo, integritas primę semper futurę sunt. Idem erit amator honesti, defensor æqui, publici item boni procurator & author. cum amplis ac primarijs uiris conuersabitur, eiusq; consuetudo ubiq; probabitur. simplicitatem colet, amicitiam seruabit, beneficentiam promiscue exercebit. idem erit in agendo efficax, in præcipiendo imperiosus, in iudicando relictus, ac supra generis, maiorumq; facultates seq; resq; suas ostentabit. uxorem uero ac liberos incomparabili affectione complectetur. Nam & Iupiter propter sanguinem prolis est cupientissimus, quando generatio ex humido calidoq; fit, & uxor prolis causa ducitur, nuptiæq; huius rei gratia comparatę sunt. Hęc autem, ut diximus, animorum propensiones sanguinem sequuntur sanguinisq; temperationem, quem Iupiter pro sua erga stellas alias configuratione moderatur. Quocirca si in obeundo geniturę magistratu Iupiter in primis cœli cardinibus, in signo suo, suis uel in finibus, aut in altitudine sua collocatus fuerit, aut in domo solis, seu in solis altitudine, cuius diurnam conditionem sequitur, sitq; genitura ipsa diurna, Lunaq; luminosa ad Iouem ipsum feratur, nec aut ipse aut Luna maleficarum stellarum aduerso infestetur optutu, nati illius summa prorsus felicitas

futura decernitur, omniq; e parte consumata, nam & qđ ipse cupierit, e sententia consequetur, & fortuna illi fidelis constansq; futura est, & uitę a Ioue decretos annos integros explebit, & in liberis usq; adeo fortunabitur, ut illorum etiam meritis ac uirtutibus domesticus honor accrescat. Contra hęc ipsa prorsus irritabuntur, aut ex parte plus minus uel minuentur, si Iupiter aut infeliciter omnino collocabitur, aut ex parte, quęcunq; ea sit, dignitas eius maiestasq; minuetur. Naturaliter autem Iupiter natum cuius geniturę curam suscepit, multis animi dotibus adornabit, honestas & generosas uisionum formas eius in pectore exuscitabit, exuscitatas animo repręsentabit, multa deniq; commendatione ac laude mores eius, actionesq; prosequetur. Quas ob res idem mihi de Ioue propter sanguinem dicendum uidetur, ac sentiendum, qđ de uerno quidem tempore, qua in anni parte & humidum calido moderatissime consentit, & noctes item concedunt diebus. qua etiam tempestate uenti genitales sunt, flatusq; maxime temperati spirant, ac terra, aer, aqua amabili quadam temperatione & fouentur inuicem, & conaliantur.

De Marte geniturę domino.

Ignem tradit Aristoteles nihil penitus ex se gignere, quamuis idem ipse sit author, minutissima quaedam animalia, ut e nue uermiculos quosdam, ærarijs in fornacibus Cypri, in quibus Chalcites lapis excoquitur, enasci, eaq; extra ignem minime uiuere. Ex eo autem Romani Vestam eandem & ignis deam & uirginitatis putauere. Igitur ut ab uisitatione illum atq; ab efferuescentia maiores nostri sterilem esse arbitrati sunt, sic calorem e contrario, qđ tepesceret, qđ etiam foueret, fecundum, nec generationis solum, uerum etiam alimentarię decoctionis authorem dixere. Hic itaq; ipse ignis incendio demum suo conflagrata cuncta conficit, atq; in cinerem redigit ac carbones. At calor propter moderationem & gignit, & quę genita sunt, educit, atq; conseruat, concoquendo alimenta, sparsimq; per uenas & corpus digerendo ea, eandemq; etiam ob moderationem actiones et ipsas hominum ac mores temperat, quantum nanq; ad feruorem a calore propius acceditur, tanto longius a moderatione receditur. De remissione enim caloris fit tepor ille moderatus & frugi, secus atq; de inflammatione incendiū raptum cuncta exedens atq; conficiens. Cum itaq; Mars ob insitum feruorē sit intemperatior, quoties geniturę cuiuspiā dominatū accipit, & corpus, corporisq; compagne, et mores qđ compagne ipsam corporis, humorūq; sequitur admixtionē, mode-

vari non nisi intemperanter potest. Quid enim à nimio calore, qui iam efferbuit, ac suapte natura urendo cuncta conficit, sperari aut expectari nisi immoderatum, breuiq; interiturum potest? præsertim si Luna quo tempore dominatum Marti permittit, luminosa, atq; eo magis si plena fuerit. Quo circa nati illius corpus nimio è calore feruescet, ac sanguine feruentius accenso multis ægritudinibus ac uitijs subiectum erit, quæ de sanguinis inflammatione generantur. Ac nihilominus corpus ipsum exteriore uel aut igni, aut ferro illata uita-bitur. Erit hominis eius uultus trux, oculi foedi, ac sanguinolenti, capillus rufus, color ignitus, stomachus ualentior, quiq; multum etiam à bum facile concoquat, sermo arrogans, impetus uolentior, quæq; alia uel affectiones uel uita inflammato è sanguine proficiunt, eum infestabunt. uitiosum intemperantemq; hunc corporis humorem propensionem primo ac titillationem illæ, quæ ab humore sensibusq; excitantur, similes deinde actiones ac mores subsequenter. Quo fit, ut natus ille futurus sit asper, inclemens, inexorabilis. Ira enim, sanguinisq; exardescencia illa quæ iram gignit ac uindicandi libido nihil illum sequi placabile aut suadet, aut patitur. Erit etiam impatiens, nec potestati alterius subijci sponte uolet, quin primas ubiq; partis, primumq; sibi occupare locum, primos etiam ciuitatis honores iure inuiriq; contendet. Atq; hac de causa erit contentiosus, diuini atq; humani iuris contemptor, præposteris consilijs, atq; actionibus, cupiditate insatiabili, manu rapaci & prompta, audacia perdita, animo uolento, atq; imperioso, mente præcipiti, quiq; & periculis temere se obiectet, et facile capiatur, et propositum sæpe mutet. In tanta enim sanguinis ebullitione & æstu nullam retinere moderationem poterit, non in motu corporis, non in uerbis, non in ipso uultu, ut etiam in uini usu ac ueneris sit non modo intemperatus, uerum etiam bestiarum, quàm hominum simlior. Deniq; non quam debet aduersus amicos, uxorem, liberos affectionem exhibebit. Felix tamen tum Iouis, tum ueneris ad Martem figuratio, præsertim ubi is in Iouis finibus confutatus fuerit, hanc ipsam intemperantiam, immodestiamq; non exigua è parte mitigabit, perinde ut in austeriori uino usuuenit, si aqua illud diluas. austeritas enim illa aut extinguetur ab aquæ dilutione pernitus, aut uehementer sedabitur. Eiusmodi autem est erraticarum commixtio inter se, ipsiusq; commixtionis natura, qualis uini atq; aquæ. Ipsa quoq; morum atq; humorum mitigatio tanto maior futura est, si Luna quoq; in beneficæ stellæ finibus inuenta fuerit, & ab ipsi beneficiæ amice conspecta. Iulius Maternus ir adit futurum natum il-

Lum ducentem

lum ducentem exercitus, maximis copijs, plurimis etiam populis imperaturum, summaq; potestate ac licetia functurum, in cuius nocturna genitura Mars in Saturni Iouis uel aut domo, aut finibus, aut in sua ipsius domo finibus uel inuenta fuerit aut culminans in medio, aut horoscopas in ortu, aut undecimū, seu quintum locum possidēs, Lunaq; ipsa dominatum exhibens deficienti fuerit lumine, Marteq; ipsum deficientem aspexerit, Iouiq; cardinem aliquem tenenti triangulari se familiaritate coniunxerit. Ac nihilominus in hac ipsa tam feliciorum mxtura si Mars in occasu collocabitur, post multas uictorias, propagatumq; imperium natus ille uolenta morte periturus est, pro natura tamen signi illius quod Mars ipse tenuerit. Tanta autem Martis intemperantia in nati etiam uita actionibusq; manifestissime ostendetur, nam & ruinis, casibusq; præcipitosis illum obijcet, & aut gladio instiget uulnera, aut partem aliquam corporis franget, præadet uel, aut igne ustilabit, quin etiam rei familiari, partisq; diuitijs, aut uel hostili, aut incendio, aut furto incomodabit. mortē quoq; uix tandem nisi uolentam decernit, præsertim si aut à Sole, aut à Luna ad hoc ipsum instigabitur, Nam aut laniandum feris obijcet, aut iugulandum latronibus, aut plectendum prætoribus, aut hosti trucidandum, aut repentina saltem morte conficit. Luna autem crescens ac luminosa Martis improbitatem mirifice auget, deficienti uero lenit, secus ac de Saturno diximus. Nec ratione quidem caret, Luna enim crescens ac luminosa redditur à Solis irradiatione calidior, quo circa Martis rabiem magis magisq; irritat, atq; accendit, deficienti uero atq; immixta luce, quoniam refrigeratur, & abunde humecta est, temperamentum feruori illius affert, ut cū æstu laborantes ora, manusq; frigida multa perluimus. Vniuersim autem quæ à Marte portenduntur siue prospera, siue aduersa, siue bona, siue mala, per uim, cædem, rapinam, ferrum, incendia, ruinas portenduntur, mores item intolerabiles, consuetudoq; parum fidelis, aut male probata.

De uenere cum fuerit genitura domina.

Si uocis humanæ, de qua oratio nostra prodit, uarietatem considerabimus, quantaq; hominis cuiusq; in uocali sono differentia insit, cum per uocem non minus quàm per faciem aliū ab alio interno scamus, mirari profecto desinemus, tantam etiam humorum mxturis, atq; ex eo humanis moribus, affectionibusq; diuersitatem inesse, quæ si moribus ipsis inest, ut etiam humoribus insit, necesse est. Sunt autem humores ipsi uariabiles, atq; inuicē conuertibiles, perinde ut elementa. conuer-

FFF

siones autem non sine augmento alterius partis, alteriusq; detrimento contingunt. Augmenta quoq; ac diminutiones sua pro quantitate ita variant, dū uel additur quippiam, uel demitur, ut omnino difficillima sit differentia, uarietatisq; huius cognitio, eamq; ob causam mixturarum ē quibus uarietas hęc prouenit, quędam penē efficitur, per inde ut quidem est infinitudo. Quod si fructuum, qui ex arboribus proueniunt, diuersitas tanta est, in saporibus, propter terreni succi diuersitatem, Solisq; concoctionem, quid mirum ē hanc, & maiorem quoq; diuersitatem a celo, quęq; a celo agitantur stellis, eorū quę celesti a motu generantur, fieri? Quoniam autem de humoribus, qui a Saturno, Ioue, Marte excitantur, deq; illorum mixturis, quantum hac in parte satis uisum est, diximus, de Venere iam dicamus, ubi generatur alicuius domina effecta fuerit. Venere autem, ut nō semel iam diximus, natura benefica est, quemadmodum etiam Iouis. Atq; ut illa Soli in generatione sumministrat ad informandā materiam, sic hęc Lunę ad suppeditandam illam formęq; accipiendę accommodadā. Suggestur autē a Venere succus, ut ita loquar, humectus ac frigidulus, ita tamen humectus, ut irroret magis quā mada faciat, sequaturq; roris potius naturam, quā hymbrium, ita etiam frigidus, ut facillime in tepeſcat. Siquidem tepor quā feruor generationi est accommodatior, ac suapte natura magis aptus, unde rerū harū terrestriū prouentus uere sit, pp teporem, non autē æstate, dū ob feruorē penē areſcunt, atq; exuruntur in agris cuncta. Genitura igitur Venus domina iū nacta corporis nati fabricā, nequāq; negligit, nā & illud producit, pp humoris ubertatem, et candore suo honestat, Adhęc oculis lætitiā inspirat, ac uenustatē, propter naturā Syderis, quod fulgentissimū est, suoq; fulgore lætitiā quasi quandam intuentibus affert capillo etiā multo caput integit, illumq; uenuste ac molli ter flectit. Stomacho ita munis (est enim appetitionis excitatrix) ut facile abi genus omne concoquat, gignendę proli, generiq; propagando multam cupiditatem, multum etiam semen suggerit, potus uero q; abi appetitum maiore excitat, humidis enim magis delectatur. Siqua uita corpus infestatur sunt, ea naturalibus i partibus, qbus præst, potius apparebunt, mortes uero naturales quidem futurę, eęq; non sine commendatione & gloria, propter naturę beneficentiam. Implebit autem natus ipse integrū annorū numerum, si Venus in suscipiēdo geniturę patrociniō feliciter collocata fuerit, neq; a maleficis stellis ulla ratione irradiata. Mores autem ac simulacra illa, quę animo ab humoribus ac sensibus offeruntur, naturam ipsam sequen-

tur humorum. Siquidem nati commotiones hilares, iucundę, ac uoluptarię futurę sunt, itemq; delicis, luxui, rebusq; amatoris, ac uoluptarijs uacaturę. Beneficentiā natus hic colet, amicisq; studebit, quorum erit obseruantissimus, pp pietatem, iustitiā, misericordiā, religionem a natura insitam. gratus erit omnibus, ac publice diligetur. quę enim comunē in usum, ac publicū conferuntur in bonum, ea populos mirifice delectant. abhorrebit a turpibus ac sordidis, capietur munditijs, leporibus, cultu, ornatu, nitore, elegantia. In uniuersumq; uita eius uersabitur in ijs, quę lætitiā ac uoluptatem afferant, Venerisq; in rebus, ac præsertim musicis occupabitur. Pro natura tamen signi, in quo Venus ipsa feretur geniturę tempore. Felicitas autem nato maxima promittitur, quoties Venus geniturę tempore feliciter collocabitur. Itaq; neutiq; pigebit hac in parte ea referre, quę a Iulio Macrobio traduntur. Etenim si Venus in medio cœli, aut in horoscopo, aut in quinto, undecimo uel loco inuenta fuerit, atq; in domo, altitudine, finibus uel suis, & a deficiente Luna dominatū acceperit, fueritq; a Ioue triangulari radiatione perspecta, aut Luna immutato lumine ad Venere feratur, Saturno nullū testimoniū perhibente, decernit dignitates maximas, utputa præfecturas, præturas, fasces, consulare imperiū. Quō circa primarijs in locis collocata claros atq; illustres eos reddidit, quorū geniturę patrociniū suscepit, In locis uero deiectis musicę studiosos faciet. Quod si Venere deiectis in locis mœrentē Saturnus cardinaliter pufferit, Lunęq; ad Saturnū feratur immutato lumine, aut ad Martē luminosa, natorū animos impurę, illicitęq; libidinis cupiditate foedabit, assiduisq; calamitatibus illos afficiet. Perversę uero Saturni Martisq; comixtiones, et itē Lunę, beneficę prorsus Venere naturę, peruertunt, munditięq; eius corrumpunt, & corpori, & animo, fortunę quoq; rebus labē maximā afferunt. Consuevit autē bene collocata inter cetera bona, prolis quoq; foecunditatē impartiri, magnāq; ē filiabus præsertim lætitiā afferre. Optandū autē ē in mari genituris, uti Venere stella matutina sit, in foemellarum uero, ut uespertina. cum sit foemineus animus emolliendus, uirilil uero magis ac magis generositate adornandus.

De Mercurio geniturę domino.

Mercurius geniturę patrociniū assecutus, gracile nati corpus efficit, illudq; etiam pallore inficiet, propter nigri fellis naturam, honestabit tamen faciē oculorum pulchritudine ob solarem familiaritatem, mores autē ob abi, potusq; temperantiā commendabilis faciet. Quādo

ingenio quàm corpori Mercurius vires maiores sufficit. Quia uero nati corpus atra bile magnopere insperget, eaq; suscipiendo calori admodum parata est, natus ipse ingeniosus, facundus, et cordatus erit, condiscendisq; scientijs deditus. Ac mihi quidem atra bilis, qua Mercuriales uiri multa abundant, nõ alia natura prædita uidetur, q̄ ea, quæ hodie a rusticis esca dicitur, admota enim scintillis percussio est silice excusis, ignem è uestigio concipit, sensimq; diffundit, ac diffusum diu-
tissimo fouet. Quo circa Mercuriales uiri et libèter, et facile discunt, & ad quæ contendunt, ad ea proprijs ingenij uiribus perueniunt. Inest autem eorum ingenijs mira sciendi cupiditas, propter humoris naturam, mirum secretarum rerum cognoscendarum studium. siquidem sciendi cupiditate sæpenumero publicas à negotijs abstinent, sibi tantum uacantes. pleriq; autem solertes sunt ac negotiosi, commerciaq; summa cū fide tractant. ydē amicitijs dant operã, quas constantissime etiam seruant. Est enim rationis propriū, cui Mercurius præest, tueri ac conseruare quæ sibi quisq; iam parauerit, eaq; parare sibi uelle, quæ maxime uideatur profutura. Quid autē amicitia utilius? quid etiã conseruari dignius? Fratres, cognatosq; summa beneuolentia complectentur, iustitiam colent, religionibus ita dediti, ut non nihil etiã superstitione peccent. Frugi uero admodum, atq; utiles erūt. Quarum quidem affectionum, ac uirtutum ratio ipsa magistra est, ut pote morum nostrorum optima institutrix. Eorū autē census resq; familiaris plerūq; ex literis, ac literarū opera cõparabitur. Quin etiam propter eloquentiam, ac consilium (nam & rationis, & orationis formator est Mercurius) assequentur honores ac magistratus, fungenturq; legationibus, ac publicè tractabunt munera, pro natura tamen signi, in quo Mercurius genituræ tempore compertus fuerit. Aspectus quoq; aliarum stellarum ad eum alios impellit ad Poeticæ studia sequenda, alios ad aduocationes exercendas, alios ad naturales causas inquirendas, alios ad has, aut illas disciplinas adipiscendas. ut in uniuersum quidem Mercuriales ipsi ingenium exerceant, euadantq; in literis, ac disciplinis clari, Quorum etiam ægritudines, quæ corpori accidunt, plerunq; è coactis contingant humoribus, quorum etiam uitio diem illi tandem obeant. Quia uero Mars, Venus, ac Mercurius artis etiam natorum, actionesq; dispensant, quoties contingat, eorum aliquem & artis decernere, & genituram simul moderari, duplicata magistratus authoritate, uiribus eo pollentioribus utetur in utranq; felicitatis, aut infelicitatis partem, atq; in utriusq; fortunæ euentum.

De Sole & Luna circa dominatum genituræ.

Quoniam autem principia generationis, & causæ ad Solem referuntur ac Lunam, quæq; ad corpus spiritumq; id est ad uitam atq; animalitatem spectant omnia, non est hac in parte negligendum, quid sol, quid Luna à genituræ domino in socios asciti familiaritate etiã sua conferant. Etenim licet uitæ totius auctores sint, licet cuncta moueant, moderenturq; quæ ad corpus, ac spiritum pertinent, sæpenumero tamen genituræ curã singulari quodã studio cum domino ipso suscipiunt, idq; hospitij iure, cum Sol, Luna uel in signo, sinibus uel patrocinatoris constiterit genituræ tempore, aut felici illi radiatione intuebuntur. E communicatione enim seu finium, seu domicili, atq; ex familiari illa irradiatione, familiari etiam cura magis magisq; erga dominum afficiuntur. Quo circa decreta ab illo bona, longe ampliora reddent ac maiora. Sol igitur socius & tanquam adiutor (ut ita dixerim) dominatus illius effectus, quoniã ab eo ratio quaeritur (ut supra à nobis disputatum est) natum illum ratione multa adornabit, quam ob rem & sapiens, & religiosus erit, multaq; tum fide, tum æquitate præditus, magna item moderatione, humanitate, continetia. Ratione enim duce actiones ubiq; suas moderabitur. Præcipua uero erga patrem ueneratione utetur atq; obsequijs. Siquidem Sol in generatione patris locum obtinet. Quo circa nati etiam ipsius corpus non solum bene, uerum etiam pulchre formatum ac constitutum erit. caput flauo adornabitur capillo, huius enim Sol ipse coloris est auctor. Sol autem (nomen enim inde accepit, quod die stellarum omnium solus id est unus appareat) robur elationemq; eam nati animo insigat, atq; indit, ut propria uirtute honores, censumq; sibi comparet, proprijsq; uiribus ad omnia peragenda nitatur. Siqua uero uitia ex hac Solis societate corpori obuentura sunt, ea in oculis potissimum accidunt. Lux enim à Sole manat, quæ oculis ipsis est ingenita. pericula uero ab igne proficiunt, at ualitudines de nimio calore, per uenas ac corpus diffuso. Luna quoq; ut socia, particepsq; patrocinij iam suscepti partis è suis aduersus natum illum minime deseret, ac tametsi in disponendo corpore signi quoq; naturã sequitur, in corporis statum longiusculum faciet, propter insitam humiditatem. humidis enim in locis, q̄ in siccis arbores proceriores proueniunt. quin etiam corpus ipsum pulchritudine membrorū, candoreq; honestabit, illudq; ita afficiet, ut cibo non nisi multo, potu uero pmodico contentum sit. Siqua item uitia in nati corpore ex hac communicatione prouentura sunt, ea in oculis similiter proueniunt, si

quidem nocturnæ lucis subministra est Luna. Corpus autem ipsam in parte eius aliqua aut noxijs inficiet maculis, aut scabie, forsitan et lepra totum occupabit, aut noxiorum humorum defluxione, omni e parte infirmum illud ac tremulum reddet, aut membrum aliquod debilitabit, aut peste demum conficiet. Erit autem natus ipse honoratus, splendidus, compositus, quique agendis in rebus multo ordine, multaque ubique mensura utatur, Matri autem maxime indulget, suumque quacunq; poterit ratione illi prestabit officium. Luna enim in generatione vicem genitricis obtinet. Fortuna vero nati varia futura est atque inconstans. Quid enim Lunæ motu variantius? Itaque natus ipse nunc diuitijs abundabit, nunc rursus laborabit inopia, ut actiones, resque eius nunquam eodem sine in statu permanfuræ.

De quadam generali præceptione.

In omni autem peruestigatione illud præcipue animaduertendum est, in rebus quidem plurimis, ne dicam plerisque, inesse natura ab ipsa secretiora quædam, ad quæ humanum penetrare ingenium nullo modo valeat. Etenim siue partes, siue mixturæ, siue insitæ quædam rebus ipsis uires, potestatesque eiusmodi quidem sunt, ut non solum ingenio comprehendere nequaquam sint, uerum sint omnino incomprehensibiles, propter caliginosam generationem ipsam uidentur, causarumque ac permixtionum tenuissimam subtilitatem. Cuius rei diuulgatissimum extat exemplum magnes in atrahendo ferro. Memoriam quoque proditum est Antipatrum Poetam, qui diutius etiam uixisset, satisque ad longam peruenisset senectam, singulis annis, quo die natus esset, a febre correptum, tandemque eodem ipso natali die, eadem etiam febre mortuum. Vidus Thrasimenum, Grammaticum apprimè excultus, qua tempestate illum audiebam, narrare solebat, grauiterque et queri, se supra quatuor ac uiginti annos quartana continenter laborasse, etsi continentissimus erat moribus, summaque sobrietate. Itaque in his ipsis de quibus differimus, quorumque causas exquirimus, nequaquam omni e parte humores ipsi e quibus constat, ita quidem exprimi sunt, de quibus illorum qualitatibus, naturis, permixtionibusque ratio sic habenda est, ut non quod in herbis facimus, in lapidibus, gemis, itemque in fontibus, atque aquis, rebusque item alijs, obseruemus et in stellarum naturis, uiribus, affectionibus, proprietatibus, insitisque, ut sic loquar, a natura uirtutibus. Quarum quidem rerum effectus ipsi sint testes, operaque oculis ipsis exposita, adhuc plurimorum seculorum continuata observatio, ipsius item observationis uigilantissima diligentia et cura.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD

A. COLOTIVM BASSVM DE RE

BVS COELESTIBVS LI-

BER NONVS.

CEANVM qui primi philosophati sunt A. Coloti, rerum omnium parentem dixere, principia generationis ad illum referentes. Arbitrabantur enim aquas, humidumque omne originem ab illo ducere, atque ab humido manare generationem. In ipsam autem generationem perinde ac in oceanum flumina, aerem rebantur insuere, qua parte humidus esset atque irriguus, Adhuc conuenire etiam generationis gratia cum Oceano terram, quæ uenarum, fontium, fluminum origines perinde uel mater omnium et clauderet intra aluum, et post etiam relaxaret. Nec inepte, nec insipienter hæc illi et senserunt quidem in scholis, et posteritati tradidere opinanda. Neque enim terra sine rore, sine pluuijs, sine humecta eua poratione nocturni præsertim temporis, rerum generationi satis esset, neque aut roris, aut hymbrium, aut exhalationis origo absque aeris beneficio esset ulla. Quid quod neque terra, neque aer aut emittendo, aut accipiendo uires exercere suas possent, nisi aqua, id est rerum pater Oceanus et terræ se conaliaret frigiditate, et aeri humectatione. Ac nihilo quidem minus hæc omnia, perinde ut nauis in alto mari constituta sine flatu non habet quæ se in portum prouehat, aut quæ in oram applicet, sic ipsa absque Sole, et calore (Sol enim caloris fons est) tanquam duce carerent suo. neque enim terra aut quod foueat haberet, aut aqua unde foueretur. Cum enim terra sit et aeris, et aquæ receptaculum, ac dolium quasi quoddam, ut familiaris meus Petrus Cōpater usurpare solet, calorem quoque externum sic admittit, ut interiores et ignes alat. Recte igitur putauerunt rerum semina propter elementorum commixtionem in terra esse abstrusa, uenisque illius insinuata, eaque ab humore distillatim irrorata, atque a calore sensim, ac quæ tenerrime fota, animam postmodum calcificatione ab ipsa sibi arcesserent, indeque hæc omnia, quæ uidentur, quæ sentiuntur, quæ post mente animoque agitantur, proficisci. Rerum igitur generationi illorum etiam sententia aptissima est terra, quippe quæ cæterorum et elementorum receptaculum sit, quoddamque quasi penus. Ex humoribus autem

FFF iij

qui nostro continentur corpore, immo qui corpus nostrum constituunt, nigrum fel, quæq; rectius atra bilis dicitur, terræ est quàm simillima. Atq; ut è terra omnia per calorem prodeunt, ipsaq; seminarij cuiusdam uicem gerit, sic nigra è bile, ubi conaluit, tanquam seminario è quodam pullulant tum simulacrorum, tum cogitationum germina, quæ deinde in hominum ingenijs in agro quasi quodam fruges ac fructus quàm uberrimos proferunt. atq; ut terra ipsa uarietate quidem utitur, diuersas tum hærbas, tum arbusculas, resq; alias, non uno genere modo, seminum diuersitatem ac succi qui solo inest, secuta, sic uaria etiam hominum proueniunt ingenia alijs atq; alijs artibus exercendis, pro bilis ipsius temperamento ac mixtura. Quid q; uel quandam esse infinitatem uolunt seminum, quæ terræ insunt, sic infinita quoq; sunt semina atræ bili naturaliter indita, quæ tamen finita ipsa sunt, commixtione tamen ac temperatura efficiuntur infinita. Hoc autem ita esse, docent tot arbores, tot hærbæ, tam diuersæ res è terra quæ prodeunt, tot item ingeniorum propensiones, tot artes atq; inuenta, quæ atræ è bile proueniunt. Vt non minus fortasse innumera biles ingeniorum sint, quàm arborum, quàm hærbarum uarietates, rerumq; aliarum. Nec si monstra quocunq; in genere, ut perfectas terra res procreat, non etiam bilis atra monstrosa quoq; producat ingenia, cum quosdam tum stupidos faciat, tum etiam insanos. unusquisq; igitur sana quidem mente præditus, qui terræ naturam considerauerit, mirari desinet, cur tam multa his in libris, ac tam sepe à nobis de nigra dicantur bile, quippe quæ perinde dicantur atq; de fonte uberrimo tum eorum quæ ad sapientiam, rerumq; cognitionem, atq; ad artium spectent excellentiam, tum illorum etiam quæ contrario modo ad ignorantiam, insipientiam, furorém uel pertinent. Non sanguis, non pituita, non chole, quæq; hodie cholera dicitur, firmitudinem, aut soliditatem habet in se ullam, non aër, non ignis, non aqua, quam tamen habet terra ex elementis sola, habet è bilis nigra ex humoribus una. Propendet melancholica cuiuspiam ad honores, atq; ad imperium dominandi cupiditate mens incitata, omnis uiri eius cogitatio, omnis item actio in hoc intendit, totus atq; assiduus in eo est, nihil agit aliud, nihil meditatur, unum deniq; hoc illum delectat. Qualis igitur hic postmodum euadat, Alexander ac Cæsar primi, pro mensura item rei publicæ in qua orti sunt, alij quoq; permulti è olim docuere è hodie quoq; docent. Proclinat quispiam nigri fellis calore incensus ad Poëticæ, aut philosophiæ, aut rerum coelestium studia, sola hæc cura illum agitat, soli huic rei

intentus est, solum hoc è cogitat è comminiscitur. Quo autem hæc ipsa cogitando, agendo, comminiscendo peruenturus tandem sit, testes sunt Homerus, Virgilius, Aristoteles, Ptolemæus, nec nostro desunt tempore, qui testificari hoc ipsum ualeant. Applicabit aliquis ingenium ad musicam, ad picturam, ad sculpturam, alias uel ad artis, eamq; in rem curas, cogitationes, ætatem omnem suam conferet, nigra illum bile cogente. Quam uero ingenij, laborumq; suorum laudem, studioq; è suo quam etiam gloriam relaturus sit, Apelles, Lisippus, Praxiteles, Iocetus, alijq; in arte sua noti artifices non pauci declarare abunde possunt, quippe qui nomen sibi æternum inde comparauerint, è nostra ætate attentent idem non rari etiam in diuersis artibus. Hæc igitur ipsa bilis cum firmitate simul, atq; assiduitate illa, de qua dicimus, cogitationis, studyq; ducit etiam secum comites delectationem ac uoluptatem, eaq; tanta est, ut in eius unius rei adeptione summum ac peculiare bonum collocatum existimet, præterq; illud, aliud nihil aut expetat, aut sequatur. Quid q; delectatio, uoluptasq;, quam sanguis, chole, pituita aut afferunt, aut sequuntur, plerumq; ad ea quæ corporis potius sunt pertinet, cum ea quæ è nigra manat bile, hoc in genere animi solius uideatur propria. Firmitas itaq; tanta illa cum assiduitate ac delectatione coniuncta pertinacem illam nauat operam, quam iure Cicero rerum omnium expugnatricem appellat, quæ humori huic à natura est addicta. Atq; hoc quidem in campo A. Coloti ius potissimum exercet suum Saturnus ac Mercurius, alter propter naturæ similitudinem, alter propter applicabilitatem. Vt mihi quidem, quæ Poëtæ de Promethæo fabulantur, ignem Iouis subductum humano inseruisse pectori, cum Sole Mercurius pariter hoc idem uideatur agere, ut acceptum accommodatumq; ab illo calorem bilioso ac melancholico illi fonti radijs suis insinuet, Solaremq; quasi scintillam in illum instillet, è cuius accensione ratio sibi lumen accendat, quo tenebras discutiente, abditæ ac penitus abstrusæ res in cognitionem prodeant, atq; obscurissimis è latebris ueniant in lucem quam a pertissimam, quam qui sequuntur, quoniam in luce uersantur, è ipsi quoq; euadunt quàm luculentissimam.

De Constitutione humani corporis.

h
Vmani corporis constitutio, membrorumq; inter se tam sibi conueniens fabrica siue nullum, siue à Deo (ut Poëtæ cum Christianis simul consentiunt) principium habuerit, ita quidem comparata est, ad quæ

tractanda ac peragenda natus est homo, ut tum partes ipsae singulae, tum membra etiam uniuersa affabrefactim sibi respondeant, moueanturq; quo sentiens uis, quo etiam animus ipse, ratioq; uocauerit, ut membra ipsa sensus primum, atq; appetitus qui illi coniunctus est, deinde rationis instrumenta non iniuria esse dicantur. Membra autem nostra, ut supra iam docuimus, si gnifero in angulo collocata sunt omnia. Ac perinde ut signifer ipse Ariete, Piscibusq; includitur, sic nostrum etiam corpus capite continetur ac pedibus, suntq; sensus nostri quinque, perinde ut erraticae quinque, oculi duo ad uidendum, quae admodum duo ad illustrandum orbem luminaria. Atq; ut coelum ipsum tam multis ac uariantibus tum stellis, tum lineamentis est conspersum complectiturq; sub se illa quae quatuor dicuntur elementa, sic nostrum etiam corpus eadem illa continet intra se, ac uenis, arterijs, neruiculis quoq; quam plurimis, lineamentisq; dispersum est. Quae de re factum est, ut hoc ipsum corpus id est homo, minor quidam mundus ab antiquis sit appellatus. Illustrant, humectant, calfaciunt, animant, fouent, alunt, afficiunt Sol & Luna irradiationibus suis cuncta, quas etiam ad effectiones atq; ad opera caeterarum simul stellarum contrahunt ministeria & operas. Prospectant ac tuentur de capite, e caelo quasi quodam oculi singula, quorum e prospectu, obtutuq; caeteri quoq; sensus mouentur ad sua quique munera peragenda, quin rationi quoq; uiam aperiunt, quam ingressa ratio animam ipsam sic nobilitat, ut hominem tandem Dei ipsius opificium sint qui dicere ausi & olim fuerint, & nunc qui Christiani sumus, hoc ipsum ita uere factum esse pertendamus. Neq; iniuria Cicero ab oculis profectam esse Philosophiam testatur, & tanquam gratulatur illi. Quemadmodum igitur sensus ipsi omnes, omnes item corporis partes in ipsis consentiunt, quae ad conseruandam corporis compagem hanc faciunt, in ipsisq; peragendis, quorum gratia procreatus est homo, sic stellae ipsae omnes cum Sole ac Luna simul conueniunt ad illud fabricandum. Nec mirum igitur, nec irrationabile, tam uarias ingeniorum species, tam diuersas etiam hominum effigies gigni, cum tam multa simul causae ad constitutionem ipsam conueniant corporis, eaeq; in motu semper sint, continuisq; quin etiam innumerabilibus mixturis implicentur. Quoniam autem corporis actiones longe prius apparent, quam quae sunt animi, siquidem animus pedetentim, progressimq; ac non nisi multis etiam post genituram annis ad agendum progreditur, donec instrumenta ipsa corporis ad maturitatem iam peruenerint, de corporis prius constitutione, hoc est specie, temperaturaq; dicemus.

Cum praesertim uideamus liberos ipsos septennumero, ore, naribus, oculis, genis, uniuersa facie, membris etiam singulis suis a parentibus longissime differre, quod nisi a caelo & stellis, stellarumq; commixtionibus euenire nullo modo posset. Quod ut facilius itellegamus, prius haec consideranda magna et diligentia, summaq; ratione uidentur.

Diuersitatem corporum proficisci e commixtione stellarum.

Principio ut quatuor sunt elementa, quatuor item qualitates naturaliter illis insita, sic annus ipse, sic dies, sic uita etiam nostra qualitates eas sequitur, ut prima & anni & diei & uitae nostrae pars sit cum primis humida, progressim tamen ad calorem accedens, secunda calida, atq; a calore uergens in siccitatem, tertia siccata, declinansq; in frigidum, quarta frigida, atq; in humidum proclinata. Haec qualitates quoniam assiduo sunt in motu, alternaq; in conuersione, quo generatio ipsa ad perpetuitatem sibi constet, nec materia sit unquam in formationi defectura, Lunae decursionibus sic agitantur, ut in orbem abeant, conuertanturq; alternis. Atq; ut uitae nostrae quatuor sunt partes, eaeq; aetates uocantur, sic lucis atq; illustrationis Lunaris quatuor etiam sunt tempora. Vique animantium uitae author est Sol, sic etiam Lunaris illustrationis idem & author est & causa. Luna igitur pubescens, atq; in prima, & tanquam puellari aetate constituta donec ad dimidiationem (sic enim appellare placet) peruenit, inferiora haec sic humectat, ut a Sole calefacta per singulas dieculas, paulisper tamen, & ipsa quoq; calefaciat. A dimidiatione autem ad plenitudinem ita calfacit, ut sensim etiam siccitatem inducat. A plenitudine uero secundam ad dimidiationem sic exiit, ut pedetentim frigus exuscitet, inde senile frigus adeo excreuit, ut paulatim etiam puerile illud humidum reuocet, suumq; in orbem reuertatur. Qualitates autem haec et Lunae et stellis omnibus agendo quae insunt, neutiq; autem patiundo, quippe quae afficiant, non autem afficiantur. Quocirca aetatum eadem, alternandarumq; qualitatum ratio in erraticis et stellis tenenda est, siquidem ex quo a Solis coniunctione, atq; ut proprie magis loquar, futura digressae apparere iam incipiunt, quod mane quidem contingit ante Solis exortum, unde matutinae a nostris, ἠώαι a Graecis dicuntur, quo tempore tanquam pubescentes in elementis ipsis, compositisq; ex ipsis corporibus humidum uehementius exuscitant, atq; ad intellectum inuitant, donec consistere iam incipiant, primaq; in statione applicent, unde stationariae a nostris, ἀνωροί a Graecis uocantur. Iota

autem hoc stationis primæ tempore et calefacti, et sensim calefacti ariditatem inducunt. At ubi secundam in statione perlatæ fuerint, tanq̄ autumnalis qualitatis studiosæ et uehementer exiciant, et paulatim et frigus euocat. Postquã autem tum occiduales effectæ sunt, tũ et uespertinæ, quas occiduas sunt quocent, et Græce Δύορτας dicuntur, ac dytica, tanq̄ inducere senectutē rebus his studeant, frigus multum, ac cum ipso frigore pedetentim humidū arcessunt, inde ad Solē reuersæ, et quasi ab illo renouatæ, genitaliq; eius calore fœtæ, suum in gyrū, orbemq; solitum reuertuntur. Zodiacus quoq; circulus per quē erraticæ discursant in quatuor etiã quadrantes, hoc est ætates quasdam diuisus est. ipsæ autem ætates à Solis decursu, qui et dierū, et anni, et temporū auctor est, rationē ac legem accipiunt. Primus enim quadrans id est prima, ac puerilis annorū ætas uer constituit, secundus ætatem, tertius autumnum, quartus hyemem, quarū qdē ætatum singulæ suas etiã qualitates quo iam diximus ordine ac lege sortimur. Verū de orbe ipso signifero, quæ officina quasi quædam generationis est, per quē medium Sol incedit, rebus his inferioribus prospiciēs, et item Luna, atq; erraticæ simul quinq; aliquanto uberius distinctiusq; differendum uidetur, quo ratio ipsa commixtionū ad generationē tanquã diuersis è fontibus profluentū manifestior appareat, magisq; explicata. Quanta uero commixtionum ipsarum uis sit, quæ et diuersitas, exēplo cum literarū, dictionūq; tum orationis ipsius appositissime declarabitur. E' connexionē nanq; mixturisq; literarū constituitur syllabæ, è syllabis dictiones, è quibus post oratio ipsa constituitur. Ex literis igitur. A. ac. B. cogitur. Ab. syllaba, suam sibi statim significationē apud Latinos adeptæ. Ex. E. item et. O. uocalibus literis (nam aliæ uocales, aliæ consonantes sunt literæ, aliæ item mutæ, aut semiuocales) conflatur uerbum. Eo, quæ dictio suam quoq; significationem constitutione ex hac nascitur, duas has dictiones unū in corpus si redigat, constitues uerbum. A. beo, ab hoc autem uerbo mutandis atq; addendis literis, neq; enim uno modo commixtio fit, constituitur dictio Abitus, quæ dictio suam quoq; sibi significationem comparat, ab origine ipsa deductam, mutat tamen genus cum A. beo uerbum sit, A. bitus uero nomen. Quod si literæ. A. aspirationem adicias, sequetur illico significationis commutatio, eritq; Habitus tum uestitus, tum insutitio illa animi, quæ exercitatione comparatur, ac consuetudine. Quin si huius ipsius dictionis secundam literā quæ est. B. in L. uerteris, fiet inde Halitus, cuius dictionis significationis q̄ sit à significatione habitus diuersa, docet ipsa dictionis origo, quæ ab halo deducitur. Rursum

citur. Rursum eandem literam. B. in. V. si uerteris, quartam uero in D. nascetur inde dictio Auidus, cuius significationis diuersissima est ab illis de quibus dictum est appellationibus. Ab hoc autem nomine auidus aliarum commixtione literarū fit auidior, auiditas, auidissimus, item Auidius, Auidienus propria hominum nomina, quæ quidem dictiones tum cōparatione, superlacioneq; tum denominatione, et proprietate ipse inter se ab origine quidem differunt. Qui si Peruidus dicitur, additione ex hac multum etiam roboris addes significationis. Contra si dicitur Auidulus, demas atq; immunas. Inflexiones autem ipse, declinationesq; uerborū, ac nominum è literarum quoq; mixturis proueniunt addendo, demendo, mutando, geminando, ut pello, pellebam, pepuli, pepulerā, pellam, propello, impello, compello, expello, repello. A. equus, æqui, æquo, æquum, æquior, æquissimus, iniquus, iniquior, iniquissimus, æquitas, iniquitas. Eademq; ratione et uia in cæteris omnibus. His igitur è syllabarum, dictionūq; conglutinationibus fit orationis tanta diuersitas, ut maior esse nequeat, existatq; sermonis humani in infinitatem abitio. Hūc itaq; in modū maxime se se habent tum corporum, figurarumq; tum etiam ingeniorum, atq; applicationum uarietates, quæ de commixtionibus stellarum, radiorumq; ab illis defluentium commixtionibus manant, quæ ignotis quasi quibusdam è meatibus profluunt. Atq; ut è literarum commixtionibus diuersis formæ quædam statuuntur dictionū, è quibus innuitur actiuitas, passiuitas, neutralitas, cōmunitas, frequētatio, diminutioq; uerborū ac nominū, siue denotatio, aptitudoq; siue cōparatio, ac suplatio, uocum item claritas, obscuritas, lenitas, asperitas, acumen, obtusio, celebritas, tarditas. Atq; ut è dictionum structuris suam in seriem redactarum, auditorum comparatur impulsio ad hilaritatem, tristitiam, seueritatem, lenitatem, risum, iocum, lacrimas, lætitiā, uindictam, clementiam, atq; ad affectiones alias. Sic è stellarum ac signorum mixturis, irradiationibus item, configurationibusq; diuersis uarie differenterq; effigantur hominum corpora, proueniuntq; ingenia tam diuersa, pro ea uarietate, quam corpora ipsa referunt. Ne autem à literis ipsis, dictionibusq; recedamus, nomen hoc honus sonorem nec in suauem, et satis quidem plenum habet. Reddetur autem sonus ipse confestim horridior, si literam. R. interposueris, proferesq; hornus. Idem continget in similibus cornus, et cornus, tonus, et tonus, funus, et furnus. Contra lenitur uox, ubi de lerna. R. detraxeris, lena enim suauiter sonat, at sonabit asperius, si. C. literam præposueris, eiq; aspirans chlenam pronuntiaueris. Idem hoc igitur contingit, quoties V. e.

neris stellæ irradiationibus suos Saturnus radios impegit, quippe q̄ naturalem Veneris iucunditatem tristitia sua inficiet, sordēq; foedabit elegantiam, Iouis clementiam ac mansuetudinem Martis irradiatio mutabit adeo, ut quantum ille ad humanitatem nati animum modestiamq; inuitabat, tantum hic ad asperitatem retrahat, moresq; inclementiores. moderationem enim sanguinis chole in immoderationem inflammatione conuertet sua. Ad eiusdem Iouis candorem per nati corpus diffundendum addet Mars suum etiam ruborem. At Saturnus non parua illum ē parte offuscabit. Ad Veneris festiuitatem addet Mars licentiam, Saturnus illam rusticitate inficiet. Saturninus enim humor author est tristitiæ, ac rigiditatis, cum Veneris letitiam gignat ac festiuitatem. Sed his iam in hunc modum explicatis ad alia transeamus.

Signiferi orbis quadrantes ita considerandi sunt, ut quod Luna præstat ob Solis irradiationem, & ipsi quoq; præstent ob eiusdem Solis peragratiōem. In quibus idem illud usuuenit, quod in medicorum potionibus. primus enim quadrans, qui uernus dicitur, quanquam tribus constat ē signis, quorum primum est igneum, secundum terrcum, tertium ærium, ætatem tamen puerilem repræsentat, humescendo primum, post in calorem proclinando, non tamen ut signa illa qualitatem non retineant propriam, perinde ut quæ miscentur a medicis, aliud quiddā efficiunt, quàm quod singulorum est proprium. licet suam qualitatem nequaquā abiciant. Quod idem in componendis persæpe dictionibus, in Grammatica disciplina usuuenit, ut in uerbo inficior, quod cum de præpositionis commixtione uerbiq; formetur, aliud tamen significet, q̄ quod particule illud constituentes inuunt, quando inficiari est negare. Verbum *Peto* manifestam habet significationem, Idem tamen cum præpositione sub coniunctum, aliud quiddam significat, ut cum dicit Plautus, *Non suppetunt dictis data*, deductaq; ab illo suppetiæ auxilium significant, *Suppedito* quoq; uerbum, quod ē sub, ac pes nomine conflatur, an non idem præ se fert, quod suggero ac subministro? Hæc autem ideo dicuntur a nobis, & afferuntur exempli gratia, quod in ferenda sententia Mathematicus de constitutione corporis, de concretione eius, de ingenio nati, deq; propensio nibus plurima simul considerare ac miscere in unum debet. Nec uero ijs quæ supra dicta sunt, consideradis contentus tantum erit, quin maiore etiam cum parsimonia signa ipsa expendet, et astrictius illorū uires depromet, nec uniuersim solum, uerum etiā per partes signi cuiusq; naturam animaduertet. quando signa humana, & quæ in signi

fero collocata sunt, et quæ extra signiferum per cœli reliquum sparsa figuræ ipsi, hominumq; corporaturæ multum etiam conferunt. Nam & membra concinnius disponunt, et quadam cum dignitate, partiumq; conuenientia magis ac magis honestant. Contra ferina, et bruta, quæq; de belluarum appellantur nominibus & inconcinnant corpora, & membra ipsa ad suorum potius quàm hominum conformant similitudinem, præterita mensuræ, ac responsus inter se partium ac membrorum regula. Cumq; species ipsa, corporisq; pulchritudo ē membrorum existat inter se conuenientia, deformant plane illud propter inconcinnam partium constitutionem. Adhæc etiam signorum ipsorum naturæ, potestatesq; acutius inspicendæ sunt, proprietatesq; obseruandæ. Siquidem Leo, Virgo, & Sagittarius ad concinnandam corpus, partiumq; eius compositione multum etiam opitulantur, Secus autem Pisces, Cancer, & Capricornus, quippe qui partium conuenientia, uniuersaq; constitutioni uehementius detrahant. Quid q̄ eiusdem signi Leonis partes quæ priores sunt, item etiam Tauri, atq; Arietis bonum corporis habitum, uiresq; ualentiores promittunt, Contra quæ posteriores sunt partes corpus imbecillum reddunt, uiresq; eius infirmant. At Scorpij, Sagittarij, ac Geminorū priora quidem corpus debilitant, multumq; de robore illius remittunt. Contra uero posteriora habitum ipsum corporis intendunt, uiresq; suggerunt uegetiores. Quin etiam & Virgo, & Libra, & Sagittarius membrorum conuenientia, æquabiliq; inter se partium responsui magnopere consulunt. Rursus uero Scorpius, Pisces, ac Taurus constitutionis totius mensuram regulamq; abiciunt, nec in disponendis partibus, qui deceat modum retinent, quam ob causam de belluarum nominibus signa hæc appellantur, illa uero hominum, singulaq; suam sequuntur naturam, & qualia ipsa sunt, talis artus, talem etiam corporaturam moliantur. Quod autem Leonis, Tauri, atq; Arietis priora ualentius efficiunt corpus, posteriora imbecillius, non recedit ab illorum natura. Siquidem hæc ipsa animalia, a quibus illa nomen ducunt, ualentissima sunt a prioribus, contra uero Scorpius, Sagittarius, ac Gemini partibus a posterioribus. Cum autem Leo animal pulchritudinem cum excellentia quadam corporis præ se ferat, uirgineaq; item ætas inter cæteras mulierum ætates præstet, faciesq; humana sit alijs & dignior, & conspectior, an mirum signa ipsa horum de nominibus insignita in configurandis corporibus eandem si pulchritudinem, concinnitatemq; repræsentant? si ē contrario deformitatem Cancer, Pisces, & Capricornus? terra in terris,

atq; aquis deformatq; animalia, id quod de signis reliquis uel humanis uel brutis omnino censendum est, seu ad pulchritudinem, conuinitatemq; comparandam, seu contra ad deformitatem, atq; inconuenientiam. Nec uero aut signorum ipsorum domini negligendi sunt, aut non etiam considerandum si quibus a planetis signa infideantur. Parentum quoque ratio est habenda, quando stellae ipsae pro natura quoque uirilis seminis, muliebrisq; suas in generatione uires exercent.

De Capillis.

Quoniam autem capillus ad corporis ornatum non parum adiungit, neq; modi unius est in singulis, quin potius longe diuersus, idemq; et canescit, et decidens caluitium inducat. Adhuc cum oculi inter caetera animalia solis in hominibus tantopere uariant, nec in eodem illo colore persistant, quem prima obtulit infantia, pauca quaedam de his quoq; differemus, ut cognitis uarietatum ipsarum causis, stellarum effectiones facilius ac planius intellegantur. Homo igitur plurimo abundat capillo, nam capite humidissimo est ac reliquo corpore magna ex parte glabro, neq; enim pilis ex toto uestitur, ut bos, equus, aries, ut caetera generis eiusdem uestiuntur animalia, neq; aut cornibus instructus est, ut bos, aut setis intectus, uti sus, in quibus alimentorum excrementa luxuriantur. Itaq; quod alijs animalibus nutrimentum, quaeq; inutilis materia aut in cornua, aut in setas, aut in pilos uestiendis ex toto corporibus abit, homini suggeritur in promittendum capillum integendo capiti, atq; arcendo frigori, calori, et hymbri, nec minus ornatus gratia. Siquidem in constituendo humano corpore non minus huius ipsius ornatus, quam roboris natura uisa est habuisse rationem. Quia igitur cornibus ac setis nullis est, sed pilo rarissimo ac tenui, neq; tamen hoc uniuerso uestitur corpore, ideo capillo plurimo abundat, illumq; promittit, quem mulieres longe etiam amplius atq; extentius, quoniam depili mento sunt, glabriusq; reliquo corpore. Idem autem capillus alijs in hominibus densior est, in alijs uero rarior, crassior in alijs, contra in alijs tenuior. Cuius rei partim maior minorue suppeditandi excrementi copia existit causa, partim quod crassa est cute crassi, et tenui tenues capilli prodeunt, q; ad rem meatus quoq; plurimum conferunt, et cute item rara capilli et ipsi rari, atq; et densa densi et pingui item humore, ut neq; facile decidant. Vniuersim aut, licet cutis ipsius terrena natura sit, in his tamen pinguior inest, in illis uero liquidior,

ro liquidior, magisq; aquosa, et qua tum pili, tum capilli cum oriatur (neq; enim gignuntur et carne) ex eo efficitur, ut quod in crassa terreni plus inest, ex illa crassi, et spissa uero propter tenuitatem et meatum tenues enascantur. At ex aquosa cute et liquida, in qua scilicet uapor eliquescens abunde cogitur, haud facile, quando uapor ipse facile quoq; siccescit, capilli promittuntur, cum et pingui contra (pinguia enim difficulter exiciantur) in longum abeant. In uniuersum igitur cerebrum humido ab insito capillum alit, proq; illius tum copia, tum temperatione capillus ipse afficitur, qui siue niger, siue flauus, siue rufus (siquidem ut caetera corporis partes consenet) canescit tandem aut propter nimium rerum ueneris usum refrigescit nimio plus cerebro, aut ob ingrauescentem iam aetate anni siue refrigescitibus, siue arefactibus cutem, ut quidam arbitrati sunt. Siquidem et ossa albescent exueto humore, et lapides excocti albescent in calcem soluntur, caetera quoq; solis admota feruori candescit defecatis ab illo humoribus. An non etiam terra aestiuis exicata solibus albescat? id quod et puluis apertissime monstrat. Aristoteles tamen ab ariditate non canum fieri sed durum potius ac rigidum pilum existimat. Itaq; canities ob imbecillitatem prouenit, cuius rei maximum iudicium est, quod pili qui in cicatricibus iumentorum renascuntur, pro renatae cutis imbecillitatem incanescent. Cigni autem canities Aristoteles tradit ab excremento putrescente, quod calor aut propter aegritudinem, quae senectus quaedam est, aut propter senectutem ipsam, quae naturalis est aegritudo, parum illud concoquat, ex eoq; fieri ut capillus quoq; aegrotet aegrotante cute, reliquo namq; corpore laborante et morbo, cutem quoq; laborare par est, cruditate itaq; excrementi, eiusdemq; permulti, putrescendi illius causam esse, putredinem autem incanescenti pili. Quod circa recte canities putredinem esse quandam existimat, hoc autem ita se habere illud docet, quod qui ob morbum canescunt, ubi ualentiores facti sunt, calore augete, eoq; excrementum ualenter concoquente, canities exiunt. Quod in segetibus quoq; euenit, quae locis humilioribus ac secundum lacunas sub magnis atq; continuis pluuijs perpalescunt. Vbi uero calor exicitum humidum illud superfluens, tunc propriam resumunt uiriditatem. Prouenire igitur canities arbitratu neque ob ariditatem, sed quod calor ob ingrauescentem iam aetatem perlatum ad cutem excrementum nequeat concoquere, fieriq; ut ibidem collectum putrescat, senectutem namq; frigidam esse, calore natuo paulatim destituente iam corpus, cuius uero ipsam ob insitum colorem, albi aut nigri pili causam non esse in homine, ut in caeteris animali-

bus in licio illud esse, quod qui homines albi admodum sunt, pilos tamen abunde nigros habeant, cum in bubus, in equis, in suis alba cutis album, nigra uero seu rufa nigrum producat, aut rufum pilum, Aquas quoque ad pilorum uarietatem permulcui conferre, Calidas enim albos facere, frigidas uero nigros, Alimenti etiam uariantem uim hoc idem efficere ad colorem uariandum, dum cutis est qua pili gignuntur, alimenti naturam sequitur. Quid quod fontibus ac fluminibus quibusdam eadem haec uis inest, quemadmodum de Clitumno amne legitur, cuius potandis aquis uaccæ grauidæ albos progignant fetus. Senilis igitur canities inopia contrahitur atque exilitate caloris nequeuntis alimentum ipsum, unde pili aluntur, defecati concocquere. Ex quo fit, ut ægrotante cute, ægrotet etiam et pilus, et capillus, eaque ægritudo, imbecillusque habitus canities dicatur. Cui quidem uitio flauus capilli magis expositi sunt, quoniam flauus ipse ac rufus color imbecillitati huic quæ nigra propinquior est. Quod uero qui plerumque promissus esse capillus consuevit, enascatur aliquando crispus, et id quoque de nimio calore prouenit. In sunt enim ut lingua blasitas, ut pedibus imbecillitas, ut oculis cæcitas, aliaque membris alijs uitia, sic et capillis crispitudo de nimio calore profecta, contortis ob ariditatem meatibus, quibus caput refertum est, humidoque materiam illam superfluentem parce nimis excernente. Etenim capillus promissus et simplex ex humido copioso et profuente prouenit, magis quam stillanti. Atque hinc Germani, et Dacæ capillo sunt longo et simplici, quando eorum corpora et abundant humido, et aer ille etiam perhumescit. Contra Aethiopes, quod regionibus utantur uehementer calidis, cerebro autem siccis, et item caelo, crispas habent capillos, et breues. Exhalatio enim ipsa fumosa ob insitum calorem ac siccitatem capillum inflectit. quod enim inest terreni, deorsum ut pendeat cogit, secus calor tollatur ut sursum, quo circa ob imbecillitatem intorquetur, quod uitium crispitudo dicta est, An quod cum parum omnino humidi, terreni autem permultum insit, ab aere illo aestuante contrahitur pilus, ac si ab igne usuletur, cuius rei indicium esse potest durities, crispi namque et recti duriores sunt pili. quæ enim sicca, eadem et dura id quod re ipsa cernitur. Quodque est capite (æque ac decidua est ramis frondes) quandoque capilli defluant, quod ægrotantibus ob maiores febrium ardores consuevit contingere, ut nudata caluaria uitium quod inde nomen traxit, inducitur, calori quoque nimio ascribendum existimant, qui quod humidi nutrimenti inest, exurit adeo, ut excerni ab eo haud ita multum patiatur. Aristotelis uero de hoc ipso uitio uerba sunt hæc, Affectus huius causa

est calidi humoris inopia, qualis præcipue pinguis est humor. quo fit, uti quæ plantæ pingues sunt, fronde uirescat perpetua. Nec pueros aut, nec spadões caluescere idem tradit, quod alteri id ætatis non coierint, alteri quam euirati in naturam, quæ mulierum est, transierint, muliebrem enim naturam puerilis esse naturam persimile. Coitum igitur caluitij potissimum esse causam hinc arguitur, quod ex eo, hoc est nimiam ob resolutionem calidi in uenerem, cerebrum quod suapte natura frigidissimum est, tanto quidem magis refrigerat, efficiturque hoc ipso imbecillum admodum, exque ea imbecillitate, cum sufficere capillis alimentum nequeat, necesse est illos decidere. Est enim capillorum alimentum humor pinguis, qui est cerebro ad cutem permanat. An non frondes ipsæ et ramus decidunt, ubi humor hic a radicibus non sufficitur? Homo igitur cum sit ipse maxime humidus, ac calidus, nimiam ob resolutionem in uenerem imbecillus maxime in cerebri parte redditur, qua ex imbecillitate, calidique inanitione caluescit, tamen si alia item inde gignuntur uitia. Fit autem uitium ipsum in parte capitis anteriore, quod scilicet in eam capitis partem cerebrum promineat. Quod autem ad capillos attinet, medicorum quidem uidetur hæc esse sententia, ut hi cerebri ex excrementis et orientur et nutriantur, illudque æquabile ubi fuerit, probeque temperatum, gigni ex eo capillum uolunt, quod a teneris quidem annis sit castius, post uero adolecente ætate rubescat, declineque magis ad nigredinem, quique est mediocritatem inter rectum, crispumque retineat, enascaturque neque serius neque tempestiuus. Vbi uero cerebrum ipsum calidius fuerit, prouenire ex eo capillum omnino nigrum, et quidem tempestiuiter, illumque flexile, ac persæpe crispum arbitrantur. Quod tamen non multo est ante dictum, mundi regiones ad colorem, crispitudinemque capillorum ad promissionem item, ac mollitiem plurimum conferunt, quanquam capilli ipsi mutantur etiam ab ætate. Contra frigidus est cerebro prodire fluxile ac rectum capillum, eumque parum omnino nigricantem, uel potius flauum, præstoque homini illi canitiem affuturam. Quoties autem cerebrum ipsum humidius fuerit, tardius eius ab excrementis capillum proditum tradunt, eumque fluxilem, serius etiam casurum. At ubi siccior est compactione constitutum fuerit, tempestiuorem ex eo casurum fundi, canitiemque tempestiuus aduenturam, ipsum autem capillum crassum, ac plerumque crispum. Vbi uero calidum pariter, ac siccum cerebrum ipsum fuerit, tunc capillum et uelocius exoriturum, et maturius etiam casurum, nigrum quidem et crassum, etiamque crisporem. De multo namque calore manare putant crassitudinem, humidique superfluentiam, flexibilitatem autem et crispitudinem ab

utroq; calido uidelicet ac siccato, itemq; & nascendi, & decidendi celeritatem, Contra fluxilem, rectum, mollem, fuscumq; parūq; deciduum futurum, ubi cerebrum calido, humidoq; simul temperabitur. Serius autem coma uestiet caput, uixq; caluitium timebitur, quoties cerebrum a siccato pariter frigidoq; occupabitur. Erunt autem capilli tenuiores, atq; ut hodie medici loquuntur, corticis nucis castaneæ similiares. Quod si frigiditas, humiditasq; in pangendo simul cerebro conuenerint, uix capillus ipse unquam deciderit. Omnino autē cerebrū superfluenter humidum, aut capillum non excernit, cui eum quam tardissime. quod sit hominis illius corpus sanguine penē uacuum ac cassum. Oportet itaq; Mathematicum ē stellarum configuratione ac positura hæc ipsa metiri in genituris, ē quarū cōmixtionibus et sanguis id est cor, et cerebrū modū, mensurāq; accipiunt. Nec uero, quod dictū est, cæli situs, ac terrarū nō apprimē circumspectandus ē, et patrū quoq; maiorūq; habenda ratio, quibus illi capillamentis ornati fuerint.

De Oculis.

Diximus quod uisum est necessarium de capillo, dicamus etiam de oculis, qui in bubus, in leonibus, cæterisq; in animalibus idem sunt, id est coloris unius cuiq; suo in genere, præterq; in equo, nullaq; ratione inter singulos differunt, cum in homine differant admodum & colore, et habitu. quando etiā in infantibus, primisq; illis geniturae diebus color oculorum certus iudicari nequeat propter humorem, qui nō dū resedit cerebri. Ad hæc uidemus quosdam lucinos, nō nullos strabones, hos oculis maxime conuatis, illos prominentibus, quæ uarietas, uti diximus, in hominum ferē genere tantum accidit. Constituo igitur pupillæ, de qua radij prodeunt, in quam & illi rursus se insinuant, quoties humido large referta est, quod humidū spissitudine illa sua nigritat, oculum quoq; nigrum reddit, Cui si multus quoq; calor immixtus fuerit, quando cerebri natura in multis humida est, & calida, ut iam diximus, calor isq; ipsius cum sit proprium. rarefacere, adhæc tum sit oculus maxime foraminosus, penetrationisq; patientissimus, neq; enim aliter lucas fieret irradiatio, coagulum illud humidum ita dispergitur, & tanquam effiatur a calore, ut si uehementior ille quidem fuerit, dissipata iam spissitudine, humidoq; eliquato, colorem inducat cæsiū, qui albo est quā proximus, remissior uero caprinum, quod caprarum oculi sint coloris huiusmodi, siquidem cæsius illē color caprinis in oculis est suffuscior. Quo arca color ipse o-

lorum tum niger, tum cæsius, plus, minus uel intenditur, pro humidi copia, itēq; calor is. Humidum autem illud nigrificat admodum in quo terreni plurimum humoris inest. Quod si mensura, modusq; defuerit, ea item regula ac ratio, quæ generationis est comes, globulusq; ille pupillaris nimio humido perinde coagmentatus, & tanquam constipatus fuerit, ut calori exigua admodum uia ad irrumpendum data sit, pupillæ uis adeo imbecilla redditur, ut longus uidere oculus nequeat, propius autem non nisi difficulter, contractis etiā palpebris, demissisq; supercilijs, quod uitiū etiā accidet, quoties humidi illius pupillaris uis per exigua quidem fuerit, calor is uero tanta, ut humida uel penē extincta, sparsimq; exagitata, radij sic attenuentur, ut progredi longus quidem nequeant. Quemadmodū autem humida materia præterquam a calore si fouetur, inutilis est omnino, sic calor ipse quidem effluit, atq; euanescit penitus, ubi quo se intendat, et in quo exerceatur, humidum nullum habet. Itaq; & illa inutilis materia, & hic euandus futurus est auctor. Cōtingit etiā in oculis ipsis uitiū, a quo quibus inest strabones ij dicuntur. Fit autē uitiū hoc quoties pupilla locū suū, qui medius esse debet, nō insederit, est enim necesse, in hac pupillæ iniuxta collocacone contorqueri aspicientis oculum, quo & pupilla uti libera, & libero eius ualeat officio fungi.

De opinione Aristotelis.

Quoniam autem Aristoteles longe aliter de his sentit existimans uidēdū sensum ad aquam, ut audiendi ad aërem referendum, parumq; omnino probat, quæ ab Empedocle de igne sunt tradita, non ab re fortasse fuerit, altius quædam repetisse, ne aliquid in controuerso relinqueretur. Oculorum ductus ad cerebrum pertinent, de quo purissima humoris pars secreta per meatus illos defluit, qui ab ipsis ad membranam, qua cerebrum integitur, deferuntur. Perinde namq; ut per aërem auditus, sic uisus existit per aquam, quippe cum perlucida ipsa sit, maximeq; idonea emittendis radijs. Itaq; de manatu cerebri quod maxime humidum ac frigidum est, oculus ipse et in initio constitutus ē, & ab eodem post fouetur. Color autem eorum tum niger, tum cæsius, plus, minus uel existit, ab humore pupulari. Quatenus enim humor ipse ē cerebro diffusus ad pupulam fuerit, talis ipse oculorum color redditur. Nigros igitur oculos eos tradit Aristoteles, in quibus multum humoris insideat, huius namq; maior ubi fuerit copia, traiectiones ipsas uidendi non facile admittit, id enim nigrum esse quod non

transluceat, Cæsius uero in quibus parum omnino humoris insit, cuius inopia traiectiones eas perspicue quidem suscipiat. Atque ob hanc rationem die quidem cæsius, noctu autem nigros minus acute cernere, quod cæsius ob exiguam humoris uim afficiantur a diurna luce immoderatus, itemque ab rebus illis, quæ obuia sunt uisui, contra nigros ob humoris affluentiam, minus affici, quando nocturna lux est etiam exilior, et humor ipse noctis tempore minus facile excitatur. Vt cumque autem, necesse est caligare oculos in maximo ac splendidissimo fulgore. Vt tunc autem maris aquæ similitudine, quod in mari quidem cæsius uideatur id omne, quod percommode, perque quam satis est, iranspicitur, aquilum autem quod et minus commode, nec etiam quantum satis est, introspicitur, illud uero opacum, ad quod obtutus ipse ob profundiorum altitudinem aciem uix traicit, quo fit, ut tum cæruleum, tum nigrum id appareat. Inter hæc autem ipsa maris spatia, tractusque cernendi longiores magis minusue, coloribus ipsis siue cæsius, siue nigrus, aut demum, aut accedere quippiam, ut re ipsa constat, arbitratur. Hanc etiam ad rem, perinde ut ad uidendi uim acutiorum, obtusiorumue, non parum fortasse confert cuticula, seu tunica ipsa, quem hodie panniculum diuulgate uocant, quæ pupulæ ipsi obiectitur, ubi ea magis minusue tum tenuis fuerit, et alba, tum etiam perextensa et nitida. Sed hoc ipsum querere exploratius, medicorum est. Cæli et ac terrarum situs diuersi, colores quoque oculorum peculiare ac suos habent, qui enim sub septentrionalē nascuntur cardine, eorum cæsius sunt oculi, qui ad meridiem atque austrum nigri, Aegritudines quoque ipsas in dicio esse ait, aut multi humoris aut parui. Cæsius enim præ humoris inopia affici glauconia, eamque siccitatem esse quandam, senesque frequentius ea laborare, quorum oculi, ut reliquum etiam corpus, arescant, luscitate uero nigros ob humorem nimium, eoque fieri, ut pueri, adolescentioresque, quod humentiori utantur cerebro, sæpius ab hac capiatur. Humor igitur in cuius pupula affluentior desedit, eius color oculi niger existit aut fuscus, in qua uero remissior, ac minor, cæsius, aut flauescens, qui colores albo sunt finitum. At cum moderatior, caprinus. Atque hic quidem color, quoniam cerebri quoque temperamentum indicat, non boni solum uisus, sed proborum quoque morum index perhibetur.

Præcepta cognoscendæ corporeæ constitutionis.

Sed iam redeat unde digressa est oratio, ut igitur ea quæ ad cognoscen-

dam corporis constitutionem spectant, planè consequamur, hæc quidem diligenter consideranda sunt, primumque horoscopus, atque, ut Ptolemæus ait, orientalis hori non uidendus est, quæque sit eius natura, deinde si qua ex erraticis collocata in eo fuerit, eadem quoque ratione horoscopantis signi dominus, hic enim ipse, ac signi in quo Luna fertur, dominus, primas ferè in hac consideratione partis ferunt, deinceps si qua est fixis stellis oritur cum horoscopo. præcipue autem uidenda est Luna, signum item ac locus in quo constituta fuerit, signique ipsius dominus qui sit et qualis, et a quibus ipsa stellis conspiciatur, quantaque uis eius sit, quando corporibus, ut toties dictum est, præsidet. Locorum quoque ipsorum in quibus erraticæ consistunt, uires, potestatesque metiendæ. Hac enim observatione et uia, cognitio signi, ac loci cuiusque proprietatibus, stellarumque naturalibus affectionibus, eas mensendo, ac temperando, qualis corporis figuratio, qualis etiam concretio futura sit, facile colligetur, hæc enim duo in hac cognitione potissimum querenda sunt. Nam figuratio staturam, membrorumque inter se conuenientiam indicabit, concretio mixturam humorum è quibus corpus constituitur, hoc est quis ex humoribus in ipso corpore iuris sibi plus uendicet, natus ne ipse futurus sit biliosus, an pituitosus, an sanguine redundans, uirque autem simul colorem.

De Saturno circa corporaturam.

Quoties igitur Saturnus in hac ipsa constitutione primas sibi partis assumperit, fueritque orientalis (utimur autem libenter hoc uerbo, quoniam a disciplinæ huius scriptoribus familiarissime acceptum est) nati staturam mediocrè decernit, bonumque corporis eius habitum, colorem autem nigrum, et (ut Græci dicunt) *μαλακρον*. Nec uero nigrum accipi sic uolumus, qualis est Aethiopy color, qui a cælo nostro alienus est adeo, ut qui ex Aethiopybus in Græcia, Italia, Germaniaque nascuntur, omnino illum non retineat, quorum post liberi in albis sunt non tantum ore, sed reliquo etiam corpore. Color autem, ut iam diximus, Saturno addictus cinereus est, qui a Græcis agnominatur Castoreus, qualem hunc de quo dicimus, intellegi colorem uolumus, uidelicet qui in nigrum ab albo uehementius delabitur, capillum etiam nigrum decernit, crispum tamen, oculos etiam maiusculos. Saturnus enim ac Mars propter intemperantiam a conuenientia,

concoctioneque; suapte natura alieni sunt, concretionem uero, humi-
rumque; corporis temperaturam pituitosam designat, quaeque; a temporis
nostri medicis uocatur phlegmatica, quippe quae in humidum, ac fri-
gidum sit declinata, in frigidum quidem propter Saturni ipsius na-
turam, in humidum uero, quod orientalis uis, pueritiaeque; similitudo
suapte natura humectet, frigiditasque; humiditati per facile concilietur.
Oculi autem grandiores, capillusque; ipse niger indicio sunt maiorem
in esse cerebro humidi affluentiam, qui si occidentalis fuerit, colorem
quoque; eundem tum oris, tum oculorum futurum indicat, capillum au-
tem promissum, rarum tamen decernit, ac corpus glabrum, et pene
uulsum, uidelicet propter exiguitatem humidi, cum futura sit concre-
tio frigida et sicca, aetatisque; senilis quam simillima, quaeque; aduersa-
tur puerili. Quam ob rem statura erit modica, neque enim frigidus est
et siccus, in proceritatem assurgere, namque ad staturam illam quam di-
ximus, orientalis ipsa humiditas addit quantum satis est ad medio-
critatem retinendam. Quod autem Saturnus cum orientalis fuerit,
crispus, ut dictum est, capillos faciat, illud est causa, quod orientalis
ipsa cum humiditate simul indat Saturno non nihil etiam caloris, quo
fit, ut capillus crispetur, nec rectus fluat, qui cum e cerebro excremen-
tis humidis in cute generatur capitis, ex eaque; foras prodit, ubi calor ip-
se remissior fuerit, neque facile suam ob imbecillitatem impellere illum
potest, hinc a calore tunc remissiuscule impulsus, illinc a cutis duriti-
a repulsus, humido etiam deorsum remittente se se, calore autem
pro natura sua sursum reuocante intorquetur, contrahiturque; crispitu-
do illa difficilem ob penetratum flectente se se capillo. Ut cum te-
nuis atque; imbecillum flagellum in arenarum acerrimum immittimus,
neque; enim nisi paulatim flectendo se se, atque; innitibundum quidem in
acerrimum irrupit. Habitum autem illum flexuosum et crispum, quem sensim
penetrando capillus contraxit, adhuc etiam post penetratam a se cur-
tam retinet, quod occidentalis quidem non efficit, siquidem humidi
superfluentis causa accedit nulla, cum in occidentali plaga frigus il-
lud suum Saturnus retineat.

De Ioue circa corporaturam.

Quoties autem Iupiter locis ipsis dominabitur, fueritque; orientalis, quo-
nia calidi atque; humidi, quae ipse qualitate praeditus est, magna ei fiet
accessio, nati staturam proceriorem decernit, ac proceritati dignitatem
adiungit, propter partium corporis conuenientiam, sanguinisque; tem-

peramentum, cum sit etiam Iouis ipsius ac Veneris propria concoctio -
no. Itaque; ab illo dignitas, ab hac formae uenustas, tanquam a fonte ri-
uus profluit, ac, nequid uideatur deesse dignitati, oculos quoque; nigros
addet, capillumque; promissum, et defluentem, rariusculum tamen,
quodamque; cum mediocritate, candorem autem praerentem illum qui-
dem, per omne corpus diffundet. Atque; haec quidem omnia ab optima,
et maxime ubere sanguinis temperatione proficiantur, qua concre-
tione natus ipse praeditus erit. Humidi enim calidi que; abundans mix-
tura, aequabilis tamen inter se, tum oculorum, capilli que; nigredinem,
tum staturae proceritatem ac dignitatem formae, tum etiam candorem
late magnum naturaliter gignit. Haec autem ipsa humiditas ab orientali
statu Ioui quidem addita, Saturno uero potius intrusa, sic accipienda
est, ut caloris quaedam etiam fiat adiunctio, Ioui quidem maior, quo-
nia ex parte calidus, Saturno autem minor, quoniam suapte natu-
ra frigidus et senex est. Atque; in Ioue quidem calor ipse uegetior erit,
in Saturno autem imbecillus, et per te pesceus. Glacies autem Soli ad-
motae, aut igni cum deliquescit, calorem necesse est aliquem in ira se
admittat, quo calfaciente liquitur. Occidentalis uero Iupiter colorem
etiam album diffundit, non tamen eo nitore conspersum, quem orien-
talis explicat. In occidua enim plaga stellarum omnium, etiam Solis
ipsius radij suppaescunt, magis quam nitent. Quid quod iter mane
ingredientes hilariores sumus, uiribusque; uegetioribus, uesperis autem
lassi admodum ac defecti uiribus domum reuertimur, Capillum
quoque; promittit. Vix autem fiet, ut natus ille futurus sit caluus, aut
si fortasse contigerit, caluitium ipsum erit omnino modicum. Cum
enim Iouis stella maxime temperata sit, non nisi rarissime potest
illius radijs immoderatio tanta afferri; extrinsecus stellis ab alijs, ut
calido, humidoque; (ea est enim propria illius suppellex) omnino spoliatur.
quo circa si caluitium ipsum tandem aliquando contigerit, neque; erit
ipsum magnum, neque; deformis illa frontis expilatio atque; capitis, Sta-
turam autem mediocritate quadam ita temperabit, ut quod ad medio-
critatem orientalis addebat, demat illud occidentalis. At corporis to-
tius concretioni humidi plusculum adiacet. Haec igitur a Ioue domi-
no et cum orientalis, et cum occidentalis fuerit, de nati forma con-
cretionisque; portenduntur.

De Marte circa corporaturam.

Mars locorum dominatum obtinens, atque; orientalis staturam longiorem

pollicetur, calor enim sursum impellit, bonum item corporis habitum ruboremq; albo conspersum, oculos uero caesios, corpus hirsutum, capillumq; mediocrem decernit, concretionem autem eam, quae calidi, ac siccus plusculum in se habeat. hac enim qualitate Mars est praeditus. quo fit ut a cerebri compactione oculorum color sit caesius, sanguinem quoq; sic calfaciet, atq; ut proprie magis loquar, concoquet, qui tamen nequaquam erit exiguus, propter orientalitatem ipsam, quae suapte natura humectat, ut rubor ille sanguineus albo conspergatur, referatq; candorem immixtum. Albescere autem sanguinem de calore, ac concoctione lac docet, semenq; genitale. Calor idem Martius, qui excrementi multum ad cutem impellit, nam et ipse humorem quoq; ab orientali, ut dictum est, regione contrahit, multos quoque pilos, per totum corpus diffundit. Calida enim et humida corpora sunt excrementosa, quae diffusionem cum excrementorum longe minus ad caput feratur, capillus ipse mediocri redditur. An eadem forte causa capillorum prouenit mediocritas, quae oculorum color caesius? Idem Mars occidentalis cum fuerit, staturam mediocrem decernit, colorem rufum, capillum flauum, corpus glabrum, oculos minutos, concretionem uero, in qua siccitas praepolleat. Quod enim corpus reliquum glabrum est, capillus non temere fit longior, excrementis illum tantum pascentibus, quod uero flauus, existit de siccitate maiuscula. flauum enim ad album accedit. nam et frondes, et folia exucto humido flavescent. An potius a defectu caloris? dum quod humidi excrementi inest, putrescit calore deficiente, ut iam dictum est de canitie. flauus enim color est cano propinquior. Quod etiam glabrum fiat corpus, ab excrementorum exiguitate proficitur, quod mediocri statura, ab ariditate nimia. Mars enim uespertinus mirifice inarescit, demumq; ob uespertinam siccitatem, quod addebat, ab orientali humectatione madefactus. Deniq; qui color tantum rufus decernitur, a sanguine existit non dum exarato, atq; rarefacto, propter imbecillitatem caloris. Quod in aeternis lignis cernitur, rubescit enim in initio ignis, antequam materiae humidum sit exhaustum, quo sensim consumpto tandem candescit. Quod autem ante dictum est, planetae uespertini tanquam senescentes inarescunt, donec in gyrum ad humectationem redeunt, quo interim tempore efficiuntur inuolui, et tanquam exfoxi uiribus. Quod uero ad oculorum exiguitatem pertinet, ut non multo ante diximus, Mars, ac Saturnus cum sint intemperati, uix aliquid exacte, suosq; per numeros concinnatum reddunt. Atq; ut Saturnus oculos crassiores facit, cum sui humi-

ditatis excitator idem et coactor quasi quidam sic est contrario Mars paruos ac minutos, propter nimiam siccitatem caloris sui comitem. Haec enim tam intensa Martis siccitas causa est, cur cerebri, quantitas sit etiam exigua, caputq; etiam ipsum exiguum. Frustra enim, imo inutiliter, et, pene dixerim, monstrifice natura laboraret in capitis magnitudine molienda, si cerebri exiguitas, cuius continendi gratia facta est testis, minori potest spatio contineri.

De Venere circa corporaturam.

De Venere autem, ubi dominatum et ipsa quidem orientalis adepti fuerit, non alia tradentur a nobis, quam quae de Ioue tradita sunt in disponendo corpore, atq; in concretionem temperanda. Illud tantum admonemus, quod non multo ante demonstratum etiam est, formae dignitatem a Ioue, uenustatem a Venere nascentibus iribui. Quam ob rem tamen si Venus in uniuersa formae corporisq; constitutione Iouis est imitatrix, similitumq; effeatrix, uenustate tamen sua omnia condit, et a dignitate illa, quae Iouis munus est ad muliebrem gratiam, quod munus suum est, illecebrosiuscule traducit, nam et colorem, et faciem omnem quadam quasi mollitie sic conspergit, ut blandiri iam uideantur, oculis letitiam inspirat, et (ut Poeta inquit) laetos honores afflat, siquidem poeti erunt, et, ut Catullus inquit, ebrioli atq; illecebrosi adeo, ut ad amandum alligant, ac uoluptatis deliciarumq; admoneant, Deniq; id praestabit, ut ex omni parte gestus, singulique etiam motus addeant. quae omnia ab eximia quadam, sanguinis, humorumq; temperatione defluunt, partiumq; inter se concinnitate.

De Mercurio circa corporaturam.

Mercurius et ipse dominus, atq; orientalis concretionem sic moderatur corporis, ut ea ad siccitatem sit declinata. quando eius stella retorrida est, a statu tamen orientali et plusculum caloris, et humidum non exiguum sibi mutuatur, quae est re staturam facit moderatam, corpus bene compactum, et quadratum, ut dicunt. Neque enim temere palestrae inuentor Mercurius dictus est ab antiquis. De siccitate autem qui terrenus humor est, musculi, membraq; soliditatem ac robur assumunt, oculos paruos efficit. siquidem, ut de Marte iam diximus, et humidum natuum, et cerebrum haud mul-

nam erit in nati illius temperatura, Capillum autē mediocrem, q̄ ob eandē exiguitatem generare eum multum nequeat, Colorem mellis si nullum, Græci μίλιον dicunt, uidelicet ob sanguinis maiorem inflammationem, humidūq; penuriam, quo fit, ut pallorem quasi quēdam, eumq; subcroceum inducat. Consuevit tamen pallor fieri ex humore putrido, sanguineq; male concocto. Vbi uero occidentalis fuerit, colorem itidem croceum, atque in pallorem aliquanto magis declinantem, pillum ac capillum uehementer rarum, propter siccitatem uidelicet, quæ ob occidentalem statum Mercurio accrescit. Quæ est re corpus ipsum gracile, ac macilentum, & penè depile reddetur. quando sanguis ipse inarescet adeo, ut carnem creare multam nequeat, quæ membra ipsa bene uestiat, quam ob rem crura, pedesq; mali positus formæq; ineptioris erunt, tenues illi quidem, pelleq; tantum contecti, ac fortasse planci, & ut Plautus inquit, Crocodila crustula, neq; inepte Ptolemæus ἀγρόνιας eos futuros dicit, Capillum subrufum, oculos autem concavos facit, atq; intra supercilia immittit, propter cerebri exiguitatē, atq; arefactionē, cum deficiente succo, cerebroq; parcius illū subministrante, oculi ad locum à natura decretum produci, atq; illic collocari nequeant, in ipsoq; itinere à natura destituti relinquatur. Horū autem omnium causa est cerebri, humorisq; eius penuria, quando Mercurius ipse suapte natura perquam aridus est, & status ipse occidentalis ac senilis longe amplius illum exiicat.

De Luminaribus circa corporaturam.

Quemadmodum autem oculorum omnis ac capitis temperatio ad cerebrum refertur, sic calor ad cor, cumq; erraticis cæteras Solis, Lunæq; subministras in generatione dixerimus, generationemq; ipsam Soli, Lunæq; omnino delegauerimus, ille nanq; formam inducit, hæc materiam præstruit, in hac ipsa quoq; formandorum corporum constitutione temperaturaq; consideranda, cum primus Luminarium ipsorum status, habitusq; animaduertendus est, quo uidelicet è loco & ipsa aspiciant, & aspiciantur ab alijs. Si enim feliciter signis ipsis, ac domibus signorum configurabuntur, corporeæ constitutioni plurimum favore suo conferent, siquidem staturæ ipsi longitudinem, compactioni partium decorem, membris robur, membrorum, ac partium locationi responsum adijcent, bonumq; habitum per corpus uniuersum diffundent, deniq; corpus ipsum in quadrum ita redigent, ut id sibi parte ex omni conuenientissime respondeat. Cum primus autem Sol

proceritati

proceritati corporis, ac formæ dignitati consulit, bonumq; habitum constituit quippe cum calore suo cuncta foueat, fouendoq; robur adiungat. Luna uero nõ parum etiam ipsa conferet partium ac membrorum responsum, munus tamen eius potius est humectare, quod enim calore proprio uacua est, & ut præci Latini locuti sunt, cassa, suapte natura nec magnitudini adijci quippiã, nec amplitudini, quando calor est propriū sursum prouehere ac producere, quæ est productione longitudo primum constituitur, ac deinde in latus diffundere, quæ est re latitudo extenditur. Quo fit, ut Luna in constituendo corpore moderationem quandam, potius quàm longitudinem, & macilentiam prius quàm obesitatem portendat. Quæ ob rem cursus illius, defluxionesq; diligentissime obseruandæ sunt, & cum sola locis, ac locorum dominis affuerit, & cum à Sole in sociam ascita uires uterq; suas simul illis contulerint. Illud uero certum est corporis affabrefactionē, partiumq; ipsarum probatam illam, æquabilemq; conuenientiam à Sole potissimum Lunaq; proficisci, de quibus quidem illud mihi dicendum uidetur, in constituendis, ac disponendis corporibus, quæ de sale in condendis dapibus, quarum quidem commendatio omnis à salis condimento proueniat, eiusq; temperatione.

De Maturatione stellarum circa corporaturam.

Atq; ut ad erraticas quinque, ætatesq; illarum reuertamur ac tempora, ubi eæ matutinæ fuerint, hoc est ubi à Solis complexu, soturaq; digressa apparere mane cœperint, atq; ante Solis exortum radijs suis liberius utentur, uniuersim quidem staturas ipsas magnas, corporaq; etiam magna decernunt. Etenim ætas illa stellarum penè puerilis, atq; in adolescentiam uergens permulto humido corpus irrorat, quod à calore etiam abundantiore sotum, uehementius illud producat. Si quidem stellæ ipsæ à Solis coniunctione digressæ, perinde ut fœtus in lucem uenientes materna ex aluo, maximam secum humidi uim suo cum calore afferunt, magisq; in dies concalcant, donec ad primæ stationis locum puenerint. Stationariæ autem effectæ, quoniam adolescentiam iam impleuerunt suam, corpora decernunt uegetiora magisq; robusta, quibus uires etiã maiores insunt, eademq; contentiores. Ætas enim hæc stellarum quæ iuuentam refert, calore multo abundat, à quo siccata illa humidi superfluentia & citem & ossa & nervos uehementius indurat, quæ de re robur enascitur. Molliæ enim cedunt, contra dura subsistunt, contentiusq; aduersata repu-

gnant. Nec uero inepte Poëta finxerunt Heben hoc est iuuentam Herculis uxorem fuisse, quando corporea fortitudo ætate huic attribuitur. Vbi autem ab hoc statu deturbata repedare, progrediq; retroceperint, tanquam reiecta fabrili regula suam nec numerum retinet, nec mensuram, tum in collocandis artibus, tum distribuendis partibus, modi, mensuræq; oblitæ. Quem enim seruare modum, aut retinere mensuram potest, qui aduerso naturæ modo proficiscitur, & tanquam auersa fronte incedit? Itaq; membrorum conagmentationem, partiumq; inter se coniunctionem inæqualem, maleq; sibi responsuram decernunt, quo fit, ut corporatura ipsa inconcinna, & rudis futura sit. Vbi uero secundam ad stationem peruenere, cum uirilem iam, proeclatoremq; ætatem referunt, quod ætas illa exhausto magna è parte humido, ac penè à calore exucto in siccitatem uergat, corpora imbecilliora decernunt, quod fore necesse est, propter humidi ipsius inopiam ac sanguinis. Neq; enim statura produci, neq; membra ipsa euadere robustiora possunt, si foetus ipse ab initio iam arescet, quod in arboribus ubi gemmare iam, ac deinde pullulare uere incipiunt, facile cernitur. In hoc enim statu erratici constituta imbecillior est, quâdoq; dem recto cursu non dū incedit. Vespertinæ tandem effectæ, ac senescentes necesse est pro natura ætatis illius, quæ deformis est corpora etiam deformia fabricentur, quippe cum senectus ipsa humido cassâ sit, atq; à calore destituta, ac propter siccitatem, frigusq; aduentans artus ipsos neq; fouere ualeat, neq; perficere. Deformitas enim ipsa corporis è uitiosis, ac male compactis, imperfectisq; è partibus manat, deq; carentia sanguinis maxime, quod & hyems declarat, quæ senectutis q; simillima est. quid enim hyeme deformus, ac brumali tempestate foediuss. Nil mirum igitur si in hoc planetæ statu corpus non modo deforme, maleq; in partes distributum fuerit, uerum etiam si uitiosis, occultisq; oppleatur humoribus, multisq; ægritudinibus obnoxium fiat. Quo circa ætates quoq; & status planetarum, qui dominatum sortiuntur constituendorum corporum, cum primis considerandi sunt. Medici quoq; non solum tempora, statusq; ægritudinum distinguunt, uerum etiam ægrotorum, neq; enim eadem ratione puerum, ac senem, adolefcentem, atque ætate iam proeclatorem curant. De erraticis igitur in hac parte hætenus. Reliquum est, uti de signiferi quoq; orbis quadrantibus præcipiamus, quorum naturæ, potestatesq; corporumfigurationibus, concretionibusq; multum quoq; conferunt.

De Quadrantibus circa corporaturam.

Primus autem quadrans, qui uernus dicitur, quiq; ab æquinoctio uerno in æstiuam Solis conuersionem producit, quod ætatem & ipse puerilem sequatur, humido, calidoq; abundat, concretionem quoq; corporis huiusmodi futuram decernit, staturam etiã proceram, bonumq; totius corporis habitum, oculos etiam honestos, ac colorem iucundum, & floridum. Atq; hæc quidem quæ à quadrantibus portendantur componenda ac comparanda sunt cum erraticorum significationibus. ubi enim simul conuenerint significationes ipsæ, utrinq; augebuntur, si repugnauerint, temperatione utendum erit, pro natura repugnantis ipsius. Quadrans secundus qui ab æstiuâ Solis conuersione in autumnale protenditur æquinoctium, quæ è re æstiuus dicitur est, iuuenilisq; ætatis naturam ac uigorem refert, quæ calido, siccisq; abunde præditæ est, concretionem ipsam corporis calidiorem, minus tamen humidam futuram portendit, suiq; ipsius persimilem, staturam mediocrem, neq; enim uiracitatem corpora in longum protenduntur, habitum bonum, pilos densiusculos, capillos plerumq; flexiles, oculos gradiores, colorem uero qui non satis delectet intuentes, Græce est *μίσος*, neq; enim iucundus, & floridus, qualem iam diximus, esse poterit, propter humidi subductionem. Color enim ille uenustus, & blandus à calido, humidoq; exactius temperato redditur, existitq; è proba sanguinis moderatione. Qui tertius est quadrans, atq; autumnalis dicitur, ab æstiuâ conuersione in autumnale perlatus æquinoctium, perinde ut autumnus ipse arido, frigidoq; exhuberat, concretionem ipsam corporum iisdem his siccis, frigidisq; humoribus referat. Colorem autem croceum, atq; ut hodie dicunt, melleum, capillum mediocrem, oculos pulchros, gracilemq; corporaturam denuntiat. Qui numero quartus est, atq; ultimus, quiq; ab hiberna conuersione hibernus uocatus est quadrans, quod etiam frigido, humidoq; refertus est, concretionem quoq; corporum frigidiores, atq; humentiores indicat, staturam mediocrem, capillum promissum, corpus subglabrum, ac penè uulsum, compagemq; ipsam membrorum, partiumq; concinnationem satis accommodatam. Colorem autem subnigrum, ac fuscum significat. Atq; hæc quidem generali quadam regula, præceptioneq; traduntur. Quadrantes enim ipsi orbis signiferi proprietates, ac naturas habent quisq; suæ, quemadmodum regiones ac terrarum situs ad ortum occasumue, aut in meridiem, septentrionemue inclinantes.

De stellis fixis, & signis circa corporaturam.

I am uero signa ipsa, & quæ in Zodiaco, & quæ extra collocata Zodia cum sunt, particulatim atq; alia quadam ratione animaduertenda sunt, eorumq; potestates metiendæ. Primum q̄ earum alia humana, ut Virgo, ut Gemini, ut Andromeda, ut Cassiopea, alia bruta, ut Ari es, Taurus, Cygnus, Canicula. Et humana quidem signa artus ipsos, membrorumq; informationem ad humanorum similitudinem, æqua litatemq; constituunt, at bruta, qualia ferarum sunt, membra fabrican tur, ac persimilia illorum humano in corpore moliantur, siue ad ro bur, imbecillitatem ue, siue ad crassitudinem, aut gracilitatem, siue ad longitudinem, aut breuitatem, siue ad pulchritudinem, turpitudinem ue, siue ad rectitudinem, uel obliquitatem, aut ad decorem, indecentiam ue, qualia animalium ipsorum sunt. Siquidem non nulla etiam si gna ad robur, ad pulchritudinem, ad longitudinem, ad amplitudi nem, qualitatesq; ad alias corporis non parum adiungunt, qualia sunt Leo, Virgo, & Sagittarius, contra Pisces, Cancer, & Capricornus de munt. Nam & Leo quod ualentissimum animal est, robustioriq; cor pore præditum, addit ad uires, ad membrorum uegetationem, uigorem, amplitudinem. Virgo, quia humanam formam representat, multum confert ad pulchritudinem, ad formam ipsam, qualis humana est reddendam, suasq; per partis decenter concinnandam. Sagittarius qua parte homo effingitur idem hoc præstabit, at qua equus, et robur adiunget, & artus maiores statuet atq; amplificabit membra. Demet autem de robore, uigore, magnitudine, pulchritudine, qualitatibusq; alijs humanæ corporaturæ proprijs Cancer, Pisces, & Capricornus, belluæ quidem ipsæ deformes, incompositæ, imbecillis uiribus, mem bris male compactis, statuq; corporis totius inualido, atq; inconcinno. Si enim parentes ipsi, atq; item patria, erraticæ quoq; bene collocatæ liberorum e gregiam formam, corporisq; constitutionem eximiam pro miserint, nimirum adiment hæc ipsa signa non parum de parentum, patriæ, erraticarumq; pollicitis, ubi unum aliquod eorum aut ascen derit, præsertim ferino alio cooriente, aut dominus ascendens seu lo ci Lunæ Solis ue in eorum aliquo fuerit collocatum. Quin etiam signa quædam sunt, quæ prioribus a partibus bonum corporis habitum inducunt, uiresq; maiores corporibus induunt, membraq; consurgunt ue getiora, qualia sunt Ari es, Taurus, Leo. quando hæc ipsa animalia a ceruice, pectore, atq; armis, quæ priores sunt partes, longe maxime præstant. Secus aut Gemini, Scorpius, et Sagittarius prioribus a parti tibus sunt

bus sunt imbecilliores, tum a posterioribus magnopere ualeant. Po steriora enim Sagittarij sunt equina, præcelluntq; humanis, Scorpius ualet a clunibus, homo autem ipse (nam Gemini humanum est si gnum) in humeris, ac lumbis uires suas, roburq; præcipue colloca tum habet. Quo circa si aut horoscopus constitutus ualentioribus in partibus fuerit, aut dominus signi horoscopantis, siue dominus signi Lunæ ibidem collocabitur genituræ tempore, magna ex hac colloca tione corporis uiribus, bonoq; eius habitui fiet accessio, sin imbecilioribus constituentur in partibus, magna rursus fiet ademptio & ui rium et habitus boni. Virgo item, Sagittarius, ac Libra (quod huma na signa, quod bonam integramq; membrorum dispositionem par tiumq; inter se conuenientiam retinent) ad conuentionem partium ipsarum, formæq; decorem adiuuenti plurimum afferunt. Contra Pisces Scorpius ac Taurus dispositionem ipsam membrorum, ac par tium conformationem, corporisq; totius statum redigent ad inæqua litatem, atq; inconuenientiam, ut parum apte, ut ne, quod dici solet, ad lineam sibi respondeant. Sunt enim signa incomposita Pisces, & Scorpius, formæq; illorum fœda, si nostram respexeris. Quæ autem Tauri ceruicis, ac palearium ad caudâ, clunesq; proportio? Itaq; il lis in corporibus partes ipsæ, totaq; compactio proportionem, respon sumq; parum utiq; suum retinebunt. Est profecto res hæc difficilis ad modum cognitu, iudicatuq; propter multa ac diuersa quæ ipsa inuicem aduersantur. Nam pulchritudo, aut deformitas parentum parū sepe numero cum cælo conuenit, non raro patria, cum alibi corpora hominum proceriora, ut in Germania, alibi breuiora nasci soleant, ut in Hetruria. In Carthaginensi a gro fusca, in Lugdunensi candida naturaliter orientur, sepe numero etiâ signa ab erraticis, erraticæq; ipse inter se dissentiant, quin partes etiam signorum longe differât, priores a posterioribus. Per sepe etiam horoscopi dominus, lociq; Lu naris, stellæ item aspicientes diuersarum sunt uirium, atq; effectio num. Non nunquam etiam tum planetæ horoscopantis, tum domini horoscopi longe alia est natura. Quid quod non raro auorum, proauo rumq; semina repullulant in nepotibus, ac pronepotibus? Quo igitur iudicatu res est difficilior, eo maior, atq; elaboratior in commi scendis ac temperandis in uniuersum, ac per partes decretis, significa tionibus, potestatibusq; stellarum. Ac præsertim luminarium adhi benda diligentia, ac perpensio est.

FINIS

HHH

IOANNIS IOVIANI PONTANI
AD ALDVM MANVTIVM
DE REBVS COELE-
STIBVS LIBER
DECIMVS

Verūtur Alde Manuti a remotissimis etiam se-
culis non inerediti quoq; uiri, terram consene-
scere, tanq̄ effoetam, quod in mulieribus usue-
nit. Cui opinioni Aristoteles quoq; consentiat. Ego
uero et uetustatem ipsam sua cum eruditione de-
riderem, et Aristotelem, licet eminentissimū Phi-
losophū, non sine irrisione demurrer, talia dicentem, si de nostra ipsi
senectate loquerentur, ac si elementa ipsa prorsus essent tandem ali-
quando interitura. Quid enim est aliud cōsenescere, quā ad interi-
tum properare? Nam nec terra prorsus est interitura, quanquam
Christiani sumus, neq; in nihilum abitura, nec si generationi finis quā-
doq; statuendus est, futura tñ est terræ, elemētōrūq; ipsōrū ac cœli rui-
na, in nihilūq; abitio. Verū terra ipsa sic consenescit, ut per partes,
regionesq; perq; regionum fines multum amittat de ueteri uberta-
te, soli q; opulentia. quemadmodum ē contrario aliæ atq; aliæ regio-
nes ac loca nouas uires ad fecunditatem suscipiant, nouaq; alimen-
ta ad frugum procreationem, ac rerum copiam. Quod non solum
in ubertate contingit a grorum ac soli, uerū etiam in potentatibus,
atq; imperijs, id quod Aethiopum, Persarum, Græcorū, Carthagi-
nensium, Romanorum, itemq; Gallorum, Germanorum, ac Gotorū
docent imperia, quiq; maxime nunc formidolosus est Turcarum do-
minatus in maxima Asiæ parte, Europæq; nequaquam exigua. Nec
igitur interitura est terra, nec ita consenescit, hoc est uariant eius ui-
res, naturalesq; effectiones, ut sit ipsa in nihilum reditura, uerum ut
per uices quasi quasdam nunc hæ, nunc illæ regiones, ac terrarū tra-
ctus uires aut maiores suscipiant, aut multum ipsæ amittant de ue-
teri fecunditate, ac germinandi robore. An nō ætates quoq; nostræ,
et secula ipsa uariant? Quis igitur dubitet uariare suis etiam æta-
tibus ac seculis cœli ac stellarū uires, significationes, effectus? cum
et motus ratio aliter atq; aliter mutetur, licet una atq; eadē ipsa sit,
et partes ipsæ fines non eosdem retineant, uerum stellæ loca mutent
sua, et cœlum per partes undiq; uariet, atq; a se ipso minutatim dif-
ferat. Quæ res efficit, ut hæc ipsa disciplina, cœliq; ac stellarum ob-

seruatio coniecturalis et habeatur, et sit, perinde ut est res milita-
ris, naualis ac medicina, quodq; maximum inter homines est ac pul-
cherrimum, rei publicæ administratio, propter rerum, ac temporū
uarietatem, euentūq; successum. Quibus in hunc modum explicat-
tis ad ea, quæ reliqua sunt, transeamus. Hæc autem ita dicuntur a
nobis, ut commonesciamus syderaliū rerum studiosos, quæ de stel-
larum cœliq; prospectibus, ipsiq; configurationibus traduntur, ea
nequaquam perpetuum tenorem seruare, omniq; e parte necessitate
inducere, tum propter ea quæ dicta sunt, tum quia inferiores cau-
sæ superioribus per sepe aut parum conueniant, aut aduersa etiam
fronte repugnent.

¶ Voniā autem ita natura comparatum est, ut hu-
mana corpora quando corruptibilia sunt, externis
affectionibus sint exposita, neq; enim mortale cor-
pus est ullum, cui non etiam permulta necesse sit ac-
cidere, diuersisq; illud modis ac rationibus affici, de
hac quoq; parte, quæ ad corporum uitia, ualitudinesq; pertinet, di-
cendum relinquatur. Vitia uero ac ualitudines (quoniam corpus af-
ficiunt) affectionum appellatione comprehendere uolumus, uitium au-
tem intellegi, cum aliqua corporis pars uitiata est, ut cum aliquis aut
oculo captus est, aut os habet cicatricosum, ualitudines uero, quibus
certo quodam tempore corpus uexatur, ut febres, ut laterum dolores,
ut tusses, sanguinisq; profluuuium. Ac uitia quidē ferē perpetua sunt,
ualitudines uero et sanantur post suum tempus, et rursus uexare
corpus aut uniuersum, aut in parte aliqua consueuere. Ad hæc uitia
ipsa pleraq; externa ui, fortuito ue inferuntur, ut ferro, igne, rui-
na, casibus, cum ualitudines humorum ē corruptione oriantur, deq;
malo corporis ipsius, aut aëris, aut aquarum habitu. Harum autem
affectionum principia, et causæ a cœlo quoq; proficiuntur, cuius
motibus inferiora hæc corpora subiecta sunt. Neq; enim una est cor-
rumpendi uia. Quod si corruptio existit a cœli motibus, et media per
quæ corruptio inducitur, inde quoq; existent. Atq; ut motus qui-
dam sunt qui ab humoribus corruptis morbos prouenturos porten-
dunt, sic et qui ab aliqua ui externa. Etenim homo cū a cœlo cōsti-
tutus ita sic, ut artium plurimarum inuentor sit, atq; exercitator,
uiuendi necessitate et gratia, sitq; illi ingenita tutandi corporis
sui cura, instrumenta quoq; sibi ipse adinuenit, quibus seq; suaq; tue-
atur, qualia sunt tela, senses, iacula, atq; ubi hæc defuerint, non de-

sunt fustes, lapides, torres, atq; ut Poëta inquit, faces, & saxa uolant, furor arma ministrat. Adhæc cum sit homo natura irascibilis, necesse est ab ira quandoq; ut commoueat, & iniuriam quæ infertur, quibus potest artibus propulset, in qua propulsanda instrumentis illis utitur, quorū natura tutandi sui causa inuentrix fuit. Armauit hæc cætera animalia suis quodq; genus armis, cornibus, dentibus, unguibus, rostris, hominem naturalibus his armis destitutum, armauit industria, perquam arma sibi extrinsecus præparauit. Quid igitur mirum, si a cœli motibus hæc ipsa inuuntur, quorum causæ a motibus eius manent? Quin signa quædam cœlestia ea natura sunt prædita, ut ad artes huiusmodi faciendorum armorum homines inuident, quædam, quæ ad curanda uulnera, externa ui, gladijsq; ab arte inuentis illata. Quo circa & uitiorum & ægritudinum significationes in cœlo repositæ sunt, atq; illarū notæ motibus illius insitæ, de quibus hæc quidem tradimus obseruanda.

De Locis inferentibus uitia, aut ægritudines.

Ortus & occasus, ut alibi dictum est, alter lucis id est uitæ author est, unde qui nascuntur, uenire in lucem traduntur, alter tenebrarum & mortis, quo factum est, ut qui moriuntur, obire diem dicantur. Vt igitur ab ortu quærentur ea, quæ ad uitam, atq; animalitatem, quin etiam ad formam ipsam, corporisq; constitutionem pertinent, de quo paulo est ante dictum, sic ab occasu, qui luci, hoc est uitæ opponitur, quærenda sunt illa, quæ & uitæ obsunt, & mortē minuantur. Quando ægritudines, uulnera, quæq; uis aut uniuerso corpori, aut membro cuiuspiam exterius affertur, media quædam sunt ad moriē inferendam. Iure igitur in eorum qui nascuntur genituris occasus ipse diligentissime inspiciendus est, num quæ stella præsertim malefica illi insideat, aut aduersis radijs hostilem in modum feriat, seu de quadrangulo loco, eoq; aut dextro, aut sinistro, seu de opposito, ac diametro, id est ab ipso exortu, in quo uitam constitutam esse diximus. Siquidem pro stellarum ipsarum naturis ac minutionibus uitia futura sunt, morbi item, ac mortes ipsæ, ubi min.æ letales fuerint. Verū nūc de uitis, ac ualitudinibus, quibus indagandis tria sunt loca consyderanda horoscopus, id est quæ ascendit cœli pars ab exortu, occasus id est aduersa horoscopo cœli pars ea, quæ deorsum, inferius in hemispherium deiicitur, ac sextus locus, qui occasum antecedit, nomenq; a ualitudinibus accepit, Marti q; addictus est, nullamq; cum horoscopo

coniunctionem habet, unde a Græcis ἀούρητος dicitur, quibus in locis maleficæ ubi inuenta fuerint, malignitatē suam facilius exercent. Siquidem septimus locus propter situm, nā horoscopo opponitur, & inde tenebræ erumpunt, uitæ quoq; nati, cuius quidem horoscopus significator est, et corpori, cuius constituendi ius magna sibi e parte idē uendicauit, hostilem aduersatur in modum. Sextus uero quoniam nulla non ratione ab horoscopo disiunctus est, nihilq; cum illo familiare, aut amicū habet, uitæ incolumitati, bonæq; corporis ualitudini insidiatur, et tanquam e latebris bellum parat. Sin stellæ locorum horū neutrum insederint, uerū e quadrangulo, opposito ue loco, aut utriq; aut alterum saltem radijs suis percusserint, hæc quoq; irradiatione, & uitæ & corporis damnum moliuntur. Maleficæ quoq; in horoscopo collocatæ, præsentia sua locum ipsum insicit, quin etiam septimum in locum ab aduersa fronte radios mittit. Quo circa iure tria hæc loca consyderanda sunt, et qua uero ratione configurerentur, diligenter uide dum. In qua quidem consyderatione illud quoq; pensitandum, num stellæ ipsæ partiliter illic aut insideant, aut loca ipsa percitant (aspectus enim partilis maximas atq; efficacissimas uires habet) an platicæ, ut Iulius Maternus usurpat, qui aspectus longe minorum est uirium, efficaciatq; imbecillioris. Partilem uocamus aspectum, cum ascendente ab ortu prima Arietis parte, ab occasu præcipitat se inferius in hemispheriū pars Libræ prima, in qua malefica constituta sit, aut fortasse in parte haud ita multum distante, Platicum uero, cum ascendente parte eadem Arietis, malefica inueniatur se deiiciens e uigesima quinta Libræ parte, aut in alijs eiusdem signi partibus, quæ a prima longiuscule absunt. Vt autem priorem illum aspectum partilem, sic posteriorem hunc qui Græce est ματινός, nouo sed proprio tamen nomine appellare sepositum, ac remotiorem, quin etiam laxiorem placuit. Quæq; stellæ ratione hac se se uiderint, tum sepositæ, ac remote, tum etiam e signo intueri se dicemus. quod non ex ipsa parte, uerum sepositis, atq; interiectis compluribus signi eiusdem partibus inuicem se conspiciant. Erratica igitur stella constituta in ipso pūcto, atq; ut Græca dicunt centro, siue ut recentiores Latini in ortus, occasus ue, hoc est primi, aut septimi loci angulo, firmioribus, ac uehementioribus utetur uiribus, & ut sagittarij loquuntur certius figet, ex ea enim parte longe acrius ferit, quàm cum e partibus remotioribus, magisq; a puncto distantibus, quanquam signi, lociq; illius spatio partes illæ continentur. Quadrangula quoque irradiatio, aut opposita angulum ipsum partiliter feriens multo etiam magis no

xia est, quam quæ loci eiusdem partes remotiores, quæq; ab angulo longius recedunt, percussit. Itaq; uis illi maior, ac significatio uehementior, huic autem irradiationi minor inest ac remissior. Beneficæ quoq; stellæ a locorum contagione insciuntur, non aliter quam regio pestilens insicere incolumes, ac bene ualentes consuevit. Si quidem Venus quamuis beneficæ, septimo tamen, aut sexto in loco constituta, & a maleficæ stella minaciter percussa uitia, & gritudinesq; decernit, ac diuersa malorum genera. Quemadmodum enim mors non a bile tantum rufa, nigra uel infertur, uerum etiam a sanguine, ac pituita, sic etiam ualitudines. Quo circa beneficæ etiam stellæ uitioforum locorum contagione infectæ humores quoq; quibus præsent, insciunt, ualitudinesq; ingenerant, maxime si a maleficis quoq; uexabuntur. Etenim Venus genitura cuiuspiam tempore septimo in loco ac tropicis in signis, aut squamosis constituta si a Marte de quadrangulo, opposito uel loco percussa fuerit, aut uterq; simul coniungentur, natum illum impurissimæ libidinis sârde foedabit, quibus ubi Saturnus aspectu præsentia uel coniuictus fuerit, muliebrisq; genitura ipsa fuerit, eam mulierem Venus in genus suum inflammabit, cogeq; crissari, atq; abuti puellis, quod de Sapho Poëtria traditum est. Eadem Venus sexto in loco posita, si muliebris genitura fuerit, ob solam loci ipsius malignitatem, portendit mulierem illâ de partu sæpissime laboraturam, enixuramq; magno cum uitæ suæ periculo, aut foetum immaturum edituram, aut etiam lacerum illum, ac membratum a medicis discerpêdû. Quod de Veneris infectione, idem illud etiam de Ioue dicimus, si quidem hoc eodem in loco constitutus Iupiter mala etiam plurima decernit. Vix enim fiet, quin exponatur is, qui in lucem ueniens Iouem sexto in loco collocatum habuerit, fueritq; Iupiter ipse horoscopantus, aut culmnanis signi dominus, genituraq; nocturna. Quod periculum eo erit inenitabilius, si aut Saturnus, aut Sol, aut Mars Ioui è fronte aduersabuntur, aut deficiens ei Luna quadrangulabitur. Neq; enim temere loco huic ab antiquis disciplinæ huius scriptoribus, malæ fortunæ cognomentum est inditum, quando nulla non erratica ex eo loco ad maleficiendum compellitur. Quid plura? Venus ipsa quæ uxores tribuit, quæq; tantopere genitrix, ac fecunda est, in quorum genituris locum hunc tenuerit, si mas fuerit, uxorem illi & serius decernit, & aut uiduam, aut ualitudinariam, aut male institutam, aut uiro ipsi male audientem, dabit si mulier magnas illi difficultates, magna etiam minitatur è partu pericula, nunc enim abortus faciet, nunc foetum edet aut acerbum, aut la-

erum, præterquam si medio è coelo aspectus aliquis benignus ariserit. Sed iam ad uitia, ualitudinesq; ueniamus, quæ nobis tribus his a locis potissimum inuuntur, ac præsertim a sexto, ac septimo.

De uitijs, seu ægritudinibus, &
primo de oculis.

¶ In principio loca ipsa uidentur, an simul tria, an duo tantum, an unus solus, an nullus ab erraticis sit insessus, sint ne erraticæ quæ insedere, beneficæ, an maleficæ, an partim beneficæ, partim autem maleficæ. adhæc sint ne ambo luminaria, an alterum tantum an neutrum in ipsis locis. præterea sit ne Mercurius & ipse ex insessorum numero, an fortasse solus? Quod si nulla omnino erraticæ insederit, uidentur est, an è loco quadrangulo, seu septimum, seu sextum impugnent locum, an fortasse utrumq;? His autem cognitis, atq; in numerum redactis, uidentur sunt signa ipsa, a quibus loca occupantur, & item signa, quibus erraticæ impugnantur feruntur, eorumq; qualitates ac naturæ exactius perquirendæ. Cum primis autem uidentur est, an erraticæ ipsæ seu quæ impugnant, seu quæ insident, sint orientales an occidentales? Si quidem matutinæ, quod ualidioribus præditæ sunt uiribus, uitium afferunt, uespertinæ ualitudinem. Cum enim uitia perpetua sint, potentiore a causa proficiantur necesse est, ualitudines ab imbecilliore, quia breuiores, suoq; desinunt tempore, tamen si aliquando fortasse reuertuntur. Itaq; stellæ matutinatio uitium indicat, uespertinatio ualitudinem. Erunt autem uitia ac ualitudines pro natura signorum ac stellarum, & in partibus illis corporis, quæ tum stellis, tum signis ipsis subiectæ sunt. Vtq; de luminariis primum loquamur, quonia oculi obtutusq; ipse Soli, Lunæq; ascribuntur, ut iam diximus, ubi utrumq; aut alterum in locis aut una simul, aut seorsum reperientur, uitium aut oculorum alteri, aut utriq; inferetur, ut autem distinctius loquamur, ubi Luna in ortu, oca su uel, aut sexto in loco partiliter constituta fuerit, atq; a Sole opposita è parte conspecta, natus ille in cuius hoc genitura contigerit, altero capietur oculo, si tamen Martis, Saturni uel præsentia alteri eorum asiterit, aut quadrangulatio offuerit. Idem quoq; continget, si Sol in eorundem locorum aliquo partiliter inuentus hac eadem radiatione pulsetur, quin etiam si Mars, aut Saturnus in ortu, aut oca su partiliter constitutus Solem, Lunam uel quadrangula, opposita uel radiatione percussat, natus ille eadem ratione altero capietur

oculo. Si uero ambæ maleficæ aut simul iunctæ, aut seorsum collocatæ utrunq; luminare percipient, siue luminaria ipsa copulata sint, siue seorsum permicent, utriusq; nimirum oculi orbitas timenda est. Orbitas autem ipsa, cum Saturnus fuerit illius author, a uitiosis humoribus, perniciosâq; suffusione ortum ducet. Quod si eius causa ad Martem referatur, uitium ipsum aut ferro, aut igni, aut ictu, aut externa quapiam ui inferetur, Mercurij autem stella, cuius promiscua potentia est, si & ipsa iaculum suum de quadrangulo, opposito uel loco ita in Lunâ contorserit, ut orbitatis author effectus sit, uitium hoc patrabitur gymnici, palæstricisq; in certaminibus ac ludis, aut exercendo pugillatu. Luna quoq; in aliquo locorum ipsorum collocata, præsertim in cardinibus, si nebula coniuncta fuerit, quæ est in Cancro, aut Pliadibus, quæ sunt in Tauro, aut iubæ Leonis, aut urnæ Aquarij, aut in fronte Scorpij collocata, aut in eo Sagittarij spatio, quod ab octaua parte ad decimam protenditur, aut in lineolis Piscium, siue in ipso Arietis capite, atque a Sole oppositis è regione radijs percussa, alteri profusus oculo lucem adimet, præsertim si Martis, aut Saturni inimica uis se se sociam addiderit. Quod si Solem alter, alter uero Lunam partili radiatione petierit, nimirum natus ille utroq; oculo capiatur. Itidem quoq; utriusq; oculi luce orbabitur, qui Lunâ ex toto ferè lumine suo orbatam, in aliquo signorum horum, atq; in partibus quas diximus collocatam, in cardineq; aliquo præsentem, Martem uero ac Saturnum, aut alterum eorum saltem illi aduersantem habuerit. Quod si plena iam fuerit, euitabit fortasse cæcitatem, uitio tamen aliquo laborabit oculorum, aut ualitudine, seu forte cæcitate, & nota aliqua in ea ipsa aspectus parte fœdabitur. Ad hæc autem, aliaq; uitia insidenda multum conferet, cum erraticæ pro Solis configuratione matutine fuerint, pro Lunæ autem positura uespertinæ. Quin etiâ inerunt oculis eius uitia, aut illis capiatur, in cuius genitura Sol partiliter in horoscopo, Luna uero in summo cardine partiliter etiam collocabitur, maleficarum autem stellarum altera in anaphora Solis, hoc est succedente loco, altera in Lunæ reperiatur anaphora, neq; beneficarum præsidium aliqua è parte affuerit. Laborabit et ille aut cæcitate, aut oculorum graui morbo, qui in lucem ueniens Lunam, Solemq; partiliter simul iunctos habuerit, aut in anaphora horoscopi, hoc est succedente in loco, qui ordine secundus est, in figuræ constitutione, aut in epitaphora, id est in octauo, qui locus succedit septimo, Saturnum uero, ac Martem partiliter in ortu, si luminaria fuerint in anaphora, contra in occiduo partiliter cardine, si luminaria fuerint in epitaphora

phora constituta. Est autem anaphora locus horoscopo finitimus, poneq; illum sequitur, ex eo dicta, quod planeta illic positus, postquam locum illum in quo est, permensus fuerit, sursum ad illum statim se transferat. Quo circa secundus figuræ locus anaphora est orientis cardinis. Ascendente namq; Ariete, si Taurum Sol peragrabit, dicitur Sol esse in anaphora horoscopantis cardinis collocatus. Quo circa proprio, ac Latino uerbo dici a nobis Successio potest, quod cardini statim succedat, inferiori ex hemisperio accedens ad superius. Epitaphora uero dicitur Decessio, isq; erit octauus locus, è quo decedens planeta occiduum declinat in cardinem, uersus inferius hemisperium. Itaq; planeta octauo in loco positus, dicitur esse in epitaphora & decessione occidui cardinis. Hæc autem successio, ac decessio progreditur secundum eum motum, qui est ab ortu in occasum, rapiq; secum & mundum, & sidera. Qua ratione commode ac per apposite etiam dicemus, unde decimum quidem locum anaphoram hoc est successione esse culminantis cardinis, quintum uero locum epitaphoram id est decessione imi, ac recubantis. Maleficæ igitur in ortu occasu uel constitutæ præsentia sua perinde ac pestilenti quodam contactu loca illa inficiunt, ad quæ loca ubi luminaria de octauo, aut secundo è loco se contulerint, quadam quasi contagione inficiuntur. Quo circa humorum corruptio in nati illius corpore futura decernitur, quin etiam oculi decreto iam tempore suffusione grauabuntur adeo, ut facile inde cæcitas subsequatur. An non mirantes homines loca foetida, & ipsi foetore afficiuntur? Quid enim inter mortales contagione perniciosius? Signorum tamen qualitates, naturæq; examinanda sunt, ut humorum quoq; qualitates, temperaturæq; intellegantur, è quibus sit uitium euenturum. Hæc autem ratio efficit, ut oculi tuti nequaquam futuri sint, quoties Sol & Luna in successione maleficarum copulati inuenientur cuiuspiam geniturae tempore. Periclitabitur & ille quoq; oculis, qui Martem, Solem, ac Lunam partiliter iunctos in aliquo geniturae suæ cardine sortitus fuerit, ac præsertim in ijs de quibus locuti sumus cardinibus ortus atq; occasus. Sol quoq; in ortu cum Saturno partiliter collocatus si Martem ab opposito aut è quadrangulo minitantem conspexerit, oculi alterius, ac dextri fortasse oculi futuram decernit orbitatem. Est autem non nihil difficile iudicatu, an ob suffusionem a Saturno excitatam, an ob Martiam uiolentiam. Vtranq; autem ad rem signorum naturæ plurimum conferunt. Vbiq; autem aduertendum est, num beneficæ ipsæ, atq; è loco quidem superiore præsidium suum conferant? Sol quoq; cū

Marte ac Mercurio in occasu partiliter positus luscus efficit, quod profecto vitium a cerebri imbecillitate proficiscitur, a quo & oculi temperantur. Mars igitur ac Mercurius Soli copulati cerebrum inficiunt, atque imbecillius reddunt illustrandis oculis, lucisque abunde hauriendae. Orbabitur fortasse dextro et ille oculo, in cuius genitura Sol in cardine partiliter positus Martem Saturnumue, aut simul utrumque sua in anaphora, locoque subsequenti collocatum habuerit. Progressi enim e loco illo, ad locum quem pridem Sol tenuerat, statim eum praesentia sua inficiunt, causasque naturales excitant, quibus vitium affertur nati illius oculo, qui dexter quidem potius erit, quando dexter quidem Soli, Lunae uero sinister addicitur, qui & ipse uitiabitur, si Luna in cardine similiter collocata Martem, aut Saturnum, aut utrumque simul in anaphora, sua uel in decessione habuerit. Decernitur etiam caecitas eius, qui Solem ac Lunam quauis diuersis in cardinibus collocatos habuerit, siue cardines illi quadranguli inuicem fuerint, siue oppositi, atque in alterius quidem cardinis successione Martem sortitus sit, in alterius uero successione Saturnum. Sole ac Luna partiliter in cardine coeuntibus, si Mars ac Saturnus, alter medium, alter in unum tenerit, aut copulati luminaribus usdem in partibus uterque, aut alter ipsorum fuerit, ex hac quoque configuratione caecitas portenditur, e suffusione quidem si Saturnus, externa uero uel si Mars solus. Alterius quoque oculi calamitas inuitur, ubi Mars ac Saturnus octauo in loco, hoc est in septima decessione constituti, regredientesque Lunam quadrangulo aspectu uiderint, cumque hac luminis calamitate, debilitas quoque corporis timenda est. Quam si Luna fuerit dextro in quadrangulo, dextri oculi amissio, dextraeque partis debilitas indicatur, sin in sinistro, & oculi sinistri, & partis sinistrae infortunium. Quoties inter Solem ac Lunam, antequam coeant, malefica interiecta est, quamuis signa ipsa diuersa sint, caecitatis similiter descrimen timendum est. His etiam configurationibus uidendum est, addatur nec ne domorum inter stellarum commutatio, alteraque alterius accipiatur hospitio, quae res stellarum potestati, ac decreto uirium multum adiicit. Quoniam autem uita, atque offensiones, quae externa uel minime inferuntur oculis, ab humorum deflexione ortum ducunt, quae ubi minor fuerit, suffusiones, atque ophthalmias, ubi maior, magisque continua, uitiuum caecitatis insinuat mirum ne utiquam est, si Luna nebulosis in locis, de quibus dictum est, posita, praesertimque deficiens lumine, atque ad coitum Solis properans caecitatem indicat. Si quidem Luna ipsa ea tempestate frigido, humidoque, hoc est hiberno humore referta est, quodque loca illa ne-

bulosa magno perere etiam humescunt, uim profecto maximam humiditatis euocat, quae assiduo manatu defluens, ac propter frigus aliquanto coactius ac lentius, lucem tandem extinguit. Eadem Luna in Arietis capite collocata id est in partibus tertia, quarta, et quinta, quae caput constituunt, nam prima & secunda cornibus insigniuntur, sexta autem, ac septima faciem designant in qua oculi collocantur, quod Homero contigit, caecum faciet, atque eo certius, si Saturno fuerit ibidem copulata, cerebrum namque usque adeo humectabit, ut in oculos perinde ac uena e quadam humor continenter distillet. Cum enim Aries capiti praesideat, cerebrumque quod capite continetur, collocetur in partibus, quas diximus Luna deficiens plus aequo cerebrum humectabit, reddetque intemperatius, quam intemperantiam Saturnus etiam contagione sua adaugebit, atque infestabit. Vehemens autem assiduaque intemperantia non ualitudinem modo, ac morbum, uerum etiam uitiuum afferre consuevit. Nec uero alienum fuerit, hac praesertim in parte in qua de oculorum uitijs agitur, referre quae ab antiquis scriptoribus, praesertimque a Iulio Materno iraduntur obseruata, quae generis sunt huiusmodi. Sol & Luna tropico in signo usdem in partibus copulati, si Mercurius quoque copulationi huic accesserit, caecitatem obmittant. An uero tropica signa uidentur malo huic accommodatio- ra, quod in illis fiat noctis, ac diei uariatio? Nam & diei diminutio lucis est ex parte ademptio, quae quoniam adim in Cancro incipit, signum hoc cum sit etiam Lunae domicilium inferendo luminibus uitio, quam Capricorni signum longe uidetur opportunius. Luna in horoscopo partiliter constituta, si Martem, aut Saturnum in successione habuerit horoscopi, qui secundus locus est, fueritque nocturna genitura, oculo sinistro uitiuum minatur. Sol uero dextro, ubi in horoscopo positus eandem hanc maleficam in successione collocatam habuerit, minatur etiam caecitatis uitiuum, hoc idem quoque Sol in horoscopo constitutus, si Luna infirmum cardinem, Saturnus occidui cardinis decessionem, qui locus octauus est, teneant. Portendit & idem malum Luna sexto e loco, si Sol ac Saturnus in decessione occidui cardinis constituti simul fuerint, Mars uero in culminis successione, qui locus undecimus est, in imo item Luna constituta, si Sol, Mars, ac Saturnus in eadem occidui cardinis decessione inuenientur. Licet autem aspectus hic sit triangulus, ac suapte natura bonus, loci tamen, coniunctionisque improbitas, & quod octauus locus ab horoscopo prorsus alienus est, trianguli aspectus superant benignitatem, illumque contaminant, ut cum arma, quae defensionis gratia inuenta sunt, homini fis-

rioso permittuntur, aut cū remedia quæ salubritatem promittunt, ab ægritudinis peruersaui superantur. Nec uero ex hac configuratione solum cæcitatē periculū timendū est, uerū etiam corporis debilitas, ac bonorum fortunæ iactura non exigua. Sol enim proximus & Martem exurit, & Saturnum arefacit, & ipse quoque illorum contagione sic inficitur, ut humorum commixtio ipsa futura sit maxime noxia, ac præsertim oculis, quorum ipsi præsides. Sol quidē hac in configuratione, coniunctione, Luna uero aspectu maleficorum, contagione quasi quadam, uterque inficitur. Eadem oculorum corporisque incommoda Luna minuitur, si Sole, ac Marte in occasu decessione constitutus, ipsa in signo humano cum stella Saturni simul, oppositoque in loco, atque in horoscopi successione collocata ab illis oppugnabitur. Maximum quoque oculis periculum timendū est, cum Luna in ortu, Sol autē in occasu constituti pariter fuerint, itemque cum Luna fuerit sexto in loco collocata, Sol in secundo, Mars uero in ortu, ac Saturnus in occasu constiterint. Idem immunet cæcitatē periculum, ubi Saturno duodecimum locum tenente, atque in ortu declinatione constituto, luminaria ipsa cum Marte in imo simul cardine, aut octauo in loco inueniuntur, Sol in ortu successione positus, Luna in decessione occasus, hoc est Sol quidem in secundo, Luna uero in octauo loco constituti, qua est constitutione luminaria sibi inuicem opponuntur, uitium cæcitatē moluntur. Hoc idem, si Mars infimum locum teneat, Saturnus autem undecimum est loco quadranguletur luminariibus. Sol quoque in ascendente cardine inuentus, Saturnus in imo, oculis insidiantur, si tamen Luna non fuerit in loco constituta, licet ipsa est triangulo aspiciat, quippe que decimum statim in locum progressa quadrangulabitur Soli, frontemque Saturno hostiliter obijcet. Est enim Lunæ tum defluxio, tum progressio diligentissime obseruanda. Easdem oculis parant insidias Saturnus ac Luna tropico est signo tum Solem, tum Martem opposita radiatione contuentes, aut Sole ac Marte octauo in loco positus, si in imo ipsi cardine constituti fuerint, plus enim ad uitium patrandum habent uirium. Luna & Saturnus imo est cardine horoscopum ferientes, Solis item ac Martis in loco auerso, atque inconiuncto puerfa coniunctio, quam trianguli aspectus benigna irradiatio, ut paulo est ante dictum. Omnino autem timendum est oculis, cum Sol horoscopum, Luna infimum cardinem, Saturnus horoscopi successione, Mars uero undecimum locum tenuerint, siquidem maleficarum altera succedit horoscopo, id est ex orienti cardini, altera culminanti. Quod si duodecimum Mars locum tenuerit, quia Soli circumuento utraque maleficæ insidias struit,

dias struit, periculum quoque hac est configuratione imminere portenditur. Similem in modum si fiat Solis, ac Saturni locorum commutatio. Nec minus si diurna in genitura Sol ac Luna secundo in loco, horoscopi que in successione constituti Martem octauo est loco, occiduique cardinis decessione radios sibi aduersos iaculantem aspexerint. Nec uero traditum non est, aut inobseruatum, oculorum aciem, pupillæque ipsius globulum peruertendū (quo uitio affecti strabones dicuntur) cum Luna ac Mercurius isdem in partibus copulati Martem, Veneremque eadem ratione sinistro in quadrangulo collocatos uiderint, tamen si configuratio hæc non minus capiti, aut collo deformatem minuitur, ut aut collum, cui Venus præsidet propter Taurum in alteram humerorum partem tortuosius propendeat, aut caput, in quo Mars quoque propter Arietem ius suum exercet, acuminetur, deformiusque sursum uersus protendat. Hæc autem configuratio propter Venerem, quæ Martem lenit, cæcitatē nequit infligere, Martis tamen improbitas Venerem sic labefactat, ut deformatas hæc inde subsequatur, utque est qua commixtione uitium non potest cæcitatē prorumpere, prorumpat collis capitis uel deformatas, propter eas quas diximus, Tauri, Arietisque rationes. Velle autem complecti singula, neque huius est, neque alterius cuiuspiam disciplinæ. Quid enim esset aliud quàm infinite uelle progredi, atque in ipsa luce caligare? Satis autem sit hoc persuasum habere, est stellarum signorumque commixtionibus tam diuersis hinc uita, deformatemque, illinc decorem, dignitatemque corporis proficisci. tamen si parentum quoque natura his ipsis utranque in patrem non parum opitulatur. Hoc autem huiusmodi esse ipsa nos docet natura. siquidem uix unius atque alterius tanto est numero hominum corporaturam, effigiem, mores, atque commotiones ita similes uidemus, ut non multum etiã inter se differant. Quod profecto a motionibus ipsis cœli, ac stellarum sempiterna orbiculatione proficiscitur, quæ semper sibi ipsa dissimilis est, uariaturque ubique, donec post confectam illam perannosam orbium omnium conuersionem, res ipsæ ad illum ipsum statum regrediantur, a quo primū aliās atque aliās cœpere. Quæ consideratio, itemque cognitio primos illos tum Chaldaeos, tum Aegyptios mouit, uti arbitrareretur mortaliū resurrectionem futuram. Ad hæc naturæ rerum studiosi ac præsertim medici nequaquam aut ingenio assequi, aut usu possunt omnia. Quæ est re factum est, ut ab illis, & quidem non paucis tum in pscrutationibus, tum etiã quæstionibus dicatur a natura, uique propria comparatum sic esse, rei que illi de qua quæritur peculiariter attributum. Nauseabat familiaris meus Ioannes Spina, quoties eius

naribus casei obijceretur odor. isq; ubi in mensa apponeretur, compescere uomitum haud poterat. Alter etiam familiaris rutam ubi sensisset, inhibere fugam nequibat. Mihi ipsi & fauces deliquescent, & inhorrescunt artus, non modo si, quæ Persica nux dicitur, manu tractetur, uerum si ab alio tractari eam uiderim, adeo me cortex ille tactu commouet. Eodem etiã afficiunt horrore P. Sūmontiū nostrum poma omnia, quæ cortice sint pilosiore. Idem quoq; ego neq; halarum titillatione moueor, & plantarum perfrictione maxime delector, mirificamq; scabendis illis uoluptatem capio. Sunt qui frictionem illam nullo modo patiantur. Harum rerum ratio sua, & quidem certa, peculiarisq; existit, nec fuit ab Aristotele præterita. Impi grum, & fortem nouimus militem, qui repente obiecta sibi ex improviso lacertula, fugam p̄inde atq; consternatus arriperet, retentusq; uisa ea exanimaretur. Itaq; neq; ab hoste armato, neq; ab angue deterreretur, lacertulã exanimis fugitabat. Diximus igitur de oculorū uitijs, ac non modo de sexto, septimo, & primo loco disseruimus, deq; luminaribus, ac maleficis stellis, uerū et de cardinibus, cardinūq; ipsorū successiōibus, ac decessionibus, hoc est anaphoris, et epicataphoris. De ualitudinibus uero, ac morbis alijs corporis satis est unum hoc admonuisse, eos uisdem a stellis pro natura signorum, ac sua, ubi uespertinae fuerint, uisdemq; potissimum a locis indicari. Sed neq; omittendum hoc uideatur, easdem illas de quibus dictum est configurationes, ubi neq; prorsus ualidae, neq; partiles fuerint, sed imbecillae potius, aspectusq; sepositi, beneficorumq; syderum radijs temperabuntur, tenues offensiuas, lenioresq; pericula potius quam uitia decreturas. Et Mars quidem ac Sol oculorum lippitudines, quippe qui humores calfaciant, Saturnus uero ac Luna suffusiones, obnubilationesq; albuginosas in generabunt, quæ lucem impediunt. Quam ob rem ad alia iam corporis uitia, morbosq; transeamus.

De Sterilitate & ab ortu, deq; uitijs
circa pudenda.

Non oculorum autem modo, sed & corporis totius, ac partium eius uitia, ualitudinesq; ab humorū intemperatiã, perniciosaq; commixtione originem ducunt, quippe cū naturæ, compactionisq; corporeae sequatur semina, ut febres, dolores, hucera uerum et ex ijs quaedã externa inferuntur a ui, ut uulnera, ut ossiū fracturæ, quæ corpori quotidie uidentur extrinsecus accidere, iurēq; appellantur uiolenta. De utrisq; igitur

uir dicemus, quod de maleficis, ac luminaribus, deq; tribus locis, primo, sexto, et septimo, maximeq; de oculorum affectionibus disseruimus, de beneficiis quoq; eadem ratione explicabimus, quæ de maligna perniciosaq; locorū natura infectæ, atq; a maleficis laessitæ, morbos afferunt, diuersaq; corporibus uitia. Venus igitur in ortu, aut in occasu, sed in occasu præcipue, qui suapte natura noxius est, cum Saturno partiliter posita, aut ab illo conspecta de loco uel quadrangulo, uel opposito, aut domiciliorū inuicem commutatione facta, ut alterius stella in alterius sit hospitio recepta, si a Marte aut e superiore loco, aut e regione infestetur, suam illam genitalem uim amittit ob configurationē tantopere iniquam. Quo fit, ut qui uiri genitalem in constitutione uenerem ratione hac obsessam habuerint, steriles omnino sint, genitalemq; illorum semen infœcundū reddatur, mulieres uero tametsi uirile semen genitalem fortasse intra locum admisserint, ipsam tamen admissionem infelicem experiantur. Foetum enim aut intempestuum eiciant, atq; immaturum, aut frustilla, quasdamq; carunculas magis q̄ foetum enitentur, aut foetus ipse ex utero lacer, disceptusq; unco distrahetur, maxime autem si configuratio ipsa fuerit in Cancro, Virgine, & Capricorno, uidelicet quod Venus languescat in Virgine, in qua deijctur, ut pote in signo altitudini suæ opposito, quodq; Cancer, & Capricornus signa sint tropica, uiribusq; maioribus, pluribusq; prærogatiuis prædita. quæ mihi quidem propter augendæ, ac minuendæ lucis iurisdictionem, temporisq; uariandi, a quo cælestis motus dimensionem quasi quandam, seu potius dinumerationem circumlabentium continue momentorū accipit, uidentur inter signa reliqua tribunal a meridie, septentrioneq; obtinere, ac perinde ut tribunalia magistratibus, sic ipsa planetis illic insidētibus auctoritatē contribuere. Causa uero certa sterilitatis hinc a nobis conijctur, quod stella ueneris præter alias, tum suapte natura, tum ob commixtiones, quas plurimas accipit, inuestigabiles quodammodo uires & habet, & suscipit, quæq; definiiri uix queant. nec mirum, cum sit materia in generatione apparatus. neq; enim tanta rerū quæ gignuntur, esset diuersitas, nisi materia ipsa tantopere uariaret. Quando autem monstra in generatione ipsa animalium fieri uidemus, an non sterilitas monstri quasi quoddam genus est? Quid enim monstruosius, ac tam naturæ aduersum, quam hominem ipsum aliquando genitum, nunquam tamen geniturum? Tum semen igitur uirile accusandum est, perinde ut generationis conaliamētum, tum mulierum menstrua, quæ uenere male se habente, ut ipsa quoq; male se habeant necesse est. qua uia

nec materia, cui Venus praesidet, nec semen conuenire aliqua inter se ratione possunt. Saturnus igitur copulatione, Mars uero aspectu in-compositissimum in generatione socij, in cardinibus coeli primarijs positi, moderatam illam appositamq; fermentatam undiq; Veneris naturam conturbant, & calamitate quasi quadam obiecta corrumpunt, indeq; sterilitas ipsa sequitur, quae tamen (ut paulo post dicemus) pluribus de causis potest contingere. Neq; enim tantarum uirium Veneris sy-dus est, tantamq; auctoritatis, tamen si Veneris amator a Poëta Mars de cantatus est, ut eius, Saturniq; praesertim aduersante cardine, possit in temperantiam cohibere. Quae autem in maribus futura est sterilitas, ea erit infœminis foetus egerendi, ac parturienti quaedam infelicitas, quauis enim uiri semen intra uterum admiserint, infeliciter tamen conceptio ipsa cedit, quando perniciose maleficae utriusq; uis et locum ipsum genitale, et muliebres humores adeo infecere, ut conceptio perfici prorsus nequeat, minimemq; sit ad frugem uentura. Eadem Venus eodem in statu Marti, Saturnoq; configurata, si Mercurius quoq; socius accesserit, uel eunuchos, atq; euiratos faciet, uel hermaphroditos. Mercurij namq; societate addita, commutatio haec continget, in qua Venus quidem gignendi uim propriam retinebit, socij uero maleficientiam non abiciet suam, peculiaremq; ad naturam Mercurij uterq; adducent, cum sit stella eius tantopere uersatilis. Quod si Sol quoq; in socium ascitus configurationis huius fuerit, luminariaq; cum Venere una masculerent, ac Luna (ut dictum est) acriter fuerit a maleficis infestata, locisq; e superioribus, mares quidem euirabuntur, aut eorum testibus uirtutem inferetur, aut ipsi hernia laborabunt, uixq; obscenarum partium uirtutem, aut ualitudinem euitabunt. Quando ex hac tot planetarum collusione, tantaq; cum hostilitate coacta necesse est, id eueniat, quod in conuentu plurimorum simul conuenarum solet accidere, ut rixae, turbae, seditiones, auiliaq; odia publice, priuatimq; orientur. Ipsae uero mulieres infœundae, ac steriles futurae sunt. Haec autem uolentia, impetusq; tam in-compositus acrius saeuiet, si configurationes haec contigerint in Ariete aut in Aquario, quorum alter Martis domus est, alter Saturni, dominorumq; suorum improbitatem augebunt, atq; eo magis quod Venus ipsa moeret in aquario, quippe qui descensus sit, atq; apoclima propriae altitudinis, quam Venus habet in Piscibus, in Ariete uero languescat, ut pote in descensione, atq; prolapsu domicilij, est enim Taurus Veneris domicilium, cuius Arietis est apoclima. Nec uero configuratio haec propter luminaria a maleficis percussa non oculis etiam uirtutum minuitur. Quo circa eadem ipsa Venus

in imo

in imo quoq; cardine atq; in Aquario constituta, si aut Lunam se cum sociam habuerit, aut forte aduersantem sibi e quadrangulo, oppositum ue loco, id est ab ortu, uel occasu, seu de culmine, sterilitatem portendit. Quin etiam sexto in loco geniturae tempore collocata propter loci malignitatem mulieri minuitur ex partu, nam aut ante diem factum eijciat, aut propter partus difficultatem in mortis periculum incidet, aut foetus ipse discerptus extrahetur ex utero. In occasu quoq; aut in cardine infimo copulata Saturno, Ioui, ac Mercurio, uisdemq; in partibus mulieres quidem steriles, uiros autem a coitu alienos, ac frigidus faciet. Quae coniunctio si tropico fiet in signo, Marsq; socius accesserit, mares euirabit, foeminarum autem loca genitalia uinciet adeo, ut earum natura glutinetur, aditumq; ad se uiri minime permittat. hoc uirtio affectas mulieres Capani Incassidatas uocant, clausas alij, q; naturae os, ut Celsus inquit, glutinatum sit. Septimo etiam in loco, mundi q; in occasu Venus posita, uespertinumq; ortum faciens, si Saturnus ei superiore e loco, atq; e culmine quadrangulabitur, uiros item frigidus, atq; a coitu alienos, nec minus etiam mulieres faciet. Eiusdem Veneris stella cum Saturno coeli in medio collocata, partibusq; uisdem, si Luna ex imo, atq; aduerso coeli loco radios suos contra obiecerit, filios uiro nullos promittit, aut propter sterilitatem, aut quod anus ei uxor, atq; effecta futura sit. Haec enim configuratio quadrangulatur a dextra, sinistraq; occasu, qui uxores dare consuevit, ac propter Saturnum futura est uxor aut infœcunda, aut anicula. Venus item cum Mercurio septimo in loco, hoc est occiduo in cardine posita mares eunuchos, atq; exectos decernit, mulieres uiragnes, prolemq; nunquam suscepturas, quibus si Mars conaliabitur, aut coniunctione, aut aspectu, hermaphroditos. Eadem Venus eodem in occasu cum Marte, uisdemq; in partibus posita occultas decernit ualitudines, quaeq; ab ieanore proficiantur.

De Causis sterilitatis.

R es ipsa uidetur exigere, ut, quoniam de sterilitate loquimur, quibus e causis sterilitas ipsa proueniat, quid item ab antiquis in hac ipsa obseruatione traditum sit, referamus. Sobolis propagatio, & ea quae generatio dicitur, generi animalium est omni, a natura tributa. Nam & mulas aliquando peperisse compertum est, raritas tamen haec mulorum genus reddere foecundum nequit. Nihilominus & uiri, & mulieres (ut de hominum loquamur genere) reperti sunt & quotidie re-

III

periuntur steriles, quiq; prolem suscipiunt nullam. Quod tum in uiris, tum in mulieribus non una solum est causa euenire certum est. cum non nunquam sterilitatis causa sit corporis obesitas, quæ excrementi illam seminalemq; materiam ad se trahit omnem, quam in uirile semen, menstruaq; muliebria conuertere natura consueuerit. Interdum ob morborum grauitatem, tum uiri semen, tum mulieris menstrua illæ purgationes uituantur adeo, ut uis illa manca omnino efficiatur. Aliquando loca ipsa genitalia, partesq; Veneris rebus accommodatæ oblesce sunt, meatusq; ipsi obstrusi. Et si per sepe medicorum opera remedium adhibetur. Ebrietas quoq; uictusq; intemperas quædam doq; flaccescere naturam ipsam cogunt, atq; imbecillam reddunt. Verum ab ipso sepe ortu maris sterilitas, foeminaeq; proficitur, cum uidelicet menstrua mulieri nulla profluant, uiro aut semen aut nullum liquitur, aut summum in modum frigidum, ne modo aliquo sit generando. Rei aut huius signa sunt, quod mari barba, foeminae pubes nentiq; nascatur. His dictis ad observationes ipsas ueniamus.

De Configurationibus facientibus sterilitatem, & hermaphroditos.

Saturnus secundo in loco, id est in horoscopi successione positus, si Luna copulabitur, aut de quadrangulo, opposito uel loco sibi inuicem aduersa buntur, liberos denegat, cogitq; alienos sibi adoptare. Idem Saturnus quocunq; in cardine positus, si a Mercurio percutiatur ab opposito, sobolem nullo modo promittit, præterquam si alicunde præsidium sit allatum, Iupiter item in occasu constitutus, si aduersos habeat Martem ac Mercurium in horoscopo isdem simul in partibus collocatos. Idem etiam efficit Iupiter cum Mercurio in occasu positus, si eis Saturnus ab ortu inabundus obstiterit, aut si illi in ortu, hic uero in occasu constituerint. Mars quoq; prolem minime promittit, ubi ipse quinto in loco positus Lunam ab opposito uiderit oppugnantem, præterquam si Iupiter alicunde prospexerit. In medio item coelo, aut alio quocunq; in cardine constitutus, nocturna in genitura, signoq; foeminino, nec minus etiam se ipso cardinem tenente, si pars, locusq; liberorum in altero est proprijs domicilijs repertus fuerit, uel si dominus signi eius in quo filiorum pars constituitur, fuerit ei copulatus, aut perniciose radiatione percussus, Mercurius item cardinalis, si Saturnum aduersum se, aduerso in cardine constitutum habuerit, sterilitatem obnuntiat. Ad hæc Saturnus in culmine positus, ac Mercurio partiliter coniunctus, si dominus geniturae, aut uitæ dator aduersabitur, malaq;

Martis irradiatio accesserit, præterquam quod paralyticos, gibberos, atq; incuruos facit, faciet aliquando etiam hermaphroditos. Quoniã uero dictum est a nobis Veneris affectiones esse penè infinitas, non poenitebit retulisse ea, quæ nostra tempestate de hermaphroditis & ipsi si uidimus, & perquam cognita etiam ab eruditis uiris habemus. Caietana muliercula uiro piscatori nupta, cum quo annos complures Veneris res miscerat, ut Antonius Panhornita piscatoris amicus referre adolescentibus nobis solitus est, post quartum decimum annum est muliere in uirum transiit, exorto repente in muliebris naturæ loco uirili penè. Quo factò, quod conditionis ppuderet suæ, ut q a uiris pariter, mulieribusq; rideretur, è civili uita ad uitæ genus religiosum transiit, uixitq; in monasterio, in quo ipsi eum nouimus, uita suæ reliquum, sepultusq; est Romæ in Mariæ ad Minervam templo. Mulier altera nomine Aemilia nupsit Antonio Spensæ cui Ebulano, postq; duodecimum nuptiarum annum in Meliù mutata est, hodieq; cum uiris conuersatur, artusq; uiriles exercet in patria, utq; relatum nobis est, nuper etiam uxorem duxit. Masius Aquosa cum quo uetus mihi consuetudo est, exorta inter eos de restituenda dote controuersa, testificatur, Ferdinandi se Regis iussu prospexisse restitutioni. Biennio antequam hæc scribimus, ut ab Umbro nostro A. Colotio, grauissimo quidem uiro accepimus, puellæ rusticanae quæ uillico nupsit, ubi puerum ex illo genuisset, uirile membrum intra muliebrem naturam se se extulit, ineratq; illi, quæ non multis post mensibus diem obiit, ex eo partu maris atq; foeminae natura promiscua. Hos naturæ, coelestiumq; agitationum effectus mirari magis possumus, quàm quomodo fiant, eorum rationem singillatim reddere. Quæ de re ab Aristotele dicta sunt quæ dici pro disciplina illa naturali possunt. Quod igitur ad hermaphroditos, atq; androgynos pertinet, quando Mercurij stella uersatilis, ac, penè dixerim, promiscua est, siue quod Veneri copulata uires eius augeat ad progignendam foeminam, siue quod in illarum fauorem proclinet stellarum quæ masculam sobolem meditantur, de conuentione profecto, ac commixtione radiorum eius, quod semini ac materie genitali uberiolem, ualentiolemq; uim adiungat, hæc natura dupliciter manat. ut dum utriq; fauet æquo studio, non tamen ut geminos ualeat gignere, aut alteri, ne omnino succumbat, fert suppetias, foetus hæc sexusq; siue incertitudo, siue communitas proueniat. Nec uero prætereundum est quid Physica hæc ipsa de re sentiant.

Opiniones Physicorum de hermaphroditis & geminis.

Volunt autem calorem, a quo existat generatio, moderatum illum quod esse, & sua quadam certaque mensura contineri, urere autem, ac supra quam generatio ipsa exigat, exicare, ubi uehementior fuerit, aduersarique propterea generationi, a quam nanque a heno contentam temperato ab igni non secus quam a feruentiore calefieri, eo tamen differre, quod ab hoc ipso effervescente fiat euaporatio, et maior, et resolutior, ut penes repente ab oculis aqua euanescat omnis. Opertere itaque tum genitale ipsum uiri semen, tum mulieris excrementa illa menstrua modum suum retinere, certosque intra fines cogi. Ni enim & eius qui agit, & eius qui patitur uis intra prescriptum coerceatur, frustra utrumque nitenti. Vbi uero accessio facta est aliqua, & ea quidem tanta, quae geminationi satis sit, foetum ipsum in utero, ob accessionem eam geminari, Idque quod rarum sit, quod parum omnino solitum, iam pro monstro haberi, iudicarique portentosum. Eandem quoque accessionem in parte quidem aliqua factam, esse causam aut membri cuiuspiam agnati, ac superuacanei, aut naturalis magnitudinis regulam praetergressi, quod uidelicet in concipiendo foetu materiae ipsius plus constiterit, quam quae necessarium esset parti illi constituendae. Atque inde fieri, ut membra interdum ipsa maiora formentur, quam pro sua ipsorum natura, corporisque reliqui constitutione, Quin etiam usuuenire ab hac ipsa causa, ut non nunquam uterque sexus insit foetui, maris scilicet ac foeminae, etsi e duobus alter est fere semper imbecillus, inefficaxque, & ut ita dixerim, clandestinus, contingatque non nunquam alterum aut mutari, aut potius aboleri, ut quae prius foemina coierat muliebriter, post in marem uersa uiri coeat more, agatque quae solita erat pati. Assueverant igitur agentem uim illam & procreantem cum aequabiliter sese ad alterum habuerit, ut aut prorsus superet, aut ut rursus superetur, eodem quidem aut uirili, aut muliebri sexu geminos nasci. At ubi partim uicerit, partim succubuerit, tunc in diuersum rem geri, atque alterum marem, alteram foeminam gigni, quod rarius tamen audio contingere, ac plerumque parum diu uiuere. Vtique propter materiae interdum ubertatem in procreatione adnascuntur praeter naturam prescriptum membra non necessaria, ut sextus digitus, ut auris agnata auri, quod uidelicet materiae plus insit, quam quae aut digitali, aut auriculari satis est parti. Sic e contrario minus aliquando inest, ut cum in foemineo foetu conglutinatur pars illa genitalis, quaeque foeminam

discernit a mare. In masculino autem, mari haud omnino prodeunt testes, neque uirili modo propendent ab inguinibus. Gigni autem geminos tradunt, quoniam & cor duplex generetur, cum simplex, id est unum tantum sit in androgyno. quo fit, ut perfici nisi unus foetus nequeat, Prouenire haec igitur in geminis procreandis a materia, et uis eiusdem duplicata, & praualida ad utrumlibet sexum consummandum, In hermaphrodito autem secus, quod polleat ad neutrum, imo ad utrumque, ad alterum tamen, ut dictum est, clandestinum, atque irritum. quando ambo sexus nequeant in eadem aequabilitate agendi, patiendi que simul in uno consistere. Natura enim in hominum omnino genere marem, discreuit a foemina. Itaque in eodem simul corpore uterque sexus, suo in gradu nequit consistere, Proficisci autem hoc ostenti genus a stella Mercurij, eiusque cum Venere commixtione nomen ipsum hermaphroditi docet, a re ipsa inditum, Causam uero afferri a materiae ubertate maiore, ostendunt etiam fructus arborei. Antonium panormitam, cum aliquando me praesente de rebus his sermo incidisset, asseueratem audiui, compertum sibi fuisse, Frasco Philelpho, cui ipse fuisse perquam familiaris, tris testiculos esse ingenitos. Referentem quoque non semel audiui Andream Matthaeum, summa fide, summaque autoritate uirum, allatum sibi a coco suo, in oppido suo Bontonto agenti, arietem exenteratum, cui & praecordia, & intestina omnia essent geminata, cor uero unum inesset tantum. Nimirum si materia, uis que illa fuisse satis procreando cordi, geminatus etiam aries in procreatione fuisse.

De Linguae uitij.

sed pergamus ad reliqua. In quorum genitura Saturnus ac Mercurius cum Sole pariter coniuncti cardinem aliquem tenuerint, praesertim ortus, aut occasus, Lunaque configurabuntur, ipseque Mercurius occidentalis erit, uis in lingua uitium inerat, aut enim balbutient, aut blaese, hesitanter ue loquentur. Cum enim linguae, atque orationi Mercurius praesideat, hinc a Saturno, Soleque conflictatus, illinc a Lunae radijs male habitus hunc & ipse malum habitum in lingua nati referet. Lingua enim ipsa hebescet ita, ut nisi aegre per os agitari, ac tractari inter loquendum queat. Idque ab hebetudine, imbecillitateque proficisci Mars docet, si enim coniunctione sua obsterit, Lunaque obuiarit, propter insitam celeritatem, atque uigorem natus ipse a uitio liberabitur. Quemadmodum autem pedes, lingua quoque uitij laborat

suis, namq; ut illi claudicant, sic hæc & balbutit, & hæsitat, & blæsa est, & paulatim, ut illi, ætate ipsa perficitur, serius enim infantes loquuntur. Quin etiam postquam ætate lingua perfecta est, uitio quodam nature se gnior non nunquam, atq; ad efferenda uerba ineptior redditur. Videmus enim alios inter enuntiandum, quod lingua tanquam in cursu retenta sistat, impeditaq; offensaculo hæsitet, nunc literam quampiam, nunc syllabam, hoc est duarum triumue literarum copulationem prætermittere, hiq; balbi plerunq; dicuntur, alios qui aut has aut illas literas efferre prorsus nequeant, qui blæsi uocantur, quod blæsa illis, ut est in obscænis carminibus, lingua sit. Sūt etiam qui præter hæsitacionem alias alijs literas coniungere, ac simul continuare nequeant, hiq; ab hæsitacione ipsa nomen ducunt hæsitantes. Quamuis & animi quoq; sit hæsitatio, ut cum dubijs in rebus constituti, quid potissimum eligamus, hæremus. Hæc autem ipsa uitia ab hebetudine, imbecillitateq; eueniunt, quod lingua idonea parum sit illis, quæ animus & intellegit, & concipit, exprimendis. cui, ut officio suo liberrime uti ualeat, celeritate, ac uolubilitate maxima opus est. Nima uero humiditas ei rei cum primis noxia est, propter motus tarditatem. Namq; ut moderata humiditas, quod in arborum flagellis cernitur, flexibilitatis est, atq; agilitatis causa, sic nima enervat, nec patitur elabi, quod in tenerrimis ramulis apparet. Iacent enim magis quam flectuntur, uentoq; agitati decidunt. Ac tamen si lingua ipsa humoris arcula est, & quoddam quasi pœnus, de nimio tamen humore prosternitur. Quo fit ut neq; motari per os, succidentibus neruiculis, neq; ipsa festinare ad frangendam uocem, atq; in arctus suos redigendam possit. Quippe quæ a natura rerum magistra pulmone superimposita est, quo spiritum ab illo effiatum informet, informatumq; atq; impressum statim exprimat. Ac grotis tamen, ac febrim ardentiore laborantibus accidit lingue deprauatio nimiam ob siccitate. In hac itaq; configuratione Luna, Saturnusq; superfluentia humidi a se concitati, Mercurium usq; adeo made faciunt, ut in constituenda lingua uitiosus futurus sit artifex. Quoniam autem uidemus ebriorum quoq; linguas hæsitare, atq; intercipi, eorum item quos ardentior febris uexat, maior ue urget distillatio, uitiaq; ipsa aut de superfluentia proficiuntur atq; excessu, aut a defectu atq; penuria, fieri etiã potest, uti ab humidi inopia, nimaq; siccitate arfacta lingua inhæsitet, neruiculisq; illi ab humore defecti & subsistant in motu, & lingua se se inculcet, atq; ubi stetit, motari atq; impelli uix queat. Si quidem hebetudo, se gnitiesq; omnis a tarditate motus existit, quod lingua ipsa

agilis nequaquam est, ut nima fortassis exicatio, non minus quam humidi exuperantia causam blæsitati afferat. Quo circa (quoniam Sol, ut ante dictum est, neruorum curam suscepit, Mercurius lingue, Luna pituitæ, cuius etiam ciendæ Saturnus est auctor) diligentissime uidendū est in hac ipsa configuratione qui sint ualidiores, pluribusq; prerogatiuis ornati, signa etiam ipsa quid portendant, in ariditatem ne, an humiditatem proclinent, ut ferri sententia pensitatum queat, uita e causa uitia ipsa sint profectura. Fieri etiam potest, ut quod uel breuior q; oportet, uel angustior lingua ipsa sit, propter breuitatem latitudinisq; arctationem complecti, ac frangere suo tempore uocem articulatam nequeat, quod nihilominus ad malum Mercurij habitum referendum est. Quod uero ad Saturnum ut pote phlegmatis, pituitæq; conciliatorem attinet, stella eius cum sit arida, summumq; in modum frigida, propter frigidi ipsius, humidiq; inter se communicationem, & trahit ad se humidi plurimum, propter siccitatem, & tractum frigore suo cogit, coactumq; addensat. quo post calefacto necesse est pituitæ, lentiq; humoris riuos hubertim fluere, ut expressa e spongia uidemus, quæ aridissima cum sit, humidi plurimum rapit, atq; in se se retinet.

De Alijs quibusdam uitijs.

Non solum autem in lingua, uerum etiam in alijs corporis partibus uita, malumq; inesse habitum persepe cernimus, ut capitis a collo in pectus proclinationem, ut pedum claudicationem, ut spinæ, lumborumq; gibbum, et pectoris, ut neruorum solutiones, contractioesq; ac debilitates, ut uertebraum niam, deformemq; prominentiam, ut mutilationes quoq; quæ quidem uita pro signorum naturis eueniunt, maxime autem ubi in illis locus, hoc est uitij, ualitudinisq; pars ceciderit. Hæc autem signa quæ uitiorum, ac ualitudinis locum in genituris sortiuntur, a Græcis uocantur ὑπαίτια, quod uidelicet uitio, ac ualitudini causam dent, nobis tū uitiosa, tū ualitudinaria placet appellare, e recentioribus nō nulli ægrotantia uocauere, quidā ineptius cule defectina, quod uitij uocent defectū. Cum igitur ambæ maleficæ Mars scilicet ac Saturnus in ascendente coeli cardine cū Sole, Lunaq; simul constituti fuerint, aut luminaribus ipsis in horoscopo insidentibus, uitaq; malefica, opposito de loco, cardineq; ab occiduo aduersabitur, Lunaq; ipsa in nodis seu flexibus reperta forte fuerit, aut in Ariete, in quo uitij etiam locus constitutus sit, aut in Tauro, Cancro,

Scorpio, seu Capricorno, natus ille, in cuius genitura figuratio hæc contigerit, uitiorum de quibus diximus, aliquo laborabit pro signi natura. atq; a primis quidem diebus, ipsaq; statim genitura, si luminaria partiliter cum maleficis copulata incedunt. Hæc autem ipsa signa, quæ supra expressimus, uitij iam explicatis maxime apposita sunt, quod membris præsideant, in quibus illa contingunt. Locus uero ipse nodorum, ac flexuum, flexurâ quoq; atq; incuruationem, distortionem uel membrorum in malo Lunæ habitu decernit. Qui nam autem deterior esse habitus Lunæ potest, quam ut a Sole exusta, ab utraq; etiam maleficat, aut ex opposito, aut è propinquo, ac coniuncto situ, omni è parte labefactetur? Quod si luminariibus ipsis in ascendente cardine simul positus, Mars ac Saturnus superiores quidem effecti, uerum inuicem digressi, de culmine, hoc est è signo cœli mediū tenente quadrangulabuntur, grauioribus cum periculis, maiorèq; constellatione mala hæc quæ decernuntur, inferentur aut a casibus, præcipitibusq; locis, aut a latronibus, quadrupedibus uel, aut ex igni, ferro, uulnere, contentione, rixa, quorum quidem malorum Mars author, atq; illator fuerit, ubi ob prærogatiuarum auctoritatem iurisditio hæc illi obtigerit, E mari uero, aut a fluminibus, stagnis uel, aut è spasms, neruorumq; distentionibus, aut ruinis, ubi Saturnus illorum inferendorum ius sibi, potestatemq; uendicauerit.

De Vitiligne, scabie, & alijs uitij compluribus, siue ægritudinibus.

Quoniam autem uitia ipsa potissimum decernuntur, Luna æquinoctialibus in signis, aut solstitialibus collocata, si Arictem ipsa permeabit, quod æquinoctiale signum est, Vitilignes decernet, atq; albis maculis nati corpus asperget, cui uitio nomen est nunc Morphea. Sim autem per Cancrum feretur, quod solstiale est atq; æstiuum signum, Lichenas minatur, at in Capricorno posita Lentignes, in Libra uero terram illam scabiem, quæ Lepra dicitur. Itaq; pro humorum natura atq; intem perantia anni quadrantes sequentium, uitia hæc aut huic similia portenduntur. Futuræ autem sunt ægritudines, magis quam uitia, si fiat commutatio status atq; conditionis, ut scilicet maleficæ configurentur soli quidem uespertino in statu, Lunæ uero in matutino. Status enim uespertinus Lunæ delectet, quoniam luminare nocturnum est, matutinus autem Solem, quod est diurnum. Diurna namq; conditio, quam matutinatio sequitur, quia pollentior est, uitriū inducat, nocturna uero, cuius particeps est uespertinatio, quod imbecillior

est, ualitudinem. Hæc igitur conditionis permutatio, uel potius contrarius status uitia in ualitudines mutat. Generaliter autem & mali habitus, & ægritudines, ac uitia quæ a Saturno decernuntur, a frigore, ac pituita, oculisq; generantur humoribus, ut uentris, atq; intestinorum dolores, quiq; morbi inde proueniunt, ut etiam qui è pituitæ affluentia & a reumate, distillatione, grauedine, ut tussis, uomitus, stomachiq; eiectatio, ut corporis totius macilentia ac tabes, ut debilitas ac langor, ut lauitas intestinarum, aluiq; solutio, ut colice, elephantia, Icteros, quiq; morbus arquatus dicitur, muliebris etiam naturæ mala affectio. a Marte uero mala pulmonum affectio, sanguinis excreatio, bilis commotio, scabies, ac prurigo, quæq; mala ferro, igniq; curantur, quæq; aut uruntur, aut caduntur, ut tubercula, ulcera, antraces, fistulæ, quæq; etiam uitia, morbiq; erumpunt in occultis locis, ut mariscæ, pustulæ, deniq; cuncta serpentina, abortus quoq; muliebres, ac foetuum iruces illæ descriptiones in utero. Quo circa uitia, ægritudinesq; maleficarum ipsarum naturam, ac maturationis uespertinationisq; conditionem sequuntur, easq; ifestabunt corporis partes, quæ a signis inueniuntur, in quibus tum uitæ, ualitudinisq; locus inuentus fuerit, tum cardinalis ipsa fiet configuratio. Quodq; Mercurij stella tantopere uersatilis est in utranq; partem boni ac mali, quoties aspectus eius, aut societas accesserit, tum Saturni malignitas, tum Martis augebitur. Si quidem in mouendis humoribus, illisq; exagitandis, atq; ad fauces, pectus, stomachum diffundendis, perq; neruos distindendis, excitabit Saturni tarditatem, Martem autem & irritabit ad effervesendum acrius, adustusq; excitandum, & ad inflammandum multo etiam uehementius, ut flagrante sanguine, bileq; arefacta, atq; incensa, totoq; æstu ante corpore intumescent passim ulcera, fiant abscessus, ac uomice, serpat ignis sacer, furieturq; insania, ac mens delirio capta sese ipsa ignoret, præcepsq; rapiatur. Nec uero signa non & ipsa in quibus configurationes hæc fiunt, & cardines obtinent, de quibus diximus, suas uires, ac suam unum quodq; præ se ferunt naturam his in malis & corporis & animi discriminibus. Etenim Cancer, Capricornus, ac Pisces, demum terrena, aquea, ac piscosa signa, quæ per corpus serpunt, ægritudines excitant, Lichenas item, quas supra dictum est, menta gras uocari, terram quoq; scabiem, & scrofulas, & elephantiam, atq; eius generis ægritudines, fouent enim humorem illum terrenum ac salsum, & in squamas uertunt, cutemq; inficiunt. Sagittarius, ac Gemini etiam, hoc est commutalem morbum inducunt. In uniuersum autem maleficæ in extremis signorum

partibus constituta uitia, ac morbos excitant (quod genus Græci uocant à cutis exasperatione) qualis scabies asperior, quæq; uehementius prurit, quales etiam papulæ non nullæ, quas Cornelius feras uocat, quales item pustulæ, quæ & rubent, & rodunt, & cutem exasperant, simulq; exulcerant. Humores enim ad extimas atq; eminentes corporis partes euocatos, ut ad articulos defluant, cogunt, atq; ad partis item exteriores, cuiusmodi ægritudines, siue uitia sunt elephantia, podagra, chiragra, morbi articulares, quæq; alia mala in extimis, atq; extantibus oriuntur corporis partibus. Qualis autem ualitudinum ipsarum futurus sit exitus, beneficæ indicabunt, si enim nulla ratione aut maleficis configurabuntur, aut luminaribus in cardine constitutis, multos quidem, grauesq; tum dolores ac molestias, tum ualitudines ipsæ se cum afferent, demum mala ipsa curationem non recipient, erunt enim morbi omnino incurabiles. Tantumdemq; eueniet, si quanquam configurantur, ipsæ tamen inferiores, atque imbecilliores omni è parte maleficis succubunt, auctoritate, prærogatiuis, ac uiribus ab illis superata. Quod si beneficæ maleficis configuratæ uiribus superiores, auctoritateq; pollentiores fuerint, fauore, suffragiisq; id præstabit suis, ne foeda, opprobriosa uia ipsa sint, quin etiâ suo uti tempore curationem admittant, ne uia ægritudines ipsæ, ubi beneficæ orientales fuerint, tantopere molestæ, ac laboriosæ sint. Quod si beneficæ maleficæq; æquis ac paribus, munitæ fuerint uiribus, uitia ipsa nunc minuentur, nunc augescent, ualitudinesq; temporali quadam intermissione & abibunt, & regredientur. Quod circa si opitulatur Iupiter fuerit, ægritudines sedabuntur, morbiq; mitescant, & uitia, uti Ptolemæus existimat, quo minus turpitudinem afferat, occultabuntur, hominum beneficio, ac pecuniarum, et dignitatis gratia, Cui si Mercurius astipulabitur, nec ueneficorum deerit, nec peritorum medicorum opera. Sin Venus patrocinium susceperit, deorum immortalium utetur ope, ut et uitia honesta quadam uita ratione occultantur, & ægritudine sedentur, siue deorum oraculis aditis, siue uotis nuncupatis, siue inspectis sortibus, siue coniectis somnijs, seu deniq; sacerdotum opera, sacrisq; piacularibus, aut exorcismis, atq; exantationibus, Cui si etiam Mercurius attestabitur, & uitia, & ualitudines tantum inde leuamentum accipient, ut fortasse etiam per se tandem curentur. In hac igitur maleficarum improbitate si ferendæ opis optio Iouis fuerit, primum id præstabit, ut uitia occultantur, ne è diuulgatione turpitudinis, infamiaeq; oriatur, deinde ut morbi leuationem accipiant, hominum quidem opera, consilioq; nec minus pecuniæ, ac di-

gnitatis gratia, Cui si Mercurius astipulatus fuerit, non medicorum solum operam uerum etiam ueneficorum, sagarumq; opem summam ministrabit, Sin Venus suffragabitur, sub honesta specie et uitia occultabuntur, & morbi sedabuntur adeo, ut magna è parte leuati uideantur. Cui etiam uitorum honestamento, ægritudinumq; leuationi, dii ipsi immortales aderunt, nunc oraculis, responsisq; nunc somniorum, uisionumq; representationibus, nunc etiam aut sortibus, aut incantationibus, aut uitorum nuncupationibus, aut sacerdotum opera, sacerisq; ut dictum est, piacularibus. Forsitan mala ipsa aut hominum opera, industriaq; curabuntur, aut ubi consenuerint, per se tandem desinent, si Mercurius quoq; ueneri suffragator affuerit. Nec uero frustra hæc ab antiquis scriptoribus præsertim Ptolemæo, Maternoq; traduntur, siquidem Scamoneus monstrata sibi in somnis hæbera sanatus legitur, quæ ab ipso postea nomen cepit. Tradit etiam Galenus, admonitum in somnis, uti cuiusdam, qui dolore laboraret epatis, uenas feriretur ea, quæ est inter manus pollicem atq; indicem. qua percussa, è uestigio fuisse illum à dolore liberatum. Paucis ante annis familiaris mei Lancilai Rubidi non imperiti medici neptis, quæ nulla medicorum ope sanari poterat, multos postquam languere coepit annos, monstrato sibi in somnis remedio cum omnium admiratione curata est. His ipsis annis Nolæ qua tempestate uisus, Ursinus eam urbem moderabatur (fuit autem princeps tum prudens, multiq; usus, tum à supstitutione omnino alienus) puella tredecim annos nata, atq; à natali die inutilis ob neruorum contractionem ad templum à matre delata est, quo diuertisse audierat Iacobum Marchianum, religiosum quidem hominem, ac de quo summa etiam esset integritatis ac sanctitatis opinio. Iacobus rogatus uti pateretur puellam ad se deferri à parentibus, quod à Deo moniti facere hoc essent, subdubitauit, ne aut stultitia, aut nimis in filiam amor illos moueret, tandem uero expugnatus matris præcipue precibus, hortatu quoq; antistitis ad templi fores matri flenti, genibusq; se aduoluenti, ac roganti, uti languenti matrem filie admoueret, se se obtulit, fore enim mater asseuerabat, manu adnota, uti filia statim malo liberaretur. Hoc Iacobus ubi fecit, è uestigio puella confirmatis neruis sana effecta domum incolumis redijt. Quæ res præterquam quod nobis ab Urso ipso relata est, multi mortales, qui eo conuenere, præstantissimi que in his uirum & testificati idem tunc sunt, & nunc diuulgatim prædicant. Nec uero superuacuum laborem hunc nostrum fore ducimus, si etiam configurationes ab antiquis traditas, atque obseruatas, è quarum

significationibus uitia, ualitudinesq; decernatur subdiderimus. Quin etiam quo hęc ipsa quę a nobis tradentur, apertiora fiant, naturam, causasq; uitiorum atq; egritudinum breuiter tamen, ac nitu quasi quodam significabimus, ne qui legunt, caligare prorsus uideantur, naturis ac causis penitus ignoratis.

De Claudicatione pedum, & alijs quibusdam morbis.

Claudicatio proprium uitium est pedum, hominumq; ipsorum maxime peculiare, idq; ex eo fit, qd & quadrupedum, & diuini crura ossibus, ac neruis tantum constant, hominis uero crus, multa carne uestitur quoq; mollius est, eo magis iniurię exponitur, facileq; (dum in utero mouetur foetus) lædi potest, ob teneritudinemq; infringi, atq; eo facilius in iniuriã sepe crus incidit, qd foetus ipse diutius immoratur in utero, antequam absolutus in lucem ueniat. In cuius creatione si aut Aquarius, aut Pisces, aut Capricornus infestabuntur a Marte, Saturno uel, aut ab utroq; aut in ipsa forte genitura, foetus illius genua, crura, pedes uel uitabuntur in utero quidem, quoties malum in creatione portenditur, sin in genitura, postquam in lucem ex utero prodierit, eo quidem tempore, qd a malefica stella deretum fuerit. Mars igitur in quocunq; coeli cardine positus, nascente aliquo, ubi cardinis illius anaphoram Saturnus possederit, aut alium quęuis geniturę cardinem, luminaria uero aut quadrangulantur illis, aut opponuntur, aut cum altero ipsorum partiliter coniunguntur, natum illud claudum, fortasse et paralyticum faciet. Ex infessione nanq; aut irradiatione Martis, Saturni uel, præsertim cardinalis signa ipsa acrius insciuntur, hæc aut infectio membris illis maxime, quibus signa ipsa præsentent, minuitur. Quin etiam aduertendum est cum primus, sint ne signa ipsa eorum ex ordine, quę agnominantur curua. His minis accedit etiã Lunę Solisq; aspectus infensor, e quibus altera quidẽ corpori, alter uero spiritui dominatur, uterq; autem animalitati. Quod circa non nisi male actũ iri cũ membris illis corporis, quę uitio huic subijciuntur, existimandũ est. Euenit aut claudicatio plerunq; uel propter aliquã uulnus acceptũ, uel qd ossa loco suo mota sint, aut qd aliqua externa uel cõfracta, aut fortasse pp uitiosos humores eo loci cõtinenter defluentes. Igitur si Mercurius, Saturnus, et Sol pariter in cuiuspiã genitura occasum, hoc est septimũ ab horoscopo locũ tenuerint, Luna uero et Mars octauo in loco, uel idẽq; in partibus collocati fuerit, natus ille aut claudus futurus est, aut certe mutilus. Sol enim a Saturno, Luna uero a Marte, oēs autẽ a locorum

a locorum pariter malignitate insciuntur. Quin etiam qd Mercurius & ipse rationis dator insciatur, mentis quoq; uitio, morbo uel comitiali fortasse laboraturus est. Claudus quoq; & ille futurus uidetur, in cuius genitura Saturnus cardini cuiuspiã præsidens, in sua Martem anaphora successorem habuerit, ipse uero aut Lunam uiderit, aut illa a Marte uisa fuerit. In hac configuratione ambę maleficę admodum potentes sunt, qd altera cardinalis est, altera alterius succedit loco, a quo noxiam etiam mutuatur uim, quam in sessione sua antecedenti loco indiderat, quarum noxiõ obtutu Luna percussa non potest corpori cui præest ex hoc malo habitu nisi male consulere. Pro natura autẽ signi uitium inferetur, aut a quadrupede, aut a lapsu præcipiti, ruina uel forte et perniciosis ab humoribus continue defluentibus, ac uitatis neruis in corum aut distentionem, aut resolutionẽ incidet. Erit forte natus ipse aut claudus, aut uitatis neruis imbecillus, ubi Marti partiliter in aliquo coeli cardine cõstituto Saturnus successerit ab anaphora, aut quęuis aliũ coeli cardinẽ possidens aut opponetur illi, aut quadrangulabitur, Luna uero aut alteri ipsorum pariter coniuncta fuerit, aut uirunq; ab opposito, quadrangulo uel loco intuebitur. In hac autem configuratione Luna multo infestius qd in priore a maleficis læcessitur. Generaliter autẽ Mars sexto in loco ab horoscopo constitutus, quo e loco uires sibi multo maiores ad malefaciendum mutuatur, ualitudines ac uitia decernit pro signi tamen natura. Si enim incuruũ fuerit signum, aut claudos, aut gibberos reddit. Si qua nanq; curua eiusmodi uitia corporibus inferunt, quando non temere hac cognominatione notata sunt. Idẽ Mars in Cancro, aut Capricorno positus aut in Scorpio, aut Piscibus, aut Tauro, dum quem tamen cardinem coeli teneat, Lunęq; aut quadranguletur, aut opponatur, aut cum illa coniunctus sit, aut claudos faciet, aut gibberos, aut contortis ceruicibus, aut certe membrũ aliquod uitabit, ob nimiam atq; assiduam noxiorum humorum ad illud defluxionẽ. Saturnus quoq; cum Mercurio in culmine pariter collocatus, si geniturę illius dominum, aut is qui uitę dator est, aduersum se constitutum habuerit, fueritq; a Marte minaci radiatione pulsatus, aut gibberos faciet, aut paralyticos, aut fortasse incuruos. Idẽ in occasu positus, matutinaq; prerogatiua adiutus, latentes corporis dolores nato indicit, neruosq; tandem contrahet. Quod autem de Cancro, Capricorno, Tauro, Scorpio, Piscibusq; dictũ est, sic uidetur intelligẽdũ, Cancrũ atq; Capricornũ, quoniã solstitialia signa sunt, excitandis ijs malis multum, adijcere. Quę tũ ab se ipsis, tũ a planetis aut insidentibus, aut aspicientibus portenduntur. Ad hæc Mars in Capricorno

positus altitudinis etiam suae suffragio adiutus Lunam in Cancro positam, oppositaq; consistentem in parte, cum loco, domoq; etiam ipsa pessime afficit. Nec minus etiam ☿ Lunae domum, ☿ Lunam ipsam infestat, ubi in Cancro, Capricorno uel constitutus aduersantem sibi Lunam in Capricorno intuebitur, nam ☿ in seffu suo Lunae domum inficiet, ☿ Lunam in sua ipsius Martis altitudine deprehensam acrius pulsabit. Haec autem ipsa infectio, uitosq; radiorum commixtio eadem ratione fiet, cum Mars ac Luna pariter coniuncti, cardinalē uterq; auctoritatem in genitura exercent. Quod si eadem haec aut coniunctio, aut oppositio fiat in Tauro aut in Scorpio, ubi coniunctio fuerit, deprehensam in Scorpio hoc est propria in domo Lunam Mars in seffu suo tanq; captiuam suam in iura trahet, altitudine etiam Lunae quae in Tauro est, aduersa irradiatione tentata. Cum uero oppositio et Lunam, ☿ Lunae ipsius altitudinem proteret, atq; interturbabit, quoties aduersantem illam sibi in Tauro adeptus fuerit, sua praesertim ē domo radios perinde ac tela in Lunam iaculatus, ac nihilominus ☿ Lunam, et Lunae altitudinem inficiet, diuerso tamen aspectu, cū quadrangulante sibi illam alio ē cardine intuebitur. Quo circa cum Cancer praesideat pectori, quae pars corporis praecipue subiecta est gēbo, Taurus autem ceruici, ☿ collo, qui locus strumis, incuruitati, contortioniq; maxime expositus est, quāq; parte capiti coniungitur, cum inde nerui per totum diffundantur corpus, Capricornus uero cum praesideat genibus, ubi est crurum iunctura, neruiq; ad pedes inde portendantur, cui membro ab incuruitate, contortione, claudicatione, ac neruorum imbecillitate, distentioneq; maxime timendum est. Cumq; Pisces pedibus praesint, quae pars corporis nō a claudicatione modo, uerum etiam a podagra, perniciosiq; humoribus saepissime petitur, quid mirū? Configuratio huiusmodi, malorū horū in genitura infelix ominatrix uidetur, atq; in uitae praegressu etiam importatrix?

De Neruorum uitij ac morbis.

Quonia aut in neruorū mentionē incidimus, de illorū resolutione ac uitij statim dicemus. Ipsa uero neruorum resolutio, quae Graeco uerbo est τὸ ἀποπληξίαι, τὴν ἀσθενίαν, perinde ut uel totum corpus, uel membrū aliquod occupauit, de latentium humorū fluore continuo fit, raroq; ad sanitatem peruenit, maxime ubi totū corpus infestat, quippe quae si nō peremerit, aut in Comitialē uertetur morbū, aut in Paralysim. Verū ex Apopleticis ij quos Latine Attonitos dicimus, quod ictu fulminis obstupescit, eis adūt, quod uerbū ipsum indicat, cū sit a tonitu deductū.

Qui uero ui morbi a stupore occupantur, hi recte dicuntur Apopletici, rarusq; morbus hic perhibetur, cum necesse sit repente occupato a perniciosis humoribus uniuerso cerebro, mouentem, atq; sentientem uim omnem etiam repente, simul corripit, atq; tabescere, membraq; identidem omnia consopiri. Contra membrorū resolutio quae suo nomine Paralysis dicitur, ubiq; admodū frequēs est. Horū origo morborū ad malū cerebri habitum refertur a medicis, ubi nimio humore occupatū est, cui humori pituita multa insit, eaq; crassa admodū ac lenta, et, ut hodie loquuntur qui medicinam profitentur, uiscosa. Frigida enim, ac glutinosa a motu aliena sunt. Non nunquam etiam pituita ipsi atrabilis multū in se dit, quae cum suapte natura frigida sit, ubi modū excesserit, hominem ipsum aut attonitum reddere, aut obtorpescentem consuevit, aut fatuum, aut perquam meticulosum, atq; ignauium. Saepē et origo ipsa mali ducitur ē sanguine admodum crasso, atq; glutinoso. quo circa morbus hic in species plures diuiditur. siquidem inter morbum comitalem, ☿ hos, quos diximus, magna quaedam cognatio est. Suptilius autem haec quaerere medicorum est proprium. De nimia igitur humectatione, eaq; male fermentata occupatum cerebrum uim illā, cuius propriū est mouere, atq; agitare, quaeq; a recentioribus motu dicitur, sic impedit, atq; obtundit, ut sensus quādoq; ipsos omnino sopiat, quae ē re corpus, mensq; ipsa simul etiam obstupescat. Cerebri autem a male temperati humoris superfluentia occupati signum illud est, quod per sputum, ac salinam etiam spumofam, eicere illum natura atq; expurgare nititur, quāq; pueri quoq; propter humidi immoderatam affluentiam comitali morbo frequentissime laborant. cum senes propter siccitatem uix haec mala sentiant. Non semper tamen a superfluentis, glutinosiq; illius humidi copia occupato uniuerso cerebro meatus omnes, unde mouens uis, ac sentiens defluit, obstipantur, uerum natura ipsa cum euomere quā humidi exuperat, utiq; contendat, distillatim, continuatq; in partem unam aliquam corporis humidum ipsum impellit, quo assidue defluente, qui obuiam facti sunt nerui, debiles admodum atq; imbecilli redduntur. quae ex imbecillitate ac langore, cum fluor ille noxius usq; increfcit, tremor post inducitur membri illius, quem magno pere auget tum Veneris immoderatus usus, tum etiam uini ac coenarum. Erunt autem paralytici, in quorum genitura Sol in sexto ab horoscopo loco, Saturnus uero in duodecimo constituti, inimica radiatione sese inuicem impugnauerint ē locis ijs, qui suapte natura malefici sunt. Ex hac autem impugnatione portenditur, Saturnum quē, quod pituita excitator sit, quāq; atrae praesit

bili, his humoribus simul mixtis, cerebrum cui Sol præcipue præsidet, assidue infestaturum. qua ex infestatione, nervi postea elagrescant, ac tremorem contrahant. Labora uiri eadem quoque nervorum resolutione indicantur illi, in quorum genitura Luna, Mars ac Saturnus iisdem in partibus coniuncti, duodecimum pariter ab horoscopo locum occupauerint, Sole illos opposito è loco aduersis radijs impugnant. Cùm enim Sol ac Luna cerebri, cordis, uitæ, atque animalitatis ipsius præsidet, a maleficis simul stellis, maleficisque è locis pari modo inficiantur, necesse est illorum quoque corpora perniciosis ab humoribus infici a deo, ut uitiato cerebro, ad quod illi perinde atque exhalationes è terra sursum in aëra feruntur, indeque distillatim, continenterque per corpus se se diffundunt, compages ipsa nervorum resoluitur, utque corpus ipsum à membris, partibusque destitutum suis, expugnatumque a concutientibus humoribus per partis demum ipsas labascat, et corruat.

De Morbo comitiali.

A b eodem hoc cerebri uitio, ut medicis tamen hæc subtilius discutienda permittamus, manat Comitialis morbus, qui caducus à plerisque nunc dicitur, Græco nomine, ut diximus, est ἐπιληψία, quo ubi quis capitur è uestigio concidit, oreque spumas agit, post uero interiecto tempore quo iacuit, excitatus sensibus ad sese redit, seque ipse solo tollit. Generatur autem non una è causa, neque una eius species est. Si quidem ubi homo repente concidit, oreque spumas agit, perinde euenit, ac si spasmus hoc est nervorum distentio uniuersum corpus occupet. Verum, ut diximus, medici, quorum cognitio hæc propria est, subtilius atque exactius hæc querant. Illud tradi uniuersim à nobis potest, mala hæc omnia de peruersis, maleque affectis, atque contaminatis humoribus contrahi, dum uel quantitas superflua, uel qualitas, perniciose a commixtione deprauata, uel ipse met humor a principio male constitutus est, progressimque habitum deteriore induit. Laborabit autem morbo comitiali, efficiaturque epilepticus is, in cuius genitura, Luna horoscopum tenes, aduersum sese, atque in occasu constitutos habuerit pariter Saturnum atque Mercurium. Neque enim Luna, Saturnusque propter humorum maiora incrementa cerebrum tantum uitiabunt, quo è uitio natus is comitiali morbo laborabit, uerum etiam ingenium obtundent, corrupto Mercurio, uitiatisque mentis instrumentis, quam sedem in capite sua habere iam creditum est. Quo circa idem hic natus futurus est etiam lentus, ignauus, stultus, fatuus. Eodem quoque morbo laboraturus uide-

tur qui in

tur qui in lucem ueniens hinc Martem, illinc Saturnum solidis è signis, atque ex oppositis locis inuicem aduersantes expertus fuerit, alterum scilicet ab ortu, alterum ab occasu, siue ab imo alterum, atque alterum a culmine. Eundem etiam morbum ingenerabunt, ubi in tropicis constituti signis eadem sibi radiatione aduersabuntur, quodque tropici signa maioris sint prærogatiue, morbus ipse sanari uix poterit, quod si eadem hæc configuratio duplicibus in signis fiet, ad morbum ipsum corporis accedet animi quoque ægritudo, ac uitiuum. quippe cum homini huic nullus futurus sit in Deum metus, nulla religio, crudelitas uero etiam summa. nam Gemini, Sagittarius, et Virgo humana sunt signa. ex his autem ac Piscibus quadrangularitas integra constituitur usque è signis, quæ duplicia uocantur, quæ quidem Iouis ac Mercurij domalia sunt, cunctaque simul uitiantur, quibus uitiatis, animus quoque uitiatur oportet. Mars item et Iupiter inuicem se se percutientes, alter scilicet è coeli culmine, alter ab imo eundem hunc morbum uitiatis humoribus afferent, quæ tamen sanabitur, præsertim si in finibus uterque suis, aut alter in alterius reperietur finibus. uincet enim Iouis tandem salutaris benignitas, sed post duodecimum, aut quantum decimum nati annum, quæ tempora utriusque diuisim sunt stellæ. Vbi enim Iupiter in ea configuratione potenter fuerit, succedet sanitas post annum duodecimum, ex quo morbus iam coeperit, si autem Mars, post quantum decimum, hi enim sunt Martis anni, Iouis autem illi. Mars item ac Saturnus duplici aut tropico in signo pariter positi, atque in cardine coeli aliquo constituti, aut in sexto fortasse ab horoscopo loco, aut in duodecimo, quæ loca sponte sua malefica sunt, si Lunam aut cum Sole coeuntem uiderint, luceque omni uacua, aut Soli aduersam, atque omnino plenam, uitiatis ex omni parte humoribus, usque perniciose fermentatis, indeque uitiato etiam cerebro, non epilepticum modo illum efficiunt, in cuius genitura configuratio hæc contigerit, sed, quod magno per timendum est, insanum. Eundem quoque morbum comitalem, eandemque insaniam minatur Saturnus, cum geniturae tempore in occiduo cardine constitutus Lunam alio in cardine siue è quadrangulo, siue ex aduerso loco constitutam uiderit, præsertim si huic, ipsi configurationi illud quoque accesserit, ut Mars, Mercuriusque tropico in signo pariter coniuncti Lunam, Saturnumque quacunque radiatione respexerint. Vbique enim his in configurationibus Mercurius maleficis a stellis uerberatus, cui præsidet mentem infectus ipse inficit. Quod si Iupiter superiore è loco Martem aspiciens, illius rabiem moderabitur, Lunamque ad se proficiscentem benigne aut acceperit, aut iam iam sit accepturus, nimirum mor-

KKK

bus ipse curabitur, uitio ipso per uormam expurgato. In graui enim periculo constituto, morboq; ex hoc laboranti, ratione hac illi Iupiter suppetias feret. Mars item ac Saturnus iisdem simul in partibus copulati, ipsoq; in horoscopo collocati, in signo quidem seu tropico, seu duplici, si Iouem ab octasu sibi, horoscopoq; aduersantem conspexerint, cum qui hac sub configuratione in lucem uenerit, comitiali morbo infestabunt. neq; enim Iupiter liberare illum poterit, cum septimi loci peruersa uis, Martis Saturniq; improbitati addita salutarem eius naturam conficiat, forsitan etiam in furorem agent. qui ppe cum Mercurij, ac Iouis domicilia, quæ quidem duplicibus in signis constituta sunt, configuratione ab hac corrumpantur. Luna quoq; medium coeli possidens si & ipsa duplici in signo posita Martem in imo positum in signo etiam duplici contra se stantem uiderit, Saturnusq; ab octasu utriq; quadrangulabitur, comitiali morbo eum qui tunc nascitur, utiq; afficiet, exagitatis multifariam, uitiatq; humoribus, qui morbum ipsum excitabunt. Rursus Luna Soli, ac Marti partiliter copulata, cumq; his simul in coeli pariter culmine collocata eundem morbum ingenerabit, uitiato ab humorum excessu cerebro, si tamen aut Saturnum secum in culmine coniunctum amplectetur, aut illi in octasu posito quadrangulabitur, quin etiam mentem ita turbabit, ut forte a recto illum uitæ ordine reiectum in furorem impellat. Adhæc Sol, Luna, Mars, & Saturnus duplicibus in signis cardinaliter constituti, ea tamen ratione, ut Sol in Geminis positus orientem coeli partem teneat, Luna in Piscibus culmine, Mars in Virgine inuim, Saturnus in Sagittario octasum occupet, comitalem morbum portendunt. Eadem Sol eundem portendit morbum, ubi in Martis, aut Saturni domicilio constitutus, horoscopus partiliter cum Mercurio occupauerit, aut si fortunæ locus in aliquo maleficarum domicilio inuentus fuerit, Sole ipso ac Mercurio pariter horoscopus tenentibus, atq; in aduerso loco, id est in octasu Martem, ac Saturnum constitutos intuentibus, quin etiam præter comitalem morbum uiolentam mortem obnūtiat. Adhæc non comitalis modo morbus inuētur, uerum etiam insania, morsq; ipsa uiolenta portenditur ei, qui Saturnum, aut Martem in undecimo ab horoscopo loco, dum ex utero matris prodit, sortitur, aut altero undecimum locum tenente, alterum Lunæ copulatum, aut illi quadrangulantiem nanciscitur. dum tamen siue Saturnus, siue Mars quauis Mercurium radiatione pulsauerit. Eundem quoq; morbum comitalem, animiq; languorem quendam, ac fatuitatem decernit Luna in horoscopo constituta, si Saturnum ac Mercurium ab octasu ho-

ficum in modum secum agentes intuebitur. Quin etiā uiolēta mors portenditur, si Mars hac in configuratione aliquem & ipse cardinem occupauerit. Futuri etiam cum Lunatici, tum insani uidentur, in quoru genituris Luna Soli partiliter cohærens, aut rursus Soli aduersa, ac plena cardinem quempiam sortita Marti quadrangulabitur, Saturnumq; aut e quadrangulo, aut ex aduerso loco intuebitur. Quia in configuratione illud sorte euenit, ut utraq; malefica cardinem sibi aliquem uendicat, ad maleficam uim acrius exercendam. Eodem etiam morbo capientur quicumq; Iouem in ortu, Martem in octasu collocatos genituræ suæ tempore sortiti fuerint. dum tamen Mars Solem, ac Lunam quacunq; radiatione respexerit. Futuri quoq; sunt aut lunatici, aut insani, aut languido saltem corpore quicumq; in lucem uenientes nocturno tempore Saturnum in culmine habuerint, Lunam uero ab ipso Saturno ad Martis coniunctionem fuerint proficiscentem sortiti. Mars quoq; in imo, hoc est in quarto ab horoscopo loco positus in diurna genitura, & langore, & comitali morbo afficere consuevit, quo tempore si horoscopus Sol tenuerit, in Martis quidem domicilio collocatus, locusq; fortunæ similiter in Martis domo constitutus fuerit, insanos, ac lunaticos illos faciet, qui tunc e matris utero prodierint. Sol item in octauo ab horoscopo loco situs si Lunæ & quidem plenæ diametrabitur, aut illam coniunctam partiliter eodē ipso in loco secum habuerit, Mars aut ac Saturnus aut cum ipso copulati fuerint, aut rursus illis oppositi, aut quadrangulati, eius qui tunc nascetur, caput ita grauabit humoribus, cerebrumq; uitabit adeo, ut inde lunaticus, ac comitalis morbus erumpat, natusq; ipse sæpius eo morbo intercipiatur, desipiatq; inter loquendum. Quamquam autem insania mentis est potius quam corporis uitium, malâq; animi affectio, nihilominus quoniam explicandi ratio sic fert, de ea quoq; subsequenti in loco dicemus.

De insania.

Insaniæ species ea, quæ Græce dicta est *epilepsis*, acutis i febris ægros desipere, et loqui et agere aliena cogit, mentemq; uanis quibusdā imaginibus p̄sepe addiat. Verū e phreneticoru numero alij quidē hilares, alij tristes sunt, alij inter loquendū desipiunt, alij furore aguntur, alij simulationē atq; artes adhibēt, ut post custodibus i ferre manus ualeāt. Est et altera species, quæ ferē iapit sine febre, post uero, ut Celsus ait, febriculas excitat, consistitq; in tristitia, quā uidetur bilis atra contrahere.

Tertia species eorum est, qui aut non falluntur mente, uerum imaginibus, quæ obijciuntur, ut de Aiace, deq; Alcmaeone Poeta tradunt, aut & animo quoq; desipiunt. Quò circa insania ipsa uaria est, perinde ut ebrietas, quod aliàs diximus. quado, ut Aristoteli placet, atræ bilis perquam simile uinum est, ut enim a uino ebrietas, sic ab atræ bile: cietur insania. Euenit autem hoc ex eo, quod natura ipsa calore utitur ac frigore, quibusdam quasi ministris. calorem autem moderatum esse oportet, frigus uero caloris est priuatio. Ab horum igitur intemperantia defectus, excessusq; in generatione proficiuntur. Ex atræ itaq; bile uarij generantur morbi, perinde ut ipsa aut frigidi, aut calidi multum in se se habuerit, cum utriq; suscipiendo sit quam aptissima, tamen si suapte natura frigida est. An non aqua quoq; cum frigida ipsa sit, a calore sic afficitur, ut & ferueat, & quam flamma acrius etiam torreat? Eadem quoq; a frigore nonne sic cogitur, ut in glacem utiq; rigentem concreseat? Quam ob rem qui ab ea excitantur morbi, naturam quoq; eius, affectioneq; sequuntur. Itaq; insano rum alij furij agitantur, terrèturq; imaginibus, alij solitudines querunt, alij in risum soluantur nimium, aut nimiam rursus in tristitiã deijciuntur, alij deniq; alio rapiuntur excessu. cum sint etiã qui Deos esse se sibi ipsi persuadeant, alij qui se mortuos existiment, atq; ex hoc etiam humore Sibyllæ, uatesq; futura præuident. Ad quam intemperantiam, diuersitatemq; gignendam plurimum conferunt Martis ac Saturni habitus in hominum genituris, quorum alter rusæ quidẽ, alter uero atræ præsidet bili. cum etiam Mars sanguinem calore suo inflammet, Saturnus autem pituitam euocet propter frigus. Mercurij quoq; status qui & rationi præsidet, & cuius effectiones atræ bilis quam simillimæ sunt, cum primis considerandus uidetur. Quoties igitur in alicuius genitura Mercurius in Virgine, quæ & domus, & altitudo eius ipsius est, constitutus, aut in aduerso signo, hoc est in Piscibus, quibus ipse subirascitur, positus horoscopus partiliter tenuerit, atq; a Marte, Saturnoq; è quadrangulo percussus fuerit, natus is ab insania uexabitur. Hæ nanq; tres stellæ hostilem hunc in modum, atq; è cardinibus se se impugnant, atram bilem sic exagitant, ut mentis inde intemperatior agitatio subsequatur. cum præsertim signum, in quo tribunal suum Mercurius exercet, ipsum quoq; infestetur eadem ipsa maleficarum impugnatione. In deiectione autem sua, quæ in Piscibus est, positus, tanto facilius de gradu, auctoritateq; deicietur sua, cum illinc & domui, & altitudini, hoc est rebus ipse suis aduersetur. Agitabitur insania & ille quoq;, qui in lucem ueniens

Martem, ad Saturnum habuerit, alterum in culmine, alterum in imo consistentem, a qua sanabitur tandem, si Mercurius irradiationem illis suam obiecerit. Quod si aspectus ipsi maleficarum partiles omnino fuerint, uix unquam sanabitur, quæ si suis in finibus collocatæ fuerint, aut commutata sede Mars in Saturni finibus, Saturnus in Martis fuerit finibus collocatus, atq; ut dictum est, alter imum, alter summum cardinem obtineat, tunc liberabitur, cum Mars quintum decimum, Saturnus uero trigessimum annum confecerit, ex quo insania ipsa coeperit. Qua in re aduertendum est, uter horum sit in configuratione ipsa potentior. Mars quoq; ac Mercurius in octauo, septimoq; in loco ab horoscopo constituti genituræ cuiuspiam tempore, si Venerem quoq; eodem illo in loco secum copulatam habuerint, consueuere nõ modo iecanoris uitia decernere, occultamq; aliquam ualitudinem (præsidet enim Venus iecanari) uerum & insaniam, & atræ bilis uitia, morbosq; inducere, delirium quoq; mentisq; alienationem, & eam quæ phrenesis dicta est, forsitan et cardiacum morbum pro natura signi adducet. Sol in octauo ab horoscopo loco positus in genitura cuiuspiam, si tamen Martem, aut Saturnum secum coniunctum habuerit, aut è quadrangulo, opposito uel loco uiderit hostiliter insultantem. Quod si Luna octauo in loco cum Sole coeat, aut contra illum plena, atq; aduersa fronte constiterit, hisq; ipsis luminaribus hunc in modum constitutis, si Mars, Saturnusq; aut copuletur illis, aut diametretur, aut forte quadranguletur, nõ solũ pnciosæ ualitudines indicantur, uerũ caput ipsum, ac cerebrum noxiorũ humorũ superfluentia, continuãq; illorũ exagitatione infestandum decernitur. ut qui sub hac configuratione natus fuerit aut lunaticus futurus sit, aut mente captus a recto uiuendi ac loquendi ordine, rationeq; detorqueatur, aut uirilignosus impetiginosus uel, aut phthisicus, aut hydropticus, aut elephaticus, forsitan etiam paralyticus, aut claudus, aut gibber, aut mutilus fiat, pro natura uidelicet signi. Eadem hæc uitia ualitudinesq; portenduntur, si hæc Solis, Lunæq; configuratio contigerit in secundo, aut sexto, aut duodecimo ab horoscopo loco, perinde ut dictum est, ab octauo portendi.

FINIS

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD COSMVM
PACCIVM PRESVLEM FLORENTI-
NVN DE REBVS COELESTIBVS
LIBER VNDECIMVS.

Gnem Physica tradunt Cosmæ Paci nullo modo
putrescere, cæterum terram, aquam, ærem, ma-
teriam quasi quandam esse illi a natura subie-
ctam, in qua ius suum exercent, Aërem quoq;
ipsum & terras ambientem & aquas, a quo &
foueamur ipsi, & hauriamus spiritum, ita quidē
affici, ut modo calor in eo exuperet, modo tenuetur adeo ut quasi sta-
tu de suo decidat, eiiciturq; a frigore quod absq; caloris minime exi-
sit penuria. Porro calorem contendunt, ac frigus, cum agendi ius,
atq; auctoritatem retineant, ubi in exuperatiam abeunt aliquam,
ferunturq; in excessum, animantium corruptionis eē causam. scilicet
cum ab aëre ipso plus æquo calefacto insitus ille animantibus calor
longe nimium exagitatus atq; incensus humescentem ipsam vim a
quæ uitalis calor foueatur, ita quidem exiciat, exhauritq; ut exucto,
aut potius exhausto humido, inarescat adeo corpus, exiceturq; uita-
lis uis, ut uerso in feruorem calore, exusta corporis compage, mors se-
quatur atq; gignentium internitio. aut rursus cum nimo plus a fri-
gore occupato aëre, ita quidem uitalis deiicitur calor, externo a gelu
uictus, prostratusq; ut paulatim hinc concreto humido, illinc destituto
a calore corpore, animal extinguatur. Itaq; genus hoc corruptionis
quod externo aut a calore inducitur, aut a frigore in immensum au-
cto, ad aërem Physica referunt, qui pro tempore uehementiore in mo-
dum ab illis afficitur, quippe cuius natura est, patiēdo affici. Intem-
perantissime igitur affectus aer aut humidum exhaurit omne, adau-
ctis in excessum innati caloris uiribus, cum nullum ei pabulum re-
linquatur, aut summam ob caloris ipsius inopiam, concreto tandem
humido, immoderanterq; grassante frigore in crudescit adeo obtor-
pescitq; ut caloris primo ingeniti, uitæ mox animantium sequatur
interitus. Hæc igitur è Physicorum sententia, aëris est natura, uti ca-
loris imperiis subiectus ac frigoris nunc in hunc, nunc in illum se
se uertat excessum, cum uis hæc passiva sit eius, ut alternis pro tem-
pore, proq; cœli motu alterius imperata faciat. Quod si calori, ac

frigori materiæ loco aër se se exhibet, non corrupendis modo, ne-
rum etiam generandis rebus (sit enim generatio conuertendis inui-
am, perinde ac rebus ipsis insunt, potentijs, agente calido, ac frigido,
contra uero perpetente humido, atq; siccō) quanto campus eius & So-
li & Lunæ, & erraticis stellis debet esse patentior? Cum aër ipse pe-
ni quasi quoddam sit ac receptaculum exhalationum omnium siue
exerentium in uaporem, siue in fumum, caliginemq; aspirantiū. Igi-
tur siue ad generationem respexeris, siue ad corruptionem, summo
etiam Physicorum consensu, aër hic pro materia se se calori cum ex-
hibeat ac frigori, necesse est tum ad salubritatem, tum ad malam cor-
poris ualitudinem, se se Soli ac Lunæ stellisq; alijs pro materia tra-
ctabilem ut exhibeat, quandoquidem in aëre ipso stellæ perinde ac
in agro quodam, quod agricolarum proprium est officium, semina
spargunt sua, quæ ubi coaluere, ueneruntq; ad maturitatem, fructus
tunc suos, hoc est effectus proprios in hominum corporibus pro diuer-
sitate proferunt seminis, proq; insita ipsis qualitate, siue simplici, siue
mixta, siue excedente, siue contra deficiente, quibus è causis ægritu-
dines plerumq; eueniunt, siue etiam modū retinente ac pensum, quod
salubritati causam præstare est solitum. Quis autem inficiabitur ca-
lori rebus ipsis insito, ac frigori alternis fomentum a Sole, Lunæq; et
stellis subministrari, pro anni temporibus, si gniferiq; orbis conuersio-
ne, & motu? Testatur hoc ipsum hyems quidem frigoribus, æstas ue-
ro caloribus augendis. Atq; ut humorum concoctio, consumataq; illa
digestio sanitatem gignit, sic è contrario cruditas ægritudinem, lan-
guentemq; ac ualitudinarium corporis habitum. Quod si has ad res
tantopere, quod Physicas placet, confert aëris, in quo uiuimus, et a quo
spiramus, affectio, qualis fuerit, qualisq; eius habitus, huius uero ip-
sius & habitus, & affectionis primaria causa a stellis, ut pote superio-
ribus è corporibus manat, qualitates ipsas inducentibus, easdemq; &
uerfantibus, & alternantibus, quid mirum si ægritudinum quoq; cau-
sas Mathematici ad stellas referunt? cum frugum quoq; uita ad tem-
porum plerumq; qualitates referantur, quæ a Sole, stellisq; temperan-
tur. An non Aristoteles, cuius studiosi qui sunt, è scriptis hoc eius a-
bunde nouere, ad orbem signiferum longe plura refert, q̄ ipsi etiam
Mathematici? & ad Solem item ac Lunam, quam minorem quoq;
Solē appellare non dubitat? Itaq; ut elemētis ipse quatuor, qualitates
etiam quatuor inesse tradit, has quæ agant quidem, calorem sanè, ac
frigus, illas uero quæ patiantur, humidū, ac siccum, sic è stellis septem
Mathematici alias masculā præ se ferre uim, alias fæmineā uolūt,

aliasq; calorem auctare, alias frigus, has humidum, illas siccum fouere, ipsq; ex effectiōibus eam quam uidemus, animantium ac rerum existere tantam tum uarietatem, tum copiam. Verum ut ad ægritudines reuertamur, quæ de corruptionis sunt genere, earum aliæ corpus tantum afficiunt, aliæ mentem quoq; animamq; ipsam uexant, quæ corporis est perfectio, utiturq; ratione. quædamq; ex ijs adeo quidem mentem exagitant, labefaciuntq; rationis usum, ut uitia rectius dicantur, quàm ægritudines, quæ tamen ipsæ de malo siue stellarum statu, siue ob ægritudinem, soli q; male constituti malitiam, siue utranq; ob causam enascantur, stellis ipsis cum primis ascribendæ sunt. de quibus a nobis et dicta sunt satis multa, et dicentur libro hoc haudquaquam pauciora.

De Vitiligine siue Morphea.

Vitiligo, quæ hodie apud uulgus est Morphea, præterquam quod foeda ipsa est, è malo fit corporis habitu, serpitq; latius, et altius descendit. Tres eius à Celso species traduntur, duæ albidæ, tertia subnigra, et umbræ similis, quo morbo homines soli ob cutis tenuitatem, quippe qui ferè soli exanimantibus apertissime canescunt, corripere consueuerunt, atq; ubi cutis laborat, pilum quoq; laborare necesse est, atq; inde defluere, quacumq; uis illa serpat, quam natura ipsa ob corruptionem secernit, eamq; ut è corpore exigat, ad cutem propellit, cutemq; ipsam aspirando ad illam uitiat. Oritur autem è sanguine quem pituita crassior uitiat, quodq; nunc remissius, nunc uehementius agitur, duæ inde species existunt, utraq; tamen albidæ. At quæ subnigra, oritur è uitio, quod rubra bilis in atram de nimia inflammatione uersa, sanguini ipsi attulit, cutemq; sic afficit, ut ex ea sursum res, et quæ à Celso squamulæ dicuntur, resoluantur. Mercurius autem in sexto ab horoscopo positus loco, Lunæq; iam crescenti copulatus, uitiosas contrahere ualitudines solitus est, corpusq; nati illius in cuius genitura hoc euenerit, albis maculis et insicere, et uariare. Etenim Luna, exagitata a se pituita illa crassiore, de qua dictum est, sanguinem uitiat. cui etiã uitio accedit Mercurialis humoris perniciofa contagio, quæ è re infecto sanguine, cum excernere natura ipsa quod inest corruptum studeat, ad cutem illud excutit, indeq; uitiata cute ac pilis, maculæ illic inalbescunt, eo foediores futuræ, si natura signi ad malum hoc se se adiunxerit.

De Impetigine.

Simile uitium est Impetigo, quæ in cute quoq; gignitur, nunc rufa, nunc nigra, pro sanguinis ipsius corruptione, qui alias de nimia inflammatione, alias ab nigra bile, alias ab humenti, salsaq; pituita infectus hoc euaporationis genere expurgare se nititur, atq; hac uia cutem uitiat. Quo fit, ut Celsus quatuor eius species esse dicat, quæ rubeat, quæ sit etiam aliquanto rubicundior, quæ nigrescat, quæq; subalbida sit, quam deterrimam dicit, uidelicet ob sanguinis inflammationem, ac pituitæ, aut atræ bilis commixtionem ac uim. Non nunquam è in impetiginem trāsire medici tradunt papulas quasdam, quas Græci ueteres ἀπειρα hoc est feras uocauerunt, quod uitij genus denuntiari à stellis solet, quoties in genitura Mars in Cancro, aut Scorpio, aut Capricorno, aut Piscibus inuentus Lunam è fronte oppositam uiderit. Ex his enim signa tropica, ut dictum est, maiore quadam auctoritate prædita sunt, quorum etiam alterum triangularitas Martis est, ac Lunæ domiciliū, alterum Martis ipsius altitudo, cum Scorpius peculiare quoq; ipsius hospitium sit, Pisces autem sint squamosi, et hi morbi squamulas uagando, ac serpe do in summa cute resoluant. Itaq; cum sit natura feruētior Mars præditus, atq; hinc proprio à signo foueatur, illinc à Luna oppognetur, sanguinem ita infestaturus uidetur, ut ex infestatione hac turbulentia nascatur ea, quæ aut impetiginem, aut porriginem, aut fortasse scabiem et terram contractura sit. Quin et si Luna, Saturnus, et Mars nascente aliquo æquinoctialibus in signis pariter constiterint, nati illius corpus, sanguinemq; ita inficient, ut is futurus sit aut uitiliginosus, aut impetiginosus, aut leprofus, uitiaq; ipsa eo maiora, et acriora erunt, quo stellæ ipsæ potentiores cæli locum ad male faciendum nactæ fuerint, sepe etiam id efficiunt, ut corporis ipsius cutis asperior effecta et pruriant ubiq; et squamulas ferè assidue stringat. Et quoniam in scabiei, ac lepræ mentionem incidimus, non alienum uidetur, paucis explicare, de cuius humoris corruptione, aut perniciofa mixtura, mala hæc oriantur.

De Scabie.

Scabies igitur fit quoties sanguis cui rufæ bilis multum inest, ac pituita, quæ salisior est, una commiscetur. quæ è commixtione humor ille salisus, quem natura excernens ad cutem propellit, prurimum illic excitat, unde Scabies dicta est. et si tenuior humor fuerit, in porriginem abit,

fin crassior, pustulas gignit. qua ratione, & uia humor ipse ab interioribus ad exteriora propulsus nunc pruriendo expurgatur, nunc putrescendo. Sordes quoque, cibi item, potusque intemperantia, nec non & contagio scabiē per sepe ingenerat. Lepra uero quam terram scabiem nō semel uocauimus, nō solum contagiosa, uerum etiam hereditaria est, quippe quæ a parentibus in filios transfundatur ob genitale semē uitio illo infectum. Oritur autē atra è bile, quæ frigiditate, ac siccitate nimia sanguinem ipsum conficit, alimētāque quibus emittitur corpus, corrūpit, exiataque uehementius, cūque his semen quoque genitale, quod è sanguine ipso manat. Hæc igitur ipsa terra scabies, ubi ex atra illa bile contracta est, quæ quidem è rubra maiorem in modū incensa descendit, lacertos, atque artus ipsos paulatim exest ob innatam sibi rabiem. At ubi bilis ipsa è feculentia subsemit sanguinis, extremas corporis partes minime tangit, quippe quæ in initio plerumque curationem recipit. Ignis etiam sacer ab eodē ferè fonte ducit ortum, cum pustulis ijs cognatus sit, quæ crasso fiunt è sanguine, isque sanguis multum in se nigra bilis habet. Cū autē duo sint eius genera, alterum quidem exasperatū per pustulas, ut Celsus tradit, continuas ac plurimas, quarum nulla sit maior altera, sit maxime in pectore, aut in lateribus, aut eminentibus in partibus, præcipueque in plantis, Alterū uero in summae cutis exulceratione, sed sine altitudine. Atque ut illud est subrubundum, aut pallore, ac rubore mixtum, sic hoc est subliuidū, cūque mediū sanescit, extrema procedunt. Scabiē Celsus esse ait cutē rubicundā, è qua pustulæ oriantur, quædam humidiores, quædam sicciores, ut è quibusdam tamē sanies quoque exeat, fiatque continuata exulceratio, quæ et puriat, et non nunquam cito serpat, quoque asperior ipsa est, quoque prurit magis, eo difficilius tollatur, quæ è re ἀπλω, idest feram a Græcis appellatam existimat. sæpe etiam licet ex toto desierit, anni certo tempore reuertitur. Humores igitur è quibus hæc morborū genera oriuntur, à Marte ac Saturno Lunā percutientibus præcipue excitantur, excitati autem nūc de nimia inflammatione, ac calefactione sanguinē uitiant, nunc de nimia frigiditate, ac siccitate, aliquādo de pituita, quæ et crassa, et salsa admodū sit. Quarū rerū denuntiatio fit geniturae tempore à statu, cōfigurationeque præcipue triū harū stellarū, quæ humoribus his præfident, atque à natura signi, in quo stellæ ipsæ reperiuntur, ægnoctialia namque in signo simul collocatæ, cum ægnoctialia signa magnæ auctoritatis sint, atque è quadrangulo solstitialia percutiant, nati corpus aut albis dedecorabunt maculis, aut serpētibus uitijs, aut squamis minoribus exasperabunt, aut scabiē diurturua uexabunt, aut etiam lepræ

terrimo morbo inhonestabunt, pro stellarū ipsarum inter se prærogatiua & uiribus.

De Elephantia.

Est etiam morbus quem ἐλεφαντία Græci uocant, qui in Italia olim ignotus penè fuerit. Is totum corpus afficere, ossa quoque uitare consuevit. Summa itaque corporis, ut Celsus ait, cutis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Hæ maculæ rubescunt primo, post in atrum uertuntur colorem. cutis autem inæquabiliter uariat, quippe quæ nunc mollis, nunc dura est, nunc crassa, contra nunc tenuis, quin etiam squamulus quasdam resoluit, exasperaturque. In initio elephantia corpus macie quidem afficitur, cæterum os, suræ, pedes intumescunt. post ubi morbus ipse consenuit, manuum, ac pedum digitis intumescunt, ut sub tumore ipso condantur, demumque exorta febricula, faciale obrutus tot malis homo emoritur. Portenditur autem hoc morbi genus, cum Luna in culminis successione, hoc est in undecimo ab horoscopo loco constituta, ibidem cum Sole coit, Iupiterque cum iisdem eodē pariter in loco inuenitur, Saturnus uero ac Mars horoscopum percutiunt, alter è quadrangulo, alter ex opposito loco. Præsertim si aut Mars aut Saturnus ægnoctiale signum insident, hoc est Mars Arietem, in quo domicilium obtinet, Saturnus Libram, quo in signo altitudinem habet suam. cum etiam Mars in Libra collocatus domicilio opponatur suo, Saturnus in Ariete altitudinem. Hæc etenim configuratio ob aspectus tam infensos, necesse est humores ipsos ac præsertim sanguinem ex omni parte labeficiat, in qua Iupiter suo præsertim, hoc est undecimo in loco à Sole uiritur, Lunaque cum Sole deliquescit. Mars uero ac Saturnus loca opportunissima nacti sunt ad hoc ipsum mali genus perpetrandum. Idem etiam elephantia morbus portenditur diurna in genitura à Marte, Venere, ac Luna, ubi tropici in signis posita inuicem sibi diametrabuntur. Dum tamen Saturnus easdem ipsas stellas, de Leone uideat, seu de Tauro, Sagittario, aut Piscibus, quando in se suo et Taurū inficit, Venere domū, & Venere ipsam intuitu suo lacessit, & Pisces, eiusdem altitudinem, cum etiam succedat Taurus Arieti, Pisces uero descensionem eius teneant. ad hæc in Leone collocatus successione tropici signi, hoc est Cancri, in Sagittario autē Capricorni descensionem occupat. Quid quod Sagittarius à Cancro illinc sextum, hinc octauum sibi locum uendicat, Leo item à Capricorno. uterque autem locus disiectus, atque perniciosus est, in quorum altero, quin in utroque Saturnum inueniri diuersam ob rationem necesse est. Venere, Marte, ac Luna partim è Cancro, partim è Capricorno sese

impugnabitibus. Pisces quoque sextum à Libra locum obtinent, Taurus octauum. Itaque ratione eadem Venere, Marte, ac Luna è Libra, Arieteque se se laceffentibus, si Saturnus inuentus fuerit in Piscibus, descensio nem quidè Arietis, sextum uero à Libra locum nascetur, sin in Tauro, Arietis successione, octauum à Libra locum obtinebit. Rursus Luna in Tauro comperta natali tempore, si Saturnum sibi è Scorpio aduersantem uiderit, aut mutata sorte Luna Scorpium, Saturnus Taurum obtinuerit, nec benefica stella radijs suis Lunam ab hostica Saturni irradiatione protexerit, elephantia uitium minuitur. Hæc enim ipsa Lunæ, ac Saturni tam aduersa radiorum commixtio, atque è signis, in quorum altero Luna extollitur, in altero contra deijctur, hinc multum crassæ, falsæque pituitæ, illinc multum nigra bilis defluxurum indicat. quam ob causam uitiatus sanguis elephantiam inducet.

De Calculis.

Calculi uitio solus homo uexatur, quod eius uesica in qua generatur, angustum admodum os atque canalem habeat. Ea et pisces plerisque, et aues carere, compertum est, et quibus inest animantibus, ut quadrupedibus, ea meatus laxiores, ipsumque canalem sane quam amplum atque adaptum habet, unde facilis est qui in illam influxerint humorum effusio. Terreni igitur humoris quicquid in illam intrusum est, ubi se creuit sese, atque subsedit, quod in matula cernitur, uitreisque, urinaris, nec propter canalium angustias excernitur, paulatim concrefcit, arefactumque à calore fit crassius. Siquidem particulae ipsæ sibi inhaerentes dum ab exitu prohibentur, in calculi formam sensim coactæ transeunt, dolorque inde oritur, dum natura emittere illum nititur, contra angustiae canaliculi ne exeat, prohibent. Totum autem hoc uitium Saturno uidetur imponendum, quoniam tum uesicæ, tum humori terreno præsidet, ac suapte natura maleficus est. Erit igitur calculosus, laborabitque hoc uesicæ uitio quisquis geniturae suæ tempore, modo ea diurna fuerit, Saturnum cum Mercurio simul octauo in loco ab horoscopo, hoc est in occasu decessione sortitus fuerit, forsan uentris quoque uitio laboraturus est. locus enim octauus cum sit gratuito noxius, ut dictum est, Saturnusque, ac Mercurius cum bilem, quæ atra est, summum in modum excitent, ipseque Saturnus diurno lætetur tempore, efficiaturque ad malefaciendum portentior, nimirum morbum hunc in generaturi uidentur. Siquidem calculi, ut dictum est, concrefcunt ex humore terreno, qui in uesica subsederit.

De Quibusdam

De Quibusdam siue uitis, siue ægritudinibus in generali.

omino autem Saturnus, præsertimque perniciosus in locis constitutus, perniciosos, latentesque humores excitat, eosdemque continuos, atque eo magis, si Mars uires illi suas ad nocendum porrexerit. Etenim quocumque in signo simul positi (tanta est utriusque malignitas) occultos corporis dolores excitant, ac tum nervos, tum etiam stomachum, intestinaque infestant. Idem in sexto, aut duodecimo loco simul positi, præsertim in signo duplici, aut tropico, aut si in eodem ipso signo fortunæ quoque locus pariter inuentus fuerit, non solum uitia, ægritudinesque corporibus manantur, uerum etiam animo ac menti. Præsertim si et illud accesserit, ut Lunam, Solemque quadrangulo, aut opposito è loco feriant. In hac enim configuratione tum Sol et Luna, uitæ nostræ duces maleficarum irradiatione noxia infestantur, tum fortunæ locus illarum in fessione ex toto inficitur, ut necesse sit animum quoque, nedum corpus male affectum iri. Fit magna quoque malis his accessio à locis inconiunctis, atque auersis, propter insitam noxam, et à signis tropicis, propter magnitudinē auctoritatis, aut duplicibus à signis. In Piscibus enim Saturnus ac Mars constituti Virginem ab opposito loco uerberant, huiusmodi quædam signum, Mercurijque, qui rationis dator est, domiciliū, atque altitudinē. In Sagittario Geminos laceffunt, eiusdem quoque Mercurij hospitium. In ipsis autem Geminis, aut Virgine in fessu suo longe illa uehementius corrumpunt. Denique partim in fessione sua, partim è quadrangulo, aut diametro irradiantes, signa ipsa duplicia undique infestant, ut non temere duplicium signorum ratio hac præsertim in configuratione habenda uideatur. Mars quoque uitia, ægritudinesque decernit, ubi duodecimo, aut sexto in loco collocatus, à Sole, Saturno uel conspectus fuerit. Locus enim gratuito noxius, et Solis aut Saturni aspectus, Marti stimulos ad malefaciendum adiungunt. Saturnus in occasu collocatus, si luminaribus ipsis cardinem cœli aliquem aut simul aut seperatim tenentibus diametrabitur, aut quadrangulabitur, stomachi uitia, malumque decernit habitum, ob frigus, perniciososque humores, cum ipse stomacho, intestinisque præsideat. Idem Saturnus in secundo loco, id est in ascendente successione, aut in quarto loco, imoque in cardine geniturae inuentus, ei qui tunc nascitur, graues, ac non nunquam diuturnas minatur ualitudines, adhæc horrores corporis, stomachique præsertim dolores è duodecimo etiam loco, horoscopi que descensione ægritudines et quidem

grauissimas, si aut Luna ibidem copulatus fuerit, aut Luna ipsa cardinem aliquem tenuerit. Erunt autem ægritudines multo grauioribus, si genitura ipsa nocturna fuerit, quo tempore Luna est potentior excitandis humorum fluoribus, et Saturnus conditionem contrariam sortitus, ex hac indignatione magis ac magis ad nocendum irritatur. In sexto etiam loco, occasusq; descensione Saturnus constitutus, qui locus gratuito malus est, ægritudines portendit, si aut Luna deficiens ad eum applicabit, aut è quarto, opposito uero loco hostiliter se se intuebuntur. Etenim Saturni perniciofa uis deficiente à Luna mirum in modum augetur. Mars item quinto in loco ab horoscopo positus, si diurna genitura fuerit, prosternata loci illius benignitate, in seffu suo, atq; ob aduersam conditionem, cum stella Martis nocturna sit, Lunamq; crescenti lumine undecimo è loco sibi aduersantem uiderit, in seffo etiam radijs suis undecimo loco, qui per se benignus est, febres ardentissimas minuitur, quæq; insaniam uideantur altaturæ. In duodecimo etiam loco collocatus Mars ægritudines quam grauissimas decernit, quod itidem quocunq; è cardine minuitur, præcipue ubi diurna genitura fuerit, neq; benignus aspectus aliquo è loco affulserit. Idem Mars sexto è loco et propter loci maleficam naturam, et q; similitudine lætatur, ualitudines portendit. Signi tamen in quo reperitur natura diligenter aduertenda est, siquidem signum ipsum ubi incuruum fuerit, consuevit uitium potius afferre, facietq; aut claudum, aut gibberum. Sol quoq; sexto in loco constitutus graues, ac longos morbos denuntiat, q; si Mars horoscopum uitauerit, etiam uulnera infliget, septimo item in loco, hoc est occiduo in cardine positus tum uitia, tum ualitudines maximas, siquidem horoscopum minacissime oppugnat, in quo uitæ ipsius fundamentum est iactum. Quod si Mars Soli coniunctus fuerit, aut quauis irradiatione Sol à Marte percussus, ualitudines futuræ sunt uehementer calidæ atq; ignitæ. Sin Saturnus aut copulabitur Soli, aut illum irradiauerit, ualitudines futuræ sunt Saturninæ. Sol quoq; duodecimo in loco ab horoscopo constitutus et uitia decernit, et ægritudines etiam maximas, ob loci perniciosam naturam. Saturnus ac Mars ubi in cardinibus ita collocati fuerint, ut diametrentur inuicem, Lunamq; aut è quadrangulo in cardine constitutam uiderint, aut è diametro, qua ratione necesse est alteri eorum coniungi, pedum debilitatem, ac langorem portendunt, præsertim si Luna ipsa in nouissimis inuenietur Libræ partibus, aut Capricorni, aut Arietis. Vbi enim Luna in Libra constituta fuerit, necesse est Saturnum ac Martem quo eidem quadrangulentur, sibiq; inuicem opponantur,

alterum in Cancro, alterum in Capricorno tropicis uidelicet signis constituti, quibus è locis Saturnus illam in eius altitudine propriaq; sub iurisdictione constitutam mirum in modum infestabit, ac sua è domo, si in Capricorno collocatus fuerit, sin in Cancro, non ipsam tantum Lunam, sed Lunæ ipsius domacium infectum præsentia sua reddet, quo tempore Mars aut ex altitudine sua, aut è triangularitate radios quoq; in illam suos iaculabitur. nam Capricornus Martis altitudo est, Cancer triangularitas, cumq; Lunæ domus sit, præsentia quidem sua domum corrumpet, quadrangularitate uero Lunam, domus ipsius domum infestabit. Idem autem hoc continget, si Luna fuerit in Ariete constituta, sin in Capricorno, et Saturnus Libram teneat, Mars Arietem, alter ex altitudine, alter è domo sua illam flagellabit, Mars sibi altitudinis iure subiectam, Saturnus domacium. Quod item continget, ubi Luna in Cancro fuerit constituta Saturnus uero in Libra, Mars autem in Ariete. Sed nec minor corruptio signorum futura est, si Mars Libram, Saturnus Arietem, et se inuicem ex opposito loco, et Lunam è quadrangulo infestauerint. quibus è rebus utraq; maleficæ maximas sibi uires ad impugnamdam Lunam à dextra, sinistraq; accumulabit, atq; comagis, q; ultimi signorum fines maleficis ipsis addicti sunt, quippe qui suapte natura malefici quoq; sunt et ipsi. Videntur autem pedes ipsi debilitandi ob plurimos humores, eosdemq; continuos, ac lentos, quos Mars, Saturnusq; excitabunt, Lunaq; subministrabit, utq; grauitate, ac multitudine deorsum sua assidue defluent, qua è defluxione debilitas ac langor exorietur pedum. Mercurius è Saturno copulatus, occasusq; cum illo nactus nocturna in genitura natos ipsos uitiosos, atq; imbecillos decernit, propter malam humorum permutationem, qui et lenti erunt, et continuati, multumq; in se attrahibiles habebunt. Conditio quoq; nocturna, quæ Saturno aduersatur, malignitatem illius eo acrius irritabit. Corporis etiam, membrorumq; imbecillitatem Mars, ac Saturnus denuntiant us, quorum in genitura Saturnus quidem culmen, Mars uero inum coeli occupauerit. Idem hoc malum et in ætate quidem tenera Saturnus, ac Mars excitabunt, si uterq; simul usdem in partibus Soli, Lunæq; coeuntibus applicauerint. Sol item ac Luna duplicibus in signis positi, cardinemq; aliquem occupantes, si à Marte ac Luna quadrangula radiatione infestentur, idem mali genus portendunt. Ex hac enim configuratione illud efficitur, ut signa omnia duplicia inuicem digladiantur. Si enim Sol in Geminis constitutus fuerit, Luna in Sagittario, maleficarum altera è Piscibus quadrangulabitur, altera è Virgine, aut ab altero

signorum ipsorum, in quo simul posita illis quadrangulantur, hac enim ratione alterum e duplicibus signis in se suo, aduersis alterum radijs inficient. quae constitutio cum maxime perniciofa sit, perniciosissimos quoque humores excitabit, quorum mixtura perquam noxia futura est. quo fit, ut mirum minime uideatur, ex illorum exagitatione, atque affluentia imbecillitatem ingenerari. Neque enim nisi a noxiorum humorum copia, eaque male fermentata provenire membrorum imbecillitas potest, uitiatis ab assidua infestatione nervis, affatisque defluentibus in eos humoribus, qua e defluxione tum ulcera; tum abscessus ibidem fiunt, artusque ipsos male habebunt.

De Vitijs, siue morbis in locis pudendis.

A nus quoque morborum ex pers non est, in quibus enumeratur uitium illud, quod fit, ubi circa eum ora uenarum quibusdam quasi e capitulis sanguinem fundunt. αμορροϊς Graece nomen est, quod uerbum a nostris ita receptum est, ut uix aliud sit in usu. tamen si purgatio haec magis quam morbus non nunquam ei in quibusdam uidetur, ut medicis placeat. Generatur autem fere nimio iecanoris sanguine, cui atrae bilis permixtum est, is autem sanguis ad inferiores partis excretus, ibique se se colligens per ora uenarum quibusdam e capitulis, ut dictum est, profluit, ab hacque sanguinis profusione haemorrhoides dicuntur. Portenduntur autem in natuuitatibus a Luna cum Marte in occasu id est septimo ab horoscopo loco constituta. Ad haec nocturnis in generis Saturnus, Mars autem in diurnis occiduum coeli cardinem tenens haemorrhoidas decernit, sanguisque profusionem. Idem hic Saturnus eundem decernit morbum, ubi Lunae diametabitur, dum tamen ea neque in sua neque in Saturni ipsius domo posita sit, forte et fistulas ingenerabit. Mars quoque cardinalis haec eadem mala decernit, ubi ueneri diametabitur. Consuevit etiam Saturnus in occiduo cardine positus, si matutinus fuerit, haemorrhoidas, si uespertinus, aut haemorrhoidas, aut fistulas circa anum inducere, praesertim Marti qualicunque ratione configuratus. Haec autem stellae maleficae cum sint, et alter sanguinem accendat, alter nigram bilem foueat, Lunamque corporis dominam infestent, praesertim noxijs a locis, aut e cardinibus, sanguinem hac ratione uitiant, praesertim ubi uenerem iecanori praesidentem maleficae ipsae offenderint. Quoniam autem in fistularum mentionem incidimus, haec ipsae non in ano solum, uerum in qualibet fere parte corporis fiunt, et, ut Celsus inquit, genera earum plura sunt, oriunturque

oriunturque etiam e minoribus abscessibus, diuersisque huiusmodi generibus, suntque altae, angustae, callosae.

De Hydropisi.

Græce morbus est ὕδρωψ, hunc prisci Latini aquam inter autem uocant, eiusque tres sunt species in omnibus autem inest humoris abundantia nimia. Fuere qui censerent morbum ipsum iecanoris tantum esse, eoque uitiato, aut male affecto, aquam ipsam enasci, contra qui dicerent etiam splene, pulmone, stomacho male affecto fieri, totiusque e corporis malo habitu. Saepem autem per se incipit, saepe alteri uetusto morbo, maximeque, ut Celsus tradit, quartanae superuenit. Putant autem medici, modo fieri ex mala iecanoris affectione, cum nimiam ob frigiditatem cibum non concoquit, indeque generari sanguinem nequire, corruptaque corporis constitutione, aquam inter autem fieri, modo e malo stomachi habitu, cum frigiditate sua cibum ipsum crudum iecanori transmittit, illumque male concoctum in pituitam uertit, eamque inter pelliculas uentris, atque intestinorum cogit, atque diffundit, saepe ex pulmone, aut liene, saepe ex renibus male affectis, aut menstruorum, haemorrhoidum uel uitio. Quandoque autem, quod perniciosissimum esse hydropis genus uolunt, post diuturnas, atque ardentissimas febris iecur ita exastuare, ut urat magis quam concoquat, eamque ob exustionem sanguinem nullum gigni. Haec autem inuuisse hac in parte satis sit, qui ea cognoscere expressius uolunt, medicos ipsos consulant. Futuri autem uidentur hydropici, in quorum natuuitatibus Mars ac Saturnus tropicas in signis constituti Lunam quadrangulis simul radijs hostiliter pulsauerint. Mars enim aut sanguinem uitiabit ob calorem nimium, febrisque ardentiores, aut Saturnus, ob frigus, febresque diuturniores, perinde ut in configuratione ipsa alter altero ualentiore fuerit, fauoribusque maioribus instructus. Ac nihilominus sanguinem uterque male afficiet, cum etiam Saturnus ac Luna uideantur magnam pituitae uim excitaturi. Signa autem tropica, quod tam saepe dicuntur, maximae auctoritatis sunt, uiriumque plurimarum.

De Cardiaco.

In Cardiacum per sepe morbum incidunt quos ardentioribus laborantes febribus, dum medici implere nolunt, ne insaniant, ieiunio ita coficiunt, ut uel ob imbecillitate hoc ipso morbo afficiatur. Tamen, ut Celsus tradit, ad hunc ipsum per sepe morbum phrenitici traseunt. Fie

itaq; morbus hic e nimia imbecillitate corporis, ac languente stoma-
cho, quod pulsus ipse imbecillus, sudorq; potissimum declarat, qui toto
prorumpit corpore, pedibus tantummodo ac cruribus sicis, atq; fri-
gentibus. Vino autem tandem succurrendum tradunt. Illis itaq; mor-
bus hic portenditur, in quorum genituris praesertim diurnis Mars ali-
quem cardinem tenuerit, itemq; Mercurius, qua ratione inuicem aut
diametrabuntur, aut e quadrangulo se se ferient. Sol quoq; in octauo
ab horoscopo loco positus, si Martem, aut Saturnum socium sortitus ibi-
dem fuerit, aut forte illis quadrangulabitur, diametrabitur ue, deli-
ros faciet, aut insanos, aut cardiacos pro signi natura, indicant enim
febres ardentissimas, e quarum nimio aestu aut delirium oritur, aut
insania, aut hic ipse cardiacus morbus, de quo nunc loquimur.

De Torminibus.

Est Graeco nomine morbus intestinorum *σφοδρασία*, Latino sunt
Tormina, exulcerant autem intus intestina, unde Graecum nomen
ductum est. dolor quoq; multus est in ano, frequensq; deijcendi cupi-
ditas, & quod deijcitur, utiq; exiguum est, ob hoc Tormina a torque-
do dicta. Ipsam autem ob exulcerationem cruor quidam exceritur
modo cum stercore liquecente, modo cum mucosis quibusdam, ut Cel-
sus ait, modo cum carnosus. Ipsorum autem torminum non una est ra-
tio, siquidem malum ipsum non nunquam ad abscessum aliquem ac-
uoniam que in intestino facta sit, referendum est, aliquando ad ier-
cur, cum sanguine nimio laborans ad intestina illum deijcat, aut du
imbecillitate sua cibum male concoquit, neq; ad membrorum trans-
mittere alimoniam potest. quo fit, ut quae male concocta sunt, ad in-
testina deiecta, ea ipsa exulcerent. quandoq; etiã uenae quod multo
intumescent sanguine, rumpuntur, isq; sanguis post ad intestina de-
fluit, saepe autem ob humorum nimiam copiam, qui ad intestina dela-
ti illic simul computrescunt, intestinaq; ipsa uitiant. Decernuntur aut
tormina, ubi Luna in occasu, hoc est septimo in loco aduersus horosco-
pum constituta fuerit, Saturnus autem cum Mercurio una sextum lo-
cum insederit, & illud quoq; accesserit, ut fortunae locus aut Luna,
aut Saturni domicilium sortitus fuerit. Ex hac aut configuratione, cu
Saturnus intestinis praesideat, decernitur is in locis egritudo futura,
atq; ex uitiatis humoribus, praecipueq; ex atra bile, propter Saturnum
ac Mercurium, nec non ex pituita, quae multa sit, & salsa, propter Lu-
na horoscopo minitanti, itemq; ob Saturnum pituitae excitatorem e lo-
co malefico. Signi quoq; ascendens natura, in quae humorem morbus

ipse inclinaturus sit, no parũ indicabit. Quodq; fortunae locus magnae
authoritatis est et ad illa, quae ad corpus ptinent, et ipse quoq; infectus
a signi domino pncioso in loco constituto excitabit plus nimio ac uitia-
bit humorẽ illũ, q ab ipso qdẽ signo excitabitur. Idẽ quoq; Saturnus
cum Marte sexto in loco positus, uel a Marte ipso e quadrangulo, op-
posito ue loco percussus, quoniã occultos corporis dolores, atq; humores
mouet, consuevit quoq; torminosos facere, quiq; dysenterici dicuntur.

De Mutilatis.

Nec uero raro accidit, quod humanarũ rerũ euentus ferunt, ut corpus
ipsum hominis parte aliqua mutiletur, cuius mali causa ad Martẽ po-
tissimum referenda est. Neq; enim corpora ipsa nostra, ut explicatum
est, externis sunt a periculis libera, quod res ipsa quotidie declarat.
Amputabitur itaq; aut pes, aut manus, aut membrum aliud pro natu-
ra signi nato illi, in cuius genitura Mars Saturno coniunctus, atq; ho-
roscopum partiliter occupans, Solem ac Mercurium in occiduo cardine
aduersum se consistentes intuebitur. Ambae nanq; maleficae coniunctis
simul uiribus horoscopo, id est corporis minantur compagini, alter fer-
ro, alter ruinis, uterq; autem uiolenter, Sol ac Mercurius itidem mi-
nantur ab occasu. Adhaec Martis, Mercurijq; irradiationes simul mix-
tae perniciose admodum sunt, atq; eo amplius, cum exustus a Sole
Mercurius retorrescit. Inducitur igitur externa uis, quae corpus aut
cedendo, aut praecipitando parte ab aliqua comminat. Quid q; Mars
ac Mercurius infestis animis in rixas, contetiones, pugnasq; hac e con-
figuratione progrediuntur, quod et oppositio ipsa indicat. Idem Mars
in occiduo cardine constitutus partem aliquam corporis excindet, pro
natura signi in quo Mars ipse consiterit, dum tamen Luna octauũ
locum occupet, quippe quae statim in locum Martis decessura sit, &
ab ipso occasu signum illud infestatura in horoscopo, quod paulo an-
te ab octauo loco aduersis radijs in secundo, atq; in ortus successio-
ne infestauerat. forte pars illa corporis ex toto non excidetur, ue-
rum confringetur potius. Luna quoq; aut pedem, aut manum excisu-
ram se minatur, quoties in Ariete, aut Libra, in Cancro, aut in
Capricorno constituta Martem e quadrangulo loco gladium sibi por-
rigentem aspexerit. Sunt autem signa tropica ad omnes effectiones
mirificae authoritatis, quae ex hac configuratione, cuncta aut qua-
drangulo, aut opposito e loco inficiuntur. Cum autem Luna cor-
pus ipsum potissimum moderetur, ubi a Marte hostica irradia-
tione percussa fuerit, atq; ab illo afflicta, corpus quoq; affiget.

Magnū etiam periculū nato illi imminet, in cuius genitura Mars ac Saturnus pariter aut in Capricorno, aut in Piscibus, aut in Ariete, aut in Tauro inuenti fuerint, ne membrū aliquod amputetur pro natura signi. Pisces namq; pedibus, Capricornus genibus, Aries capiti, Taurus cernici, & collo praesidet. Hæc aut signa commissuras corporis obtinent, qua primum parte caput cervici connectitur, ac collo, deinde qua cervix ipsa collumq; humeris, spinæ, costis, deinceps qua genua coxis cruribusq; postremo qua pedes subnectuntur cruribus. Quid quod ubi ambo Mars ac Saturnus Pisces obtinent, signa ipsa duplicata partim è quadrangulo, partim ex opposito loco insciuntur simul ab illis omnia, sin in Tauro, solida quoq; omnia, in Ariete autem, & Capricorno, tempore eodem & æquinoctialia, & solstitialia. Adhæc si ambo in Capricorno constiterint, primum in sessione sua Capricornum ipsum, in quo Saturni domus est, Martisq; altitudo, corrumpunt, è quadrangulo Arietem ac Libram, alterum Martis ipsius domum, alteram Saturni altitudinem, & item Cancrum Lunæ domicilium ex opposito. quod idem rursus mutatis continget sedibus, ubi in Ariete, aut Libra uterq; simul constituti fuerint, sin in Tauro, & Lunæ altitudinem in sessione suo insciunt, & Scorpionum Martis domicilium è diametro, & Aquarium Saturni, è quadrangulo. Mercurius item cum Saturno ac Sole pariter in occasu positus, Luna uero Marti pariter coniuncta, octauūq; locū obtinens consuevere aut manus amputare, aut pedes, aut illas illosue imbecillos reddere, aut claudicationē inducere, aut saltem mentis uitium aliquod, pro natura uidelicet signi. Cardo enim ipse occiduus cū aduersetur oriētis plagæ, in qua corporis, animæq; constitutio collocata est, atq; inde Sol, Mercuriusq; munitentur ortui, octauus uero locus, qui succedit occasui, munitetur secundo, qui succedit ortui, indeq; occasus id est septimus locus delabatur in sextū, ortusq; id est primus, atq; ascendens locus in duodecimū, quæ loci admodū perhibentur nocua, octauus uero in septimū, atq; inde quod signū percussit ab octauo, rursus ac uehementius quidem percussit à septimo, qui locus cardinalis est, necesse est partem aliquā corporis, aut animæ labefactari, plagamq; aliquā accipere, aut ex abscessione, aut fractione, aut imbecillitate, aut abscessu, fistulisue, aut delirio, fatiitate, in saniaue. Neq; enim harum quinque stellarum commixtio alteratioq; sine corporis, animiq; detrimento, labefactatioq; potest contingere, præsertim in locis tantopere noxijs, cum neq; Iupiter, neq; Venus aut uim externam prohibeant, aut humorum improbitatem tantum irradiatione sua temperent.

De Tabes, siue Phthisi.

Tabis, quam Græci φθίσις nominant, tres à Celso species traduntur, una cum corpus ipsum non alitur, atq; quotidie decedit ab eo aliquid, proptereaq; summa etiam macies oritur, quæ, nisi diligenter occurratur, statim interficit. Ea oriri consuevit, ubi quis aut auaritia nimis plus quam debet, assumit, quæ è re quod superat corrumpitur, aut minus quam debet, quæ res corpus ipsum infirmit. ac propterea qui eo uitio laborat, facile è uita tollitur. Altera species non nisi malus quidam corporis habitus est, cum aut quæ alere corpus debent, ea corrumpuntur, propter uitium longiore è morbro contractū. quo fit, ut refici corpus ipsum nequeat, aut cū propter malam curationē, medicamentaq; male tentata pessime affectum est, aut cū neq; usitatos, neq; utiles cibos quis assumpsit, simile ue aliquid, ut ipse Celsus ait, incidit, quū etiā aut ex asperari cutis assiduis pustulis, aut intumescere partes quædam corporis consueverunt. Hæc q; μαλαξία uocata est. Tertia longeque periculosissima, quæ suo nomine phthisis est, à capite oritur, indeq; in pulmonem distillans, illumq; exulcerans febriculam excitat, eamque leuem, ac lentam. cui & tussis frequenter adiungitur, & excreatio, quæ cruentum aliquid habeat, quod in ignem iniectum male oleat, idq; Phthisis ipsius signum esse uolunt. Omnino autem tabes paucillatim quidem membrorum, corporisq; totius humectationem absorbit, quæ è re φθίσις à Græcis ob huiusmodi consumptionem nominata est. In decimo itaq; ab horoscopo loco, id est in ipso mundi culmine constitutus Saturnus diurnis in genituris, si Mercurium secum copulatum habuerit, ipseq; deficientis Lunæ cornu extremo inhaerit, ab opposito uero, quadrangulo ue loco Martem sibi repugnantem uiderit, nimirum phthicos faciet, qui hac sub configuratione nascentur. Quod si Luna ab eo recedens, ad Martis coniunctionem festinauerit, aut lunaticos reddet, aut languidos. Etenim Saturnus decimo in loco propter culminis maiestatem, diurnæq; auctoritatem conditionis efficitur excitandis nocuis humoribus longe ualentissimus, præsertimq; Lunæ coniunctus, eidemq; immunitæ. Luna enim corniculata immunito est lumine, quæ è re nocua Saturni uis mirifice augetur, indeq; distillationes & quidem continuatæ, propter Saturni naturam, atq; è summo, hoc est ab ipso capite excitantur. Humorū autem ipsorum tum distillatio nem, tum exitiosam uim, quæq; nigra bilis multum habeat, Mercurius & excitat, & ex acuit, conuersus & ipse in maleficam Saturni naturam. At parte alia Mars calorem excitat, sanguinemq; incendit.

radij; eius Saturninis, Mercurialibusq; immixti id præstant, ut è commixtione ipsa, ea manet humorum fermentatio, quæ tandem ac suo tempore excedat propter Martem, & pedetentim ac continue defluat propter Saturni lentitudinem, et peneiret propter Mercuriũ, ac distillet, qui ppe qui nequeat quiescere, Lunaq; ipsa suppeditatione sua humorem assiduũ subministrat. Non temere igitur tabes, id est corruptio vitalis roboris, consumptioq; hinc sequitur. cum tot simul ad malum conueniant, corruptio sanguinis, uenarum arefactio, vitatio arteriarum, pulmonumq; exulceratio. Ipsum autem nomẽ, morbi ipsius proprietatem indicat, quod sensim uidelicet, continuatq; absumat, cuius exemplum est tum nix, tum cæra Soli obiecta, utraq; nãq; paulatim deliquescendo absumitur. Poëtæ quoq; tabescere amãtes dicunt, qd assiduo dolore, ac cura ob amatoriam conficiantur cupiditatem. Idẽ quoq; Saturnus Marti immixtus, ac sexto in loco cum illo positus, quo è loco uitia, ualitudinesq; maxime pullulant, modo phthisicos, modo dysentericos facere consuevit. Nec secus autem, ubi eodem hoc in loco constitutus Martem aut è quadrangulo, aut ex opposito loco minitantem intuebitur. Quid quod Saturnus ac Mars inuicem oppositi, seq; è regione hostiliter laceffentes, uomitum pronocare consueuerunt, quidem sanguinolentum. Siquidem Saturnus propter malum stomachi habitum uomitum ciet, Mars sanguinem reiecit. Forsan, & ambo tussim mouebunt, excreatusq; cruentos, ac sputa etiam cruenta.

De Podagra.

Α τ podagros, id est articularum, iuncturarumq; doloribus laborantes, quod uitium in pedibus, ac manibus oriri consuevit, unde podagra, & περιγρα Græce nominata, Mars, Venus, Lunaq; efficiunt nocturnis in genituris, cardinalibusq; in signis positi, seq; inuicem aduersis radijs laceffentes. dum tamen Saturnus illos sic positos aut è Leone, aut è Tauro, aut è Sagittario, Piscibus uel aspexerit. Signa enim cardinalia summa sunt autoritate prædita, seq; inuicem aut è quadrangulo, aut opposito aspectu intuentur. Quo fit, ut quatuor cœli cardines ex infectione unius inficiantur simul omnes. Si enim Luna, Venusq; constitutæ simul fuerint in Cancro, quo Mars illis diametretur, necesse est eum in Capricorno constitui. qua è constitutione & altitudinem simul inficiet suam, & Lunæ domum cum ipsa Luna, Venereq; ibidem collocatis. Itidem si ipse in Cancro, illæ in Capricorno

collocatæ fuerint, nam & Lunæ domum in sessione, & altitudinem suam oppositione, & Arietem ac Libram quadrangulatione nexabit, siue Venus cum Luna fuerit coniuncta, siue cum ipso Marte, nõ forte tres hæc stellæ singulatim cardinem quæq; suũ obtineant. Quæ ratione Mars diametrari uiriq; minime poterit, cum alteri necesse sit quadranguletur uel in Ariete, uel in Libra constitutæ. Luna igitur cum Venere in Cancro posita, Martem uero in Capricorno, si Saturnus in Leone constitutus fuerit, inuenietur in anaphora qdem, hoc est in successione Venere ac Lunæ, à Martis uero loco, octauo. Quod si Saturnus in Sagittario reperiri contigerit, locus ipse Saturni à Cancro sextus erit, à Capricorno duodecimus, quæ loca maxime perniciofa sunt. At ubi diametratio stellarum harum fuerit à Libra in Arietem, rursus uel ab Ariete in Libram, si Saturnus in Piscibus comperitus fuerit, à Libra sextum, ab Ariete duodecimum obtinebit locum, si in Tauro, erit in Arietis successione, in octauo uero loco à Libra, in quibus contingit stellarum ipsarum diametrationem fieri. Atq; hac quidem ratione uidetur configuratio hæc consyderanda, hoc est ut Saturni situs, posituraq; hac uia colligatur. Neq; enim hac in diametratione si Saturnus inuentus fuerit in Leone, aut Sagittario, cum Libram è sexangulo, Arietem è triangulo aspiciat, usque adeo uideri exitiosus debet, ut mali genus hoc exuscitet. Similem in modum si diametrantibus illis è Cancro, Capricornoq; inuentus fuerit Saturnus in Piscibus, hoc est sexangulo quidem à Capricorno, triangulo uero à Cancro, aut diametrantibus in Cancro et Capricorno, Saturnus comperiat in Tauro, qui sexangulo iungatur cum Cancro, triangulo autem cum Capricorno. Mars igitur siue oppositus Venere, ac Lunæ, siue alteri earum coniunctus utranq; ita calfacit inficitq; ut exicat magna è parte, uitetq; atq; acuat earum humectantim, ac salsam reddat. cum Saturnus nocuis è locis nocuis & ipse uenenum illis suum inspergat; qd è terreno humore instillatum, et sal sedinẽ simul, & grauitatem humoribus adiungit, qui ab illis excitantur. quo fit ut deorsum, atq; ad extrema superioribus, intusq; è partibus grauitate detrudantur sua, Efficiuntur autem hac in configuratione, propter nocturnam conditionem, qua gaudent Mars, Venus, ac Luna, multo ualentiores. Contra Saturnus tanquam irritatus à contraria conditione magis magisq; liuescit. Quibus è rebus efficitur, ut in articulis dolores, ualitudinesq; suscitentur, ut qui neruis pluribus colligentur, in quibus Saturni uis magno pere ostenditur. Conditio autẽ ipsa nocturna, diurnaq; tantũ in erraticis ipsis pollet, ut si configuratio

hæc diurnis in genituris contingat, elephanticos potius faciat, quam podagricos, cum alia quidem ratione sanguinem afficiat, exciteq; vitij alterius prauitatem.

De Hernia.

Nec uero partes genitales tutæ sunt a uitijs, cum secari sæpenumero males contingat, aut propter externam uim aliquam, aut propter malum intus conceptum. quo efficitur, ut loco motæ partes ipsæ deorsum decedant, herniamq; inducant. Tamen si moris etiam fuit, ut qui inuitari Cybeli Deum matri, ut putatum est, uellent; sponte secarentur. Hodie quoq; apud Turcas inueniuntur qui colem sibi et testes ferro uinciat. Hæc igitur mala obnuntiantur illis, in quorum genituris Saturnus in occiduo cardine constitutus, Lunæ in aliquo item cardine constitutæ aut quadrangulabitur, aut opponetur. nati enim illi aut ad genitalia secantur, aut in abditis corporis partibus cædunt. Quæ in constitutione figuræ si Luna fuerit imminuto lumine, uix fiet quin è sectione ipsa moriantur, præterquam si Iupiter Lunam presidio suo tuebitur. Luna enim imminuta, quod sæpius dictum est, Saturno male conciliatur. Saturnus quoq; & Mars in oriente, atq; ascendente cæli parte, hoc est in horoscopo simul copulati, in signo uidelicet foemineo, aut in ipso forte cæli culmine partiliter exultantes in signo item foemineo, si Venerem, Mercuriumq; foemineum quoq; signum pariter calcantes uiderint, genitalia minantur se excisuros, natosq; ipsos euiraturos. Omnino tamen cinædos facient. Quod si genitura mulieris fuerit, pudicitia eius in propatulo habebitur, quippe quæ publice prostabit. In hac cæli, figuræq; constitutione Mars & Saturnus cogitantibus inter se de maris, ac foemineæ natura Mercurio, ac Venere è primis se cæli cardinibus contrarios illis exhibent. quo circa cum foemineis in signis collocati pariter sint, si qui tunc foetus in lucem uenit, masculus fuerit, Saturni, Martisque exitiosa uis exectis genitalibus effoeminabit illum, sexumq; uirile contaminabunt, si mulier fuerit, pudicitiam, quæ potissima mulierum laus est, per uulgatam prosternent. Superiore autem in constitutione Saturnus, Lunæq; uidetur perniciosus, atq; abditos potius humores suscitare, ob quorum nocentem uim chirurgi opera adhibenda sit. Sol ac Luna uitæ, et generationis præsidēs foemineo in signo simul copulati, Mercurius quoq; et ipse in signo foemineo, atq; in horoscopo constitutus, natum ipsum exagitant adeo, eiusq; perturbant animum, ut ipse met natus sponte, sine etiã manibus uirile membrum amputaturus sit,

aut causam castrationi daturus. Etenim Mercurius in horoscopo constitutus nati animum ad hoc ipsum inuitabit. cum parte alia Sol ac Luna simul coeutes, quorum coitus rebus inferioribus tam infensus est, atq; exitiosus, meditentur foemineo è signo, quauia uirilis illa nati informatio sexus proprii ruinam factura sit aliquam.

De Difficultate partus.

am uero foetus ipse in lucem ubiq; non prodit, sed aliquando in utero extinctus inde medici opera frustratim extrahitur, quæ trucidatio, aut mors quæ partitudo potius dicenda est. Euenire autem hoc consuevit, quoties Luna in horoscopantis cæli parte posita, atq; a maleficis circumdata hinc Saturnum succedentem horoscopo ex anaphora secundoq; è loco, Solè autem quocunq; intuentem aspectu, illinc Martem in duodecimo collocatum habuerit. quod signum paulo ante horoscopum ipsum obtinuerat, locum inde duodecimum obtineat suapte natura perniciosum. In hac enim configuratione Luna foetus ipsius domina, quæq; partum eo è loco maturare uideatur, circumuenta ab exitiosis, ac paricidalibus stellis, quarum altera ortum ipsum ante Lunæ ad illud aduentum infecerat, altera post Lunæ discessum ab ortu, statim subeat eundem illum infectura, præstare quod promittit non potest cum Sol etiam ipse uitæ dator a Saturno improbe lacessitus Lunæ auxiliū nullū afferat, contra uero malefica stellæ uires sibi ipsæ sexangulo è loco adiungant, & ab illo maleficientiam mutuentur. Quo fit, ut hæc Lunæ circumuentione, maleficarumq; tam exitiosis conatibus foetus in utero exanimetur, ac necesse sit quo mater salua fiat, concisum illum in utero artuatim a medicis inde extrahi. Illud etiam uidere hæc ipsa in configuratione oportet, aspectum Solis ac Saturni forte sua perniciosum esse, si fuerit a quadrangulo, sin a sexangulo illud subsequi, ut Sol quadranguletur horoscopo, Lunæq; ibidem constitutæ. Est enim necesse Solem in imo constitui, ut Saturnum in secundo positum aspiciat a sexangulo, aut in duodecimo collocari ubi & Mars ipse constitutus est. Quadrangulatio aut hæc ab imo, & quidem cardinalis, quæ sit potens, malæq; conciliationis, res ipsa indicat. Solis item duodecimo in loco constitutio, Martisque copulatio quid inde minuetur, quid tandem etiam parret, trucidatio ipsa docet. Idem hic Saturni ad Solem aspectus, si fuerit è diametro, Solem ostendit octauum locum occupare, sin è triangulo, sextum, loca utiq; ab horoscopo, ubi Luna posita est, aliena, naturaliterq; officientia. Quo circa non aspectus modo ipse, uerum etiam loca perniciæ machinantur. Mars quoq; siue sexto, siue duode-

aino in loco ab horoscopo collocatus, si Solem, Lunamq; pariter quadrangula radiatione respexerit de loco quidē superiore, masculinoq; è signo, tum è uitio loci, ac suo, tum è malignitate aspectus, signiq; maiore ui aut abortum faciet, aut foetum intra uiscera lacerabit, cum perpetua quadam matricis ualitudine, aut matrem ipsam in difficulti- mum inducet partitudinis periculum, quin etiam quod natum fuerit & uitij, & ualitudinibus graui oribus ad obscenas partes uexabit. Eadem futura est foetus mos, ac dilaceratio, ubi Mars, Saturnusq; in ortu constituti Lunam in ortu etiā ipso constitutam, deprehensam quoq; in medio, suas ipsi inter copias circumuenerint, Sol uero ac Mercurius in occasu, cardineq; in aduerso collocati inuicem tela hostilem in modum iaculantes hinc atq; illinc sibipso aduersabuntur, hiq; Lunam opposito è loco, illi in medio interceptam crudeliter uexabunt, ut minime mirū sit, foetum in utero tot ab iniurijs statim intercipi. cum horoscopus ipse per quem est in lucem ab utero exitus, tam ualide infestetur, pugnentq; inter se Sol ac Luna, ut pene dixerim materia & forma, sensus item ac ratio, nullumq; aut a Venere, aut a Ioue, aut ab utroq; una praesidium afferatur.

De Praecipitationibus, & casibus.

Casus quoq; ac praecipitationes è curribus, equis, quadrupedibus alijs editioribus item è locis, pedum quoq; prolapsus, ruinaq; collabentium aedificiorum maleficis a stellis Marte, Saturnoq; portenduntur, ut pote a quibus & uitia, & ualitudines corporibus insligantur. Quo arcu in quorum genituris Saturnus cardinalis fuerit, Marsq; in eius successione collocatus, Luna uero alteri eorum aduersa, qua è re illud efficitur, ut Luna si Marti diametretur, octauum à Saturno locum obtineat, ab ipso uidelicet in Lunam numerando. Rursus si à Luna i Saturnum numeres, sextum ipse à Luna locū possideat, Sin aut diametretur Saturno, sextum ab ipso Marte, cum ab eo numeraueris Luna locum retineat, octauum uero, si ab ea in Martem proficiscare, hi inquam in quorum genituris haec contigerit figuratio, aut ruinis pressi, aut ex aedificijs prolabentes, aut excussi curribus, aut è quadrupedibus deiectione, inter ue ambulandum prolapsi uitae pericula, corporisq; damna accipient, similibus ue discriminibus uexabuntur. Mars item, ac Saturnus occasum insidetes signisq; in duplicibus constituti praecipitatione minantur ac ruinas, multo autem uehementius, si Lunam in horoscopo constitutam aduersa radiatione pulsauerint. Sole quoq; ac Luna

partiliter culminantibus, si Saturnus inuicem tenuerit, aduersoq; è loco illis se opposuerit, Marsq; ortum utiq; matutinum tunc faciat, quo tempore admodum potens est, qui hac sub coeli constitutione nascentur, uitio etiam mentis agitati altioribus forte è locis se met praecipitabunt, qd tum propter phrenesim, tum ob furorem euenire consuevit. Luna quoq; in successione horoscopi collocata, beneficisq; a stellis nulla ir radiatione fota, solidisq; in signis posita, diurno praesertim tempore, eiusmodi etiam casuum pericula munitatur, qualia etiam & Mars in occasu positus, dum Luna tamen plena ad eius copulationem feratur, aut Saturnus de culmine, horoscopo ue diametretur in signo praesertim solido constitutus. Si gna autem solida ruinam portendunt potius quam casum, è contrario duplicia. Quoniam autem casus, editisq; è locis deiectiones, quae ab insania, furoreq; proficiscuntur, uitiatas ab humoribus ortum ducunt, caeteri tamen casus, praecipitationesq; neutiq; a corruptione, humorumq; prauitate oriuntur, quippe cum inter fortuita, hoc est externa numerentur mala. Quoniam autem, ut dictum est, corpora ipsa nostra euentis quoq; ne dum aegritudinibus sunt exposita, maleficae ipsae stellae, ut aegritudines, id est corporis mala, perniciosumq; humorum habitum agitationibus suis & euocant, & ingenerant, sic etiam quae corporibus ipsis inferuntur, extrinsecus improbitate sua moliantur. Quid enim absurdius, quam id existimare, fortuita non esse ad stellas referenda, cum corruptio ad illas omnino referatur? ac si externa non etiam periculosius corrumpant, quam humores ipsi, quippe quae repente, atq; ex imparato uires suas exercent, etiam puncto temporis interimentia, aut partes aliquas corporis abscedentia. Neq; enim natura ipsa hominem ita constituit, ut non èt perinde ut elementa, è quibus constat sempiternis illis agitationibus subdiderit, ac si ferro, nauis a gyis, casibus, ruinis non bona etiā mortalium pars intereat. Haec igitur stellae Mars scilicet ac Saturnus malis his exuscitandis praepositi sunt, ut corruptionem non tantum nimio aut a frigore, aut a calore excitent, uerum etiam per alia atq; alia mala, quorum auctores ipsi sunt. Itaq; ut bella & pestes, sic fortuita, repentinaq; moliantur mala, casusq; inopinos, quibus nostra corpora tum uexentur, tum opprimantur, ut quotidie & uidemus & experimur. Et hi quidem suapte a natura non recedunt, corruptionum causis excitandis, cum sint intemperati, & nocui, quibus ut ager aledis frugibus, ita signa materia, et succū quasi quenda summustrant moliedis malis. Aedificia qdem ualida ipsa per se sunt, uis tamen externa demolitur ea. Si gna etenim solida soliditate illis suam

obijciunt, in qua stellæ ipsæ seuiant, ac per illam, ruinam tandem pariant. At duplicia, q̄ communia cum sint, uiribus non ita ualidis utuntur, casus magis denuntiant.

De frigidis, & glutinatis.

Nec uero cum genere hominum ita bene agitur, ut non & mares frigidi ad coitum, & mulieres conglutinato generentur sexu. cuius rei mala Veneris cōstitutio causa est potissima. Quo circa Venus in occasu collocata, ortumq; uespertinum faciens si a Saturno medio è cœlo quadrangulariter uerberetur, & mares & foeminas frigidos ad coitum reddit, atq; a libidine alienos, penèq; consopitos. Venus enim parū feliciter septimo in loco sese habet, q̄ppe cum eo è loco oriētem p̄uat cardinem, qua è percussione, q̄q; Saturno ob culminationem plurimum adiungatur uirium, frigoris hinc tanta fit incussio, ut appetitus ille Veneris in uiris, mulieribusq; penè extinguatur, cogaturq; re languescere. Eadem quoq; Venus cum Saturno, Ioue, & Mercurio, usdemq; in partibus pariter in occasu, imò ue constituta, q̄ hoc in statu nascentur, maribus quidem omnem coeundi cupiditatem adimit, mulieres autem steriles facit. Quod si tropico in signo copulatio hæc contigerit, nimirum propter tropici signi prerogatiuam, cardinisq; potestatem, quadrangulationemq; aut diametrationem ad horoscopus, quæ tum in lucem uenerit puella, conglutinata natura prodeat, oportet. Siquidem commixtio hæc non generationem solum uidetur inhibita, uerum etiam naturam ipsam, per quam generatio fit, obstruitura. Quod si Mars se se his socium adiunxerit, uirilis partes excidit, ut non generandi modo uim homini illi auferat, uerum etiam signa uirilitatis. Quid q̄ permixtio ipsa radiorum adeo interdum perniciosa est, quod è Veneris potissimum afflicta, Mercurioq; male se habente fieri consuevit, atq; è signorum tum masculinis, tum foemninis qualitatibus, ut aut externa ui, qd natū est, euiretur, qd in eunuchis contingit, aut ob commixtionis diuersam, parūq; consentientem, aut potius sibi ipsi repugnantem naturam, neutrum teneat sexum, uel magis utrumq; simul, imperfectum tamen, habeat, quod in hermaphroditis contingit. Veneris igitur in Mercurij domo, aut finibus posita, Mercurio in domicilio Veneris, aut in eius finibus, Luna uero in Virgine, aut Capricorno, aut Tauro, aut Leone collocata, cæteris autem erraticis masculinae qualitatis foemineis in signis, foemineae uero in masculis positus, qd hac sub cœli constitutione natum fuerit, biforme prorsus erit. Præ mala autem Veneris, Mercurijq; constitutione, habituq; genitalis ita colluctatur uis, ut neutram

ut neutram in partem maris, foemineae ue declinet. Qua de re uocati sunt hermaphroditis, mixto Veneris ac Mercurij nomine. Videtis primum domorum, aut finium commutatio quid præstet, quid etiam stelle masculae in signis foemineis, foemineae in masculis collocatae. hæc enim contentio tam controuersa nec masculas permittit stellas uires proprias, nec muliebres uicissim exercere suas. Deinde animū aduerte ad Lunā, q̄ in Virgine posita fauet hinc Mercurio, illinc in Tauro Veneri propter domesticam coniunctionem. Quod si Mercurio Tauro, Veneris Geminos tenente, Luna fuerit comperta in Virgine, Venerem quidem de foemineo signo respiciet quadrangulariter, at Mercurium triangulariter, Sin in Leone, è signo masculino atq; è successione domus suae quadrangulabitur Mercurio, sexangulabitur autem Veneri. Rursum si Mercurius constituatur in Libra, Venus in Virgine, Luna uero in Capricorno, è signo quidem tropico ac foemineo, domui tamen suae aduerso, Luna Mercurio quadrangulabitur, triangulabitur autem Veneri. Illud quoq; principe loco considerandum est, Tauro, Virginem, ac Capricornum constituere triangularitatem eam, quæ terrena est, cui etiam Venus, Lunaq; simul præsideant in qua Mercurius quoq; domū, altitudinemq; habeat suam, propter eaq; Lunam ipsam his in signis hanc ad rem pollere quædam plurimum. Fient etiam eunuchi, quoties Luna sterilibus in signis posita, Saturnoq; coniuncta Venerem quacunq; radiatione percussit. Dum tamen nec Venus in Saturni finibus, nec Saturnus in Veneris finibus sit compertus, nec Iupiter ulla Lunæ radiatione iugatur. hæc enim in constitutione & Luna sterilefcit propter Saturni frigentem naturam, signiq; qualitatem, et Venus in Saturni finibus inuenta contorpescit, Saturno etiam ipso Veneris fines frigore suo insiciente. Quo fiet, ut natus ille uirilem sit uim ob hanc tam perniciosam commixtionem amissurus. Quod si Saturni, Lunæq; copulatio hæc terrenis in signis successerit, Venusq; ac Saturnus fines inuicem commutarint, Iouisq; aspectus accesserit, secabuntur quidē, tamen ut etiam coeant. Signa enim terrena, ut dictum est, triangularitatem constituunt eam, quæ terrena dicitur, Lunæ, Veneriq; additam. Quæ ob rem omnis hæc triangularitas copulatione ex ipsa, præsidet item omnes triangularitatis ipsius una insciuntur. Iupiter autem cum non nihil faueat quis prohibere malum nequeat, id tamen præstat, ut coeundi uis saltem aliqua relinquatur. Eadem etiam Venus in editissima cœli parte cum Saturno collocata, aut ab eodem Saturno aspectu aliquo irradiata, si aut quadrangulos, aut oppositos crescentis Lunæ radios foemineo è

signo exceperit, Marsq; aut illam minaciter percussit, aut forte foemino in signo copulabitur, eoq; uel tropico, uel squamoso, testes absisuram minatur, natumq; illū aut prorsus euiraturā, aut saltem impulsuram eum ad muliebria patiendā. forsitan hermaphroditū faciet. Venus enim hac in constitutione à Luna, Marte, Saturnoq; tum aspectu, tum copulatione infeliciter affligitur. q; in culmine posita est, si Mars, Saturnusq; copulabuntur, aut quadrangulabuntur ei, necesse est illos quoq; aut culminare cū ea, aut cardinem tenere aliquem. quae re uires utriusq; ad malefaciendū mirifice augetur. cū praesertim alter eorum, quem aut diametrari contigerit, aut quadrangulari, Lunae copuletur, qua cum iunctis simul uiribus Venerem hostiliter infestetur. Signum autem foemineum Martis adiuvat atrocitatem, quo acrius masculinam in naturam sauiat, quod itē praestabunt signa tropica. Signum aut squamosum id est Pisces, Veneris quidem altitudo, quod Mars in sessione inficit sua, genitalem uim Veneris, membrūq; quo uis illa exercetur, cui qdem Mars praesidet, uitabit. Adhuc Venus ipsa cardinem quē uis sortita, dum foemineum id sit signum, si à Marte, Lunaq; cardinalibus etiam è locis partiliter infestetur, quae infestatio, ut aut quadrangula sit, aut opposita propter cardines, necesse est. Atq; in hac ipsa cōstitutione si Sol ac Luna foeminea signa teneant, aut una copulati, aut separatim incedentes, in signis item foeminis, natū ipsum aut spadonem faciet, aut forte hermaphroditum, uiriles partis exercere ut nequeat. Signa enim foeminina configuratione in hac Solem, Lunamq; sic infringunt, Venerēq; adeo labefaciunt, ut uirilem pene uim Marte grassante extinguant, aut dū Sol ac Mars masculinum meditantur, sexum, Venus ac Luna, signa itidē, in quibus Luna, Sol ac Venus constituuntur, foemininum, neutri sibi inuicē cedentes, foetum duplici, imperfectaq; natura constituent. Futuri etiam sunt spadones, ubi Venus in domo Martis posita siue in ortu, siue in culmine, Martem, Saturnumq; in domo ipsa sua permutatis hospitij hostiliter, atq; aequatis partibus constitutos contra è diametro stare uiderit, aduersosq; in se radios iaculari. Etenim Libra domus Veneris aduersatur Arieti, quod domiciliū Martis est, Taurus item Scorpio. Erunt et aut steriles, aut forte spadones, hermaphroditū ue, ubi Venus à Saturno de quadrangulo percussa, latereq; à sinistro Lunam, Martēq; sibi inuicem diametrantes aduersum se quoq; infestis radijs irasci uiderit, Mercuriusq; ipsum coeli culmen tenuerit. In hac autem configuratione non Mars solū ac Luna se se impugnant è regione, uerum

etiam Saturnus ac Venus. quo fit, ut quadrangulariter constituti coelum ipsum hostiliter infestent. Quod si contigerit quadrangulationem hanc in cardinibus fieri, infestatio ipsa erit tanto potentior, cum praesertim ratione hac Mercurius ei stellae iungatur, quae contigerit culminare. Itaq; tam atroci ab infestatione Veneris genitalis uis, aut sterilescet uitiatō semine, aut ui ab aliqua grauiore natus euirabitur, aut propter Mercurium, nec uirilis omnino, nec muliebris futurus est, uerum mixti, aut potius neutrius sexus. Venus item cum Sole, Saturno ac Mercurio occiduo in cardine posita, hostiaq; hac ui conflictata, foetum euirabit, aut sterilem reddet. Eodem quoq; malo afficiet, si Sole ac Saturno occasum tenentibus, ipsa cum Mercurio simul sexto in loco, id est in occasu ipsius descensione, aut in descensione horoscopi, duodecimoq; in loco inuenietur. Quibus si copulatus Mars fuerit, aut aliqua eis irradiatione conciliabitur, foetum duplici sexu foedare molietur. hac enim in constitutione angulus is coeli occidui à Sole, Saturnoq; uexatus orientis etiam coeli angulum hostili radiatione laesit, Venere ac Mercurio languentibus, siue in sexto ab horoscopo loco, siue in duodecimo, qui tamen etiam ab ipso occasu sextus est, itemq; à Sole, Saturnoq; illic praesidentibus. Quod si locorum horum improbitati Martis quoq; improbitas aut per confessionem, aut per aspectum accesserit, Mercurio ac Venere ibidem deiectis, uiriusq; uires ad informandum sexum impedit, reddetq; imperfectas, ut (quod Poëta dicunt) neutrumq; & uirumq; quod nascetur uideri possit. De uenere igitur male constituta potissimum tum sterilitas, tum duplicitas, sexusq; imperfectio, aut euiratio decernitur. cuius quidem stella multarum est, occultarumq; effectio, ac uirium quaq; etiam definiri uix queant.

De Foetidis.

Nam quāuis ab hac ipsa manet elegantia, mundities, unguētatio, ac nator, nihilominus indigna eius constitutio natum foetidum, maleq; olētem reddet, cuius aut in naribus, aut in halu hircus cubet, ut Horatius increpat, aut sudor mephitim (ut Poëtae loquamur) exhalet. Si quidem ea in lucem ueniente aliquo, in Capricorno, quod Saturni domicilium est, constituta, atq; ab ipso Saturno opposita è regione infestata, nati illius humores & inficientur ob cruditatem, et corrūpentur adeo, ut male prorsus, ob incoctionem eorū, grauiusq; oliturus sit,

Saturno praesertim impugante, a quo male concocti humores, idēq; terreni, maleq; resolubiles excitantur. Quid q̄ & Venus odoribus praesidet, & Capricornus non frustra nomen id est consecutus. Et enim caper olidum est animal. Itaq; Venus odorum artifex & a signo, & a signi ipsius domino corrupta foeteat necesse est, quando odores ipsi corruptis, ac foetentibus rebus immixti foetorem ipsum auferunt. Quin etiam eadem haec configuratio mulierum odium prouocat, coitusq; infames decernit.

De Caluitio.

Eiusdem etiam Veneris stella partiliter suoq; in domicilio culminans, caluitium portendit. Luna quoq; aliquo in ordine posita, dum per eam incedat signi partes, quae glabrae, ac laeue sunt in animali, aut Sagittarium perambulet nocentes uero stellae per signa ferantur seu tropica, seu solida, dū tamē uitiū, ualitudinisq; locus in ipsis illis reperitur signis, caluitiū quoq; minatur. Cur autē haec eueniant, ratio quaerenda est, quae naturae ipsi consentiat. Neq; spadones, quiq; eunuchi dicuntur, neq; pueros caluescere, q̄ neutri coeat, putat Aristoteles, eaq; re abundare cerebro. Etenim in coeundo per spinam, lumbosq; liquorem illud lumē cerebro defluere, cerebrumq; ipsum ratione hac eliquescere manifestum est. quoq; usus rerum Veneris frequentior fuerit, eo illud magis ac magis immunitur. Bubus quoq; certum est post malleo subtritos testes, cornua uehementius crescere, ob eandem hanc causam, q̄ scilicet in illorum incrementum transeat quod demptum est Veneri. Venus igitur tum sua in domo posita, ubi dominatur, nam a domo est dominor, tum in caeli culmine, qua ē re uires ingemnantur eius, natum ipsum in libidinem procliuiorem faciet, eaq; ex imtemperantia, numāq; appetitione ad usum Veneris ita illum compellet, ut refrigescente magis ac magis cerebro, quod suaapte quidem natura frigidissimum est, ob resolutionem caloris, humidūq; in coitu, desit capillo alimentum, quo deficiente decidat oportet non secus atq; ex arboribus frondes, ubi humidus ille, ac pinguis humor, qui a calore foueri solentus est, deficit. Verum de caluitio, causisq; eius explicatius supra diximus. Luna quoq; partium signi glabrarum quae uidelicet absq; pilis sunt, naturam secuta, Marsq; ac Saturnus tropicis in signis positi, in quibus ipsorum augetur improbitas, aut in solidis, a quibus utriusq; firmitus stabiliuntur uires. quippe quae robur adiungunt ac firmitudinem. cum praesertim uitiū, ualitudinisq; ibidem inueniatur locus, ubi malefica

malefica insidet, locumq; ipsum infestat, uidentur uitiū illud portendere, quod tum a leuitate, ac glabritudine signi partium, per quas Luna defertur, atq; a maleficis locum ipsum inficientibus excutitur, tum a loco uitiū. Siquidem partes ipsae depilatae, atq; extersae capillorum uitiū inducent, quod uitiū sit in capite, dictumq; est caluitium, datumq; deformati. Quod uero ad Sagittarium pertinet, ubi Mars ac Saturnus in Capricorno constituti fuerint, quod signū alterius domus est, alterius altitudo, Lunariq; opponitur domicilio, cum Luna ipsa in Sagittario constituta cardinem tenuerit aliquem, necesse est Martem ac Saturnum in anaphora, hoc est in successione Lunae ipsius inueniri, si horoscopantem, aut culminantem cardinem Luna teneat, sin occiduum, aut inuum Luna tenuerit, oportet illos in epiphora, decessioneq; Lunae constitui. Sin malefica in Cancro constituta fuerint, Luna Sagittarium tenente, & Lunae domum inficiet, & in octauo a Luna loco, qui noxius est, reperientur, si a Luna in illos computaueris, in sexto uero si ab illis in Lunam. Quod si sepe-ratim altera malefica in Cancro, altera in Capricorno collocabitur, diametrabuntur ipsae quidem inter se, alteraq; constituetur in Lunae ipsius successione, decessione uel, altera in octauo ab illa loco. Sin Mars ac Saturnus, Luna Sagittarium cardinaliter peragrante, solidis in signis uagabuntur, aut ipsi quadrangulabuntur inter se, aut sibi inuicem opponentur, dum ne fuerint simul copulati. Siquidē Taurus ac Leo, & hic idem Leo, Scorpiusq; quae solida signa sunt, quadrangulantur inuicem, eademq; quadrangulatio inter Scorpium Aquariumq; existit, atq; inter hunc ipsum Aquarium ac Taurum. Aduersantur autem, seq; ē regione lacessunt Taurus & Scorpius, Leo item atq; Aquarius.

De Canitie, & surditate.

Cum autem homo aut solus, aut cum animalibus per quā paucis aperte canescat, uitiūq; hoc senectus ipsa se cum afferat, quidam tamen in ipsa pene adolescentia a canitie occupantur. Praesertim ubi Saturnus inter Solem ac Lunam perinde ut arcuentus ab hostibus intercipitur. Contingit autem canities ipsa, quod cum hominis pili nec annis singulis decidant, nec mutantur, ut denuo renascantur, cumq; homo ipse diutius uiuat, necesse sit & capillum cum ipso quoq; corpore consensescere. Etsi non raro canitiem morbi efficiunt, atq; in non nullis repente exortam constat. de qua quidem q̄ ea sit pilorum imbe-

illitas quaedam, abunde à nobis ante, deq; Aristotelis sententia disputatum est. quo circa dicere de ea plura desinemus. Saturnus igitur à Sole, Lunaq; circumuentus, neutriusq; à luminaris aspectu fortis excrementum ad cutem perlatum sic uitiat, ut ex eo putrefacto, necesse sit capillum ac pilos reliquos ante diem, intempestiuusq; albescere. Huius autem stellæ uis ad malefaciendum tanto quidem pollet opere, ut auditui quoq; maximeq; dextræ auri, cui præest, surditatis afferat uitium, ubi Mercurium in domo ac finibus qui Saturni ipsius sunt, constitutum, octauumq; peragrans ab horoscopo locum uiderit. De malitia quidem octauæ loci dicta satis multa sunt, de surditate autem dicendum aliquid, quod uitium auditus est, fitq; in auribus, quas natura in capite constituit, ita tamen ut ad cerebrum aditum habeant nullum, Eæ in intima ac profunda sui parte concantant cum sint, concantant in ipsa natura quæ auditum ærium meditabatur, ærem inclusit, illumq; membrana quasi quadam obsepit, ad quam ær exterior per aurium amfractuosos & (ut ita dixerim) coalescentes meatus perlatos perinde ut tympanum impingit eam. Etenim ut oculi pupula tunica sua occultitur, unde oculus dictus est, sic & auris concantum membrana sepitur, quam ær exterior tanq; per cuniculos ingressus percutit, hauritq; unde auris dicta, qua è percussione auditus constituitur, quem auditum Saturni peruersa collocatio in creatione potest omnino eripere, concantantate illa auriculari peruersè concinnata, aut completa penitus, potest & post genituram in uita perniciosis, latentibusq; humoribus quorum ipse fons est, uitiare. Quodq; humidum auribus maxime nocuum est, præsertim ubi crassum est et lætum, q; etiam frigus illis permultum obest, cum et frigidorum non minus quam humidorum sit Saturnus humorum excitator. nõ temere auditionis uitium, ac surditas ad Saturnum, qui auditui præsedet, estq; sponte sua maleficus, refertur. De Mercurio aut dicere hoc tantum possumus, cum ipse rationi præsit atq; orationi, ex hac mala affectioe, perniciosaq; eius statu detractum iri et roni et orationi sensum audiendi, per quem tum uerba in mentem illabuntur, tum disciplina discuntur, è quarum perceptione & cognituratio humana perficitur. Nec uero prætereundum est, audiendi sensus cum sit ærius, Mercurij stellam mouendis æris affectionibus ualere plurimum. Dicere autem de aurium ualitudinibus, & quot aut modis orientur aut è causis proueniant, medicorum est proprium, nobis hac in parte satis sit, pauca hæc attigisse. Nec uero in parte ea, quæ ad canitiem spectat, non & illud uidentum est, quod cum à Sole, Lunaq; Saturnus eodem in signo

circumueniatur, necesse est, Lunam ipsam aut à Solis coitum properare, atq; interim Saturno coniungi, aut à Solis coitu ante digressam, post Saturno ipse coniunctam inde alio proficisci. Huiusmodi autem coniunctiones, quod humores corporis intemperantius misceant, necesse est, malum aliquem habitum inducere, unde uitium post ali- quod erumpat. Hoc autem illorum gratia attigimus, qui opinantur de nimia cerebri humectatione enasci canitiem, quæ humectatio uideri possit his è coniunctionibus suscitari.

Nec uero mirum uideri cuiquam debet, his è radiorum commixtionibus tam multa uitia, tot etiam ægri tudines, ac mala tum corporis, tum animi, tot èt uirtutes ac dotes hominum, tam uaria èt bona cum externa, tum propria emanare, si ad ea animu aduerterit, quæ illorù è commixtionibus, quæ hominum operis ac curis subiecta sunt, proficiscuntur. Hominum quidem ipsorum opera coquuntur in fornacibus saxa, quæ post aspersione aquæ uertuntur in puluerem, quæ calx dicitur, cui post arena adijcitur, è quibus una mixtis, eliquatisq; multa aqua construuntur parietes, quibus nihil est firminus, magisq; diuturnum. Contritis item sali ignis carbonibus, atq; in puluerem uersis, ac factitio nitro, addito, salnitru id hodie appellant, rursus ips una bene corritis, conficitur tandè puluis ille, quo tormentis æneis incluso, post igni immisso nihil est uiolentius, q; cum lapideis, aut ferreis pilis è tormentis ipsis, hoc succenso puluere emissis moenia quis affabrefacta diruuntur, ac prostrata solo ingenti ruina subuertuntur. Quis ante hoc uisum reque ipsa coprobatur, credidisset posse fieri? Nihil in hoies terribilius hæcenus sunt commenti. Quæ multa miscentur à medicis, quorum ante mixtura ipsam uis ea neutiq; existit, quæ post manifesto apparet, siue sanandis morbis, siue egerendis humoribus, siue purgandis, aut glutinandis uulneribus, atq; abscessibus. Hoc idè igitur ubi usu uenerit in nostris, & è quibus ipsi constamus corporibus, stellis id commixtionibus atq; molitionibus, mirari cur q; debeat? cū ab illis, ac per illas existant hæc oia? Quid admirabilius q; reru futuraru inter mortales prædictioe uaticinatae sunt in Sibyllæ quæ multis èt post seculis euenere. eiusmodiq; tū mulieres, tū uiri sæpius reperti sunt, et singulis pene seculis reperiuntur. Nõ arte, nõ institutione hæc coparantur, uerù à coelo ea uis existit p stellas ipsas, humoruq; commixtiones, quas illæ suis irradiationibus moderantur. eas in temperationes q; penitissime ex totoq; deprehendat? cū ne in herbis quidem nisi usu ipso, effectioe q; deprehendi omnino queant, quaru succis uires eæ insunt, quas usus què ipse ante copertam ratione homini monstrauerit, effectusq; ipsi manifestas fecerit.

vint. Quo circa circumuentio hæc Saturni, de qua dictum est, cuiusmodi sit, usu, effectioneq; comprobatum magis est, quam ut ratione prorsus assequi valeamus, ipsoq; ex humorum aut intemperamento, aut habitu, hoc est aut ex humidi subductione nimia, aut potius ex incremento, aut quod à Sole uehementius Saturnus concalescat, propter coniunctionem paulo ante præteritam, quæ uel breui post futura sit, aut è contrario, quod de Lunæ copulatione magis ac magis refrigescat, quæ quidem paulo ante præterierit, aut statim est secutura. Si eni Saturnus in medijs fuerit Arietis partibus constitutus, Luna autem in primis, Sol uero in ultimis, necesse est Lunam ipsam statim ad Saturni copulationem, ad Solis inde coitum confestim proficisci, ipsum tamen Solem paucis ante diebus Saturno copulatum extitisse. Sin mutatis Sol & Luna partibus, ipse in Arietis primis, illa in ultimis collocata fuerit, ut cum sole prius, posterius uero cum Saturno Luna coierit, necessum est, cum quo Sol ipse coiturus inde non multos est ad dies. Illud itaq; ipso ex usu, obseruationeq; affirmare tantum possumus, Saturnum hac è configuratione affecturum nati corpus intemperatone non modica. quando circumuentiois suæ tempore, neutro à luminari conspiciatur, atq; ob coniunctiones ipsas, alteram quidem paulo ante præteritam, alteram uero non multo post futuram, eum habitum induat, uti ex hac ipsa affectione, atq; intemperantia cernitur, de qua quaerimus, sit ante diem obuentura, cumq; illa simul alia fortasse mala. Siquidem erraticis à stellis, deq; earum commixtionibus conceptus ac genituræ tempore perinde ac in disponenda panificia massa, fermentatione ab ipsa stellarum foetui induitur ea, per quæ post apte sit, commodeq; progrediendum ad illa, quæ quidem euentura decernuntur, ex ijs ipsis, quibus inest ab initio potestas. Post uero è potestate, eq; ea quæ potentia dicitur, cum idoneum fuerit tempus, ad actum, ipsumq; effectum deuenitur, perinde ut ad fructum, frugemq; è seminibus ac segetibus.

F I N I S.

IO ANNIS IOVIANI PONTANI
AD PAVLVM CORTESIVM
DE REBUS COELESTIBVS
LIBER DVO
DECIMVS.

IOannes Picus uir summa nobilitate, maxime etiam ingenio, Paule Cortesi, dum et nobilitate plurimum, & ingenio suo non iniuria tribuit, in Astrologiam acriter est inuectus. Verum enim qui uiuentem illum ego laudandus extolendisq; ingenij eius uiribus honestauerim, in secler ne increpando mortuum? Absit ab ingenio, institutisq; meis, & ab summa beneuolentia in illum, dum uixit, mea. Quin magis magisq; in dies & laudabo morum eius, suauitatem, & admirabor ingenium. Nec minus etiam honesto ob id afficiar desiderio industriæ eius, indagacionisq; temperandæ. Quid enim indignius, quam ea uia, usq; gradientem uestigis contra disciplinariæ assertores inter se dissentientes acrius differendo, id demum conari, ut ob dissensiones authorum, ostenderet quasi clanculum disciplinas eas esse nullas, illarumq; cognitionem prorsus inanem? Priscianus Grammaticæ artis professor, & doctor egregius ueteres aduersum Grammaticos multa quidem & sensit acute, & contra eos differuit. Tantum uero absuit ab euertendæ Grammaticæ consilio, ut firmioribus iacendis fundamentis, illam magis magisq; stabilierit. Nuper Laurentius Vallensis multa aduersus Priscianum, non pauca aduersus Ciceronem cum differuisset, nam contra Aristotelem pleno quidem locutus est ore, nec minore quidem uehementia in quibusdam aduersus Theologos nostros locis, ita quidem modum retinuit, eamq; adhibuit temperationem, ut disciplinas ipsas & suspiceret, et magnificare illas quoad posset, contenderet. Aristoteles & ipse, qui physicis ante se de rebus scripserant, eorum in locis plurimus opiniones perquam strenue quidem, & coarguit, & labefactauit, ut qui tamen naturæ ipsius patrociniū suscepisse uideatur, disciplinamq; eā conaretur perficere Boëthius Seuerinus Latine Philosophiæ magister, facileq; eiusdem princeps, ni sæuitia temporū, dominorumq; peruersi mores eius ob-

M M M ij

stitissent inceptis erat, quæ Aristotele inter Platonēq; uertitur contro-
 uersæ modestæ suæ temperamento adhibito eas cōpositurus. An, quod
 penè uidemus quotidie, in natura ipsa rerum quia contingunt per-
 multa, uaria, diuersa, non raro etiam contraria, ob hanc ipsam in-
 constantiam, contrariasq; effectiones, illam ipsam naturam nullam
 esse dicemus, nullumq; eius siue consilium, siue propositum? nullam
 deniq; indagatiōis eius atq; cognitiōis habendam esse rationem? Ac
 cusatur quotidie Deus optimus maximus, quædam quod contempse-
 rit, alia quod parum curauerit, aut omnino etiam neglexerit, plu-
 rima quod tanquam ignauus pater familias, aut insolens nimum
 ne uidere quidem ipse illa uoluerit, aut superbe fuerit dedignatus.
 Qui Deum tamen esse negat, est nemo. Dixeritq; fortasse quispiam,
 minime illum curare mortalia, quæ tamen dum dicit illum quoq; ip-
 sum esse, etiam non curantem mortalia uel nolens dicit. Nam & si
 casu fluitant omnia, illud tamen necesse est dicat, quādo fluitatio hæc
 nunquam desinat, uim profecto esse aliquam, quæ fluitationem hanc
 nunquam destituat, nunquam effluere uniuersam, aut euanescere ex
 toto aliquando patiatur. Quin etiam quo plura in rebus ipsis uaria
 contingunt ac diuersa, eo naturam ipsam rerum consistere, Deumq;
 rebus ipsis præesse, hæc ipsa manifestius declarant. Nam quæ tum ua-
 ria eueniunt, tum contraria, eorum ratio aliquid esse declarat, cuius
 causa illa ipsa eueniunt. Nam & natura ipsa ut artifex etiam soler-
 tissima existit contrariarū rerum & author, et moderatrix. Sed pro-
 grediamur etiam aliquanto longius. Rerum cognitiōem natura-
 lium doctissimi pariter ac probatissimi uiri scientiam esse arbitri
 sunt. Atqui disciplina in alia fere nulla opinionēs extitere tam di-
 uersæ de ipsis siue principijs siue causis. An hæc ipsa indagantium
 philosophorum tanta inter ipsos dissensio id fortasse effecit, ne ulla o-
 mnino naturalium esset rerum siue cognitiō siue disciplina? Quin
 eo ipso plures multo & incensolim fuere, & passim nunc ad per-
 scrutanda naturæ abdita incenduntur. Nec ita in Physicâ ipsa cogni-
 tiō coniecturalis est habita. At coniecturalis maxima est e parte me-
 dicinæ, signa enim sequitur, & quæ prognostica dicuntur, coniectu-
 ralis est item Astrologia. Nullus igitur erit medicinæ usus, nulla eius
 cognitiō, quod ea ipsa uel sæpissime ad sanitatem non perducant, uel
 quod medicum prisca maxime, tum etiam recentes sint in longe plu-
 rimis ac maximis rebus alius ab alio dissentientes? Videlicet in mo-
 deranda re publicâ, in gubernandis regnis, quod præter eorum qui
 ea moderantur consilia, euenire multa consueuere, nulla ita in existit

manda est regendæ rei publicæ administratio, nulla rectorum sapi-
 entia, nullum administrationis eius existimandū studiū, nulla adm-
 nistratoribus ipsis adhibenda auctoritas aut fides? Nulla itē nauigandi
 aut gerendi belli ratio, quod gubernatores, quod duces sentiāt quandoq;
 controuersa? Quota est autem ualitudinis cuiuspiam grauioris cura
 tio, in qua medici non et dissentiant inuicem, et digladiari interdū
 altercentur, non de curandi modo ratione, uerum etiam de morbi ip-
 sius causa, qualitate, genere? Mirum igitur si coelestium scriptores re-
 rum inter se alius ab alio diuersa sentiunt? quasi non & Democr-
 itus & Empedocles & Aristoteles & Plato & sentiant inuicem in
 physicis, & dicant omnino contraria, In curationibus uero, & mor-
 borum perscrutationibus Herasistratus, Hippocrates, Asclepiades, Ga-
 lenus, Auicenna. Sunt nihilominus tum rerum naturalium, tum me-
 dendi præcepta in uniuersum tradita, eaq; in artem redacta ac disci-
 plinam, Idemq; hoc ipsum in syderali cognitiōe, ut si huius nulla
 sit disciplina, ne & aliarum quidem profus sit ulla. Quo fiet, ut re-
 lecta penitus inuestigandi opera et cura, neglectaq; animæ intelligen-
 tia, quæ diuina in nobis pars est, ad ferarum nos uitam, moresq;
 transferamus, curandis solum corporibus dediti, quæ uel pessime qui-
 dem curabuntur, uel curari nullo modo recte poterunt, ubi rationa-
 lis illa, diuinaq; pars animæ neglecta deseretur, iacebitq; inculta.
 Nolui hoc in loco, hæc q; in dissertatione ac tractatu, de religione, cuius
 cognitiō & studiū ad Theologos potissimum spectat, aliquid o-
 mnino loqui, quæ penè totidem habet uel altercatōres, & quidem ue-
 hementes, uel rixatores potius cum primis acerbos, quot disciplinæ ma-
 gistros. Quo circa missum iam, amice tamen, suis ipsum cum sectatori-
 bus Picum faciamus, uirum alioquin tum morum civilium suauita-
 te, tum ingenij magnitudine mirifice etiam laudandum, atq; eo ma-
 gis suspiciendum, si in disceptatores ipsos inuictus, quod ingenij, disci-
 plinæq; eius intererat, fuisset disciplinam tutatus, disciplinarū omnium
 maximam, quæ a celo, stellisq; celestibusq; a motibus ducit origi-
 nem. Vsuueniunt autem diuersitates hæ, uariæq; opinatiōes, quod ue-
 ritas ipsa, rerumq; certa cognitiō in abditis delitescat, quodq; rerum
 tum euenta, tum euentus ipsi non raro quidem euadunt contrarij,
 uidelicet quia principiorum mixturæ, causarumq; conuentus qua-
 si quidam, & necessitudines tam multæ ipsæ quidem sint, ut ea-
 rum siue cognitiō, siue scientia haberi particulatim nulla quidem
 perscrutatione queat, aut sciscitandi ratione. Quo effectum est, ut
 in uniuersum modo spectare rerum cognitiō, & ea quæ proprio

nomine scientia dicitur a peritis iudicetur existimatoribus. Quo circa Ptolemæus coelestium significationum diligentissimus observator, atq; inspector bene acutus particularem futurorum prædictionem ad nunc mine afflatus relegit, qui Græco sunt nomine siue Ἰβθαι, siue Ἰβθαι. Motus enim ipse cui mundus hic rerūq; natura oīs paret ac subiecta est, ita qdē agit, conuertitq; elementa, ac rerū oīum semina, eaq; sic commiscet inter se, et quasi fermentat, ut ignoratis ipsis fermentationibus, ignorari necesse sit, quales inde prouenturi sint effectus, qualia etiā opera. Quo fit ut nō raro multa secus accidant, q̄ euenisse alias est perspectum. ut in generatione animalium, ut in frugum prouentu atq; agrorum redditu, qui cum maxime certus esse solet, interdum tamen ita decipit ac frustratur a agricolis, ut fames inde sequatur, generisq; hominum labes, vastitasq; regionum. Quis igitur stellarum effectiones particulatim, omninoq; cognititas habeat? cum inferiorum etiā rerum naturas, vires, causas comprehendere particulatim utiq; nemo queat. Infinita penē seminū sunt inter se temperationes ac rerum infinitæ quoq; stellarum vires atq; efficaciae. Quis igitur aut has, aut illas, aut utraq; simul minutatim comprehendat? Et quasi in situ complicatas habeat? Et atentur medici, declaratq; res ipsa morbos quosdam arte nulla curabiles, uidelicet ob eorum ignorantas causas, atq; ignorata remedia. Atqui in illis quoq; a gradibus, quæ notæ ab eis dicuntur, contingunt Et quidem haud rarē ter præter morborum ipsorum naturam, ac medicorum opinionem permulta nullo quidem modo aut prouisa prius, aut cognita, Adeo uix est aliquid ita certum, aut hominum mentibus persuasum, qd̄ nō quandoq; fallat, obseruata licet fuerit etiā diutius uis illius atq; efficacit. Dierum, mensium, annorum, ætatum, seculorum inconstantia ac diuersitas non ne ipse palam faciunt, quod de stellarum effectionibus, rerumq; seminibus nunc dicimus? Queruntur a agricolis terram iam consensisse. At nec terra in consenscit, ut ipsa tandem intereat, perinde ut animantia quæ ab ea aluntur. quamuis mutantur suis q̄busdam temporibus regionum situs ac qualitates. multoq; minus q̄ terra ipsa coelum senescit. Verum mutationes ipse qualitatum, seminūq; alternationes terræ, tum sterilitatem, tum aeris atq; aquarum uitia multa producant, quippe quæ Et ipse aliter atq; aliter afficiantur, ex eoq; diuersis ut etiā modis se se habeant necesse est, perinde quidem ut coelum ipsum a stellarum motibus suoq; afficitur, atq; illarum inter se permixtionibus conformatur, afficitq; atq; informat inferiora. Itaq; laboretur necesse est singularium ignorantie

rerum, cum rerum ipsa genera uniuersim etiā quandoq; laborent, periclitantibus penē ex toto singularibus. Inspectat a groti urinā medicus, aliāq; excrementa, ac non nunquam etiā uersat ea, pertinet digitis arteriam, ac percussa uena explorat sanguinem, denique commotiones illius singulas, ora, oculos, linguam, labra, etiā ungues, Et tamen non raro fallitur, nouam ob aliquam, ac repentinam humorū commotumculam. Habet a gricola certos ac suos serendi dies, ferisq; suo tempore, soloq; bene subacto Et cultu, certasq; colendi operas, certis etiā temporibus satis ipsis impartit, promittunt demum omnia felicem prouentum, quæ aut repente exorta uredo, aut dissipata è caelo grandis, aut maior aliqua siccitas, pluuia ue intemperantior è uestigio aliquando intercipit, Et qd̄ uisum etiā non semel a me est, locustarum, ac bruchorum repentinus incursus. Sæpenumero itaq; luditur, et a gricola, quamuis operosus et diligens, non est tamen a gricola qui insectetur maledictis, quin miserantur hominis potius labores, indolentq; solertiam frustra eius esse habitam. Nulla ars, nulla scientia tam est quàm Astronomia certa, qd̄ eclipsiū prædictiones tam multos etiā ante annos, stellarumq; coniunctiones inter se longe prius dinumeratæ declarant. Quæ tamen ipsis ex eclipsibus, coniunctionibusq; indicantur, apparentq; futura, falsum Mathematicam per sepe habent, propter commixtionum neq; probe omnino perspectam naturam, neq; plane cognitam defectus, copulationisq; eius efficaciam, q̄q; etiā fermentatio ipsa aliam, atq; aliam ob causam aliterq; q̄ consuevit affectu uariat. Quod ubi accidit decreto etiā publico Mathematici pelluntur ex urbibus. Nec tamen nos uisum, qui in summa etiā uersari in ignorantie Mathematicos ac deceptione negemus, tum propter agitationes continuas stellarum omnium, coeliq; ipsius, quæ res incertitudinem suapte natura Et gignit Et auget, tum quia ex prædictione futurorum uera, tanta existit post laus Et hominum admiratio, ut huius studium, intemperantiorq; cupiditas præcipites plerumq; Mathematicos ad prædicendum agat, trahatq; ad significationes singulatim enūtiandas, interdū quoq; lucri cupiditas, aut assentandi gratia. cum prædicere etiā uniuersim sit uel cum primis difficile. Ad hæc quota est fixarum stellarum pars Mathematicis bene cognita? quasi non inferiorum quoq; rerum causæ sint in prædicendis euentis uel diligentissime animaduertendæ, qualitates item, situsq; regionum, leges, mores, institutaq; ciuitatum. Vt enim ad humani generationem foetus atq; conformationem, mulieris quoq; multum conferunt excrementa, Et quæ dicuntur menstrua, sic ad stellarum robo-

randos, aut irritandos effectus, ea quæ a nobis sunt de natura locorum ac situ, de quibus urbium legibus, atque institutis dicta. Nam quomus est, obsecro, his est Mathematicis, qui hæc aut moderetur, aut moderari ea omnino sciat? cum sint, ut dixi, tam multa obstrusa et abdita, eaque penitus ignorata in ipsa rerum natura. Ac mihi quidem uidetur Ioannes Picus ad ea quæ aduersus illos disseruit, potissimum tractus, quod uideret Romæ quosdam, aut Bononiæ, in alijs uel Italiæ urbibus, Philosophiam ac Medicinam profitentes, salarioque a quibus conductos annis singulis facta stellarum ac coeli conuersione de uniuerso terrarum orbis statu, urbiumque ac regum euentis tum in uniuersum prædicere, tum etiam per partes, et quidem minutatim. Rem sane non absurdam modo, uerum etiam edictis publicis coercendam. Nec cœlum profecto, nec stellæ naues ædificant, quibus merces transportentur, nec securus quibus facinorosi percitantur ciues, nec lanam omnino curant, nec linum, è quibus panni texantur, nec item poenas statuunt aut supplicia, quibus puniantur fontes ac malefici homines, nec regna constituunt aut præfecturas, quæ quidem cuncta homines, ipsi ob uitæ maiorem usum ac commoditatem publice ac priuatim initio sibi constituere et pro tempore etiã constituunt. Et quanquam multa sæpe mutantur, eundem tamen nunc sequuntur tenorem uiuendi et securius et abundantius. Quin etiam domos quoque ædificauere et oppida, adhæc et decreta et leges et cerimonias et magistratus statuere, quo æquabilius uiuerent, minusque obnoxij casibus ac necessitatibus. Motiones quoque et ipsæ stellarum ac coeli, pro natura humani seminis atque excrementorum, in generatione fermentant atque afficiunt humorum ipsorum commixtionem, atque, ut ita dixerim, massam, qua quidem est commixtionem atque affectu post et gignuntur et excitantur sensuum titillationes. è quibus etiam ipsis existunt uisa, et applicationes animorum ac studia ad has illas uel potius siue artes siue facultates atque exercitationes, idque eo magis, si natura regionis, si leges, institutaque auxiliabuntur patria, si domesticæ et opes, ac parietum accesserint institutiones. quæ ubi defuerint, idem continget, quod statuatio, cui uis illa, peritiamque fungendi ubique quidem etiam cœnanti inest. Quod si nulla illi ad fungendum materia subministratur, euanescent illa prorsus et uis et peritiam. Sin uero male apta illa quidem suppediabitur, inepta et ipsa profecto euadet effigatio. Quid quod per sepe natura quos ad literas ediscendas apparauit, quod quod barbara, aut a grege eorum est et terra, et patria, parentibus etiam ipsis inuitantibus conuertuntur pastoralia ad munera, atque ad a grege operas. Contra uero non pau-

cos primarijs è familijs ortos natura ab ipsa quæstuosas ad artes accommodatos, maiorum ac patriæ nobilitas adhibita parentum diligentia retraxit ad gerendos magistratus. Itaque non inepte fortasse dictum est in Urania a nobis nostra, quod stellæ ipsæ sensibus afficiunt uarijs, uariosque agitatae dant animis, unde et uarios formantur ad usus, Estque suum cunctis studium, et sua cuique uoluptas. Sæpe tamen uis firma animi, resque externa, lex uel Alternant fata, et Genio aduersatur egestas. Stat fatum tamen, et fato uis insita perstat, Nec natura suas unquam inficiabitur artis, In rectum, prauum uel uocet, uestigia seruat usque sua, et facilis per munera nota recurSAT, Siqua forte locum dedit aduersatur potestas. Renatum Massiliensium ac Prouinciæ Narbonensis Comitum, quodque ali quando Neapoli regnauerit, domesticæ gentilitas ad Comitatum primo, post ad Regnum et Neapolitanum extulit. Naturalis tamen eius applicatio, animique innata perperisio illa, quæque a Liuius dicitur inclinatio summa quod ac penè tota erat in pictura, ducendisque coloribus. Ferdinandus Neapolitanorum Rex in maximis non regni modo Neapolitani, uerum Italiæ totius negotijs ac periculis, domandorum curam equorum nunquam omisit, nihilque adolescenti ei aut prius fuit aut incundius quam equitatio, quam feracissimorum et equorum mansuetudo, illorumque institucionum cura. Nicolao Picinino fortissimo temporis sui duci, Lamionis tamen filio, ad eas quas natura eius animo infixisset applicationes et studia, quantum contulit, quantum inquam contulit Perusia patria? Ea enim tempestate nobilitas non modo Perusina, uerum uniuersa propè ciuitas, nobiles simul atque ignobiles rei bellicæ summo cum fortunæ ac temporum fauore incumbabant. Regnant supra septingentos annos in Assyria atque Aegypto Reges, qui sua ipsius gentis lingua Soltani dicuntur, illi quod dem initio serui, quorum tamen liberi patri ne succedant in regno, publicis institutis cautum est, et obseruatum. Quamuis igitur Soltanorum liberis et coeli et stellarum et nature ipsius opitulari uideatur fauor. a regni tamen successione, quæ hactenus constantissime quidem seruata est, lege penitus arcentur. aduersus quæ Mahometes his ipsis temporibus, quod supra triginta regnasset annos, pretio atque largitione corruptis, quos ipse euexerat, filij successione cum procurasset, uanam denique eam expertus est. Nam non ita multos post menses successor filius militum fuit consensu casus, stetitque lex integra. Gallorum gens una

tantum è familia Regem sibi constituit, ea etiam lege, ut filius natus maximus succedat patri. Igitur eam post constitutionem Reges apud Gallos non coelum aut stellarum constituerunt decreta, sed leges, maiorumq; instituta coelo forte ipso consentiente, legemq; ipsam comprobante, Quod autem Regium nomen, potestasq; item Regia esset antiquissima, ex eo introductum à primis illis est Mathematicis, quoties eiusmodi stellarum constitutio esset in alicuius genitura, ut maximè ei inter cives locum, maximèq; promitteret auctoritatem in populis, Regem fore illum dicerent. Cuiusmodi cives Florentiae nunc si nascantur aut Venetijs, non reges quidem ipsi futuri sunt, sed aut primi in administranda re publica, aut inter primos. Idem si nascantur in Gallia, erunt aut magnè fortasse apud Regem auctoritatis, aut suis in populis clari atq; eminentes, pro patriæ tamen atq; urbis, familiæq; magnitudine aut humilitate. Qui si in oppidulo aut uico nascantur aliquo, exurgunt utiq; atq; efferentur inter oppidanos, quantum loci eius ac parentum ratio permiserit. Tamen si interdum coeli decreta, ubi ualidiora quidem fuerint, supra natalis soli conditionem, illos extollunt. militiâ præsertim ubi, præclarasq; sequentur artes atq; actiones. Quod in Mutio Sfortia contigit, quem natum constat Cotiniolæ, sordidissimo per id temporis Aemiliæ uico, contigit item in Catamelata furnarij, ac maxime inertis hominis filio ex Narnia oppido, qui puer à militibus raptus post euasit Veneti dux exercitus maxime inclutus. Extulit patria, extulit Cornelia familia, extulit militaris educatio ac disciplina, paternaq; item institutio P. Cornelium Scipionem. Quæ quidem, aliâq; suffragia desuere ijs, qui forte eadem genituræ conditione, fuerunt in lucem editi, humilibusq; in oppidis atq; obscuris è parentibus aut Romæ forte non ijs suffragijs ac prærogatiuis geniti. Habent igitur et coeli et stellarum denuntiationes nunc legum fauorem, humanarumq; constitutionum suffragia, nunc illas aut parum propitias, aut maxime aduersas, dū inferiora hæc superioribus illis causis aut minime congruunt, aut amice admodum suffragantur. Nec coelum rursus ipsum, nec stellarum constitutio ac uis quæquam uel suspendio afficit, uel percutit se curi, aut nauem frangit in scopulo. Qui tamen Mathematica in initio hæc ipsa obseruauere, quoties peruersam stellarum constitutionem aliquam in ortu cuiuspiam cernerent, quæ uiolentam minaretur mortem, pro natura legum atq; institutorum regionis aut urbis, in qua ipsi uersabantur, uiolentam illam mortem prædicere futuram aut è securi, aut è iugo, aut è cruce, aut de saxo, aut è tortura, alio uel prætorio è iudicio, secuti etiam naturam stellæ, quæ crimen ipsum

hoc est

hoc est mortis causam innueret. Hæc igitur prædicendi, atq; (ut hodie dicunt) iudicandi ratio introducta ab illis cum esset, eandem ipsam et rationem ex uiam secuti sunt eorum posteri. Quo circa mirari nemo quidè debet, ubi Mathematicus ex iugo mortem alicui pronunciauerit, in ea aut urbe aut regione, in qua hoc pœnæ ac mortis genere prætores minime utantur in animaduertendis criminibus, nec uanam ducere aut stellæ significationem, aut prædictionem Mathematica, neq; item si prædixerit naufragiū, aut suffocationem, quæ in regione nec flumina sunt ulla nec lacus aut maria, nec ea gens libenter peregrinatur. Hæc enim prædictionum genera fuere ab illis eadem ratione introducta, qui maritimas aut flumiales incolerent regiones. quæ tamen mortes fortasse contingent, si non peregre, saltem è niuium suffocatione, aut grandinum, aut pluiarum, aut de nimio potu, nimia uel cerebri exundatione, pro stellæ decernentis significatione ac uiribus. Ac nihilominus si humanæ persæpe (ut dictum est) leges decretis aduersantur celestibus, quid mirum, si rerum inferiorum potentior uis aliquando causis obstet remotioribus, nec tantopere ualidis? Itaq; satis quidem fuerit mortem significari ex humido superfluente, et nimio. Habuit olim Assyria fortes ac bellicosos homines. At nunc Soltanorum ex edicto neq; Syris neq; Assyrijs militiam sequi sequi licet, quippe cum militare ijs in regnis seruiijs tantum, ac pretio emptis militibus sit permissum. Igitur Alexandria si nascatur nunc quispiam, quem stellæ innuant militem fore, tribuimus uel militare, uel coelum mentietur? minime hoc quidem uerum quod coelum innuit atq; annuntiat, Regia lex, quæq; uiuens dicitur, mortis etiam proposita prohibet pœna. A deo in rerum natura uariant non inferiora hæc solum inter se, uerum hæc ipsa inferiora, dum ea superioribus male consentiunt, existuntq; etiam ualentiora. Apud eas gentes quibus nullus est omnino lanæ usus aut lini, quæ uis potest esse astrorum ad decernendum lanificium, aut pannorum texturam? Vani erit igitur illis in regionibus eiusmodi coeli innutus, quemadmodum erit in Sarmatia et uanus et nullus in significanda in alicuius genitura ex serico, aut sparto textura, quotiesq; etiam natura hæc inferior uires minime socias suggesserit superiori. Fuere Aegyptij disciplinarum pene omnium inuentores quondam et magistri. postea uero quidam Mahometes ea, quam nunc Aegyptij sequuntur, religione eos imbuit, ab omnium prorsus abhorruere disciplinarum studijs, bonarumq; literarum cognitione. Videlicet quod constitutiones illæ, stellarumq; significationes utiq; euaruerint?

Quin eadem quoque suo quoque tempore et portendunt, et significant. Verum mutata sunt, ut quotidie mutantur, hominum instituta, mores, leges, uiuendi quoque artes, ac rationes, quae quidem mutationes et ipsae quoque a stellis fortasse originem ducunt, quarum tamen obseruationum in longissimis aetatibus quis est qui non obliuiscatur? Nulli sunt apud fortunatas insulas rethores, aut iurisperiti, scilicet quod nullae ipsae in insulis sint res publicae, literae nullae, leges item, quae scripto sanciantur, neque alijs quam naturae ipsius institutis uiuant insularum earum incolae. Nec tamen Mercurius qui elocutioni praest, nec Iupiter qui aequitati, et iuri, Nec Mars qui lites excitat, alique, eas insulas, eosque homines e caelo non ut Hispaniam, ut Africam, ut eiusdem climatis inhabitatores radijs suis intuetur, atque afficiat. Atqui e fortunatis insulis quae pelago nunc demersa iacet Atlantia, unde Atlanticum mare, rerum quondam fuit in ocaasu potita. Et uero si nulli sunt hominum coetus, nullae res publicae, legesque sociati conuentus, coelum quo modo decernet seditiosum, aut legum contemptorem ciuem? qua etiam uia poena seditioso statuet, aut patriae proditori? Atque ubi patriae legibus cautum sit, poena constituta, sororem ipsam ortam parentibus fratri nullo pacto iungi (etsi olim apud Persas licebat inter filium ac matrem nuptias statui) coelum ne decernet eiusmodi matrimonia? minime profecto. uerum eo ab caeli ac syderum statu innui potius nefarium dicemus concubitum Scimus in Campania, a groque Neapolitano hyeme quidem tonitrua et multa, et horrenda fieri. an in Gallia aut Germania praedicet Astrologus hyemem fore tonitruosam? cum alibi quae in Campania uix hyeme tonitruis hi contingant. Neque igitur ubique inaccessus est Mathematicus, cum praedictiones euentorum eiusmodi minime succedent, et ipse ipsi debet a praedictionibus continere, cum primisque leges, mores, artes, studia, uitae genus, quaestusque hominum regionis cuiusque considerare. Omnino uero et in re quaque a praedicendis abstinebit particularibus, et in quocumque euentorum genere. quod cum fecerit et uindictabit se ab insectantium detractionibus, et disciplinam stellarum in auctoritate, pretioque conseruabit suo. Voluit te Paule Cortesi his et fortasse quam opus est pluribus affari, ante quam ea quae dicenda restant, aggredior. Namque accusare te persaepe haud iniuria quidem audio Mathematicos, uel de illorum potius ignorantia conqueri. Nihil te tamen minus disciplinarum omnium non amatorem solum, uerum etiam admiratorem satis esse scio, et contemptum maxime habeo. Idque eo feci consilio, quo tute met intellegas, etiam me uel suatore, uel admonitore quid iure accusare, quid etiam

laudare in hac disciplina, eiusque professoribus, et possis et de beas, omni non modo liuoris suspitione uacuis, uerum etiam maledicentiae. Scias igitur et a motu stellarum et caeli excitari elementa, ab elementis uero tum uegetantem, tum etiam sentientem uim foueri, agi, diuersis modis affici, etiam mutari, uerti, rationem autem in ipsis uersari quae subiecta partim nobis ipsis sunt, partim nos illis, In ipsis quoque subiecta quidem sunt nobis, posse nos illis adhibita ratione aut ubique praescribere, aut plerumque, at quibus ipsi subijcimus, partim aduersum ire nullo modo nos posse, ut senectuti, ne suo adueniat tempore, nisi forte inferre nobis manum uoluerimus, natura inuicta, partim eorum moderari impetum, atque ex parte minuire, aut si non penitus auertere, lenire saltem furorē, ut in fame, in tempestatibus, in aduersis casibus, in corporis denique perniciosis affectibus. Non pauca quoque ab his ipsis minime dissidentia libellum hunc legens animaduertes, quae confirmare animum tuum ad ea quae dicta sunt et iure poterunt, et ipse minime abnuet, homo ipsis praesertim moribus praeditus, tantaque cognitione, ac plurimo rerum usu.

F I N I S.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
ANTONIUM GEVARAM COMI-
TEM POTENTINUM DE RE
BUS COELESTIBUS LI-
BER TERTIVS-
DECIMVS.

Quam è niue liquecentem, sitim non extin-
guere, uel augere illam potius Antoni Geuara,
è medicorum primus sunt qui assuerent, etsi
suapte natura aqua potus & sedat illa medio-
crior, & maior etiam extinguit. Salem quoq;
tradunt cum uino ebibitum, ebrietatem indu-
cere, eundem si à ieiuno sumatur, prohibere
eam. Lactucam item ex aceto caliginem oculis offundere, eandem illis
nendo medicamento adhibitam, calidæ multum conferre ophthalmia,
oculorumq; suffusioni. Arcei pestilens illud uirus cum caricula nux
cumq; pauculis rutæ folijs ieiuno præbita. Eadem nux cum cepa
& sale remedium est etiam ualentissimum sanando rabidi canis mor-
sui. Ne autem huiusmodi confectemur multa, è rebus simul mixtis atq;
in unum coactis non alij modo atq; alij effectus manant, uerum èt
ijsdem ipsis è rebus aliter atq; aliter seorsum adhibitis atque admi-
nistratis. Aliud olei munus est inuncti extrinsecus, aliud cum cibo
sumpti, aliud etiam, dum aluus inferius subducitur. Vini quoq; ratio
est non una, tum e potu ad sedandam sitim, atq; alendum corpus, tum
exterius adhibiti aut fouendis nervis, aut excitandis tumoribus. An-
non aër ipse exagitatus refrigerat? immotus aestuat, inclusus male af-
ficiat. Putrescit utiq; restagnans aqua, eadem decurrens salubris effi-
citur. Natura enim ipsa rerum omnium magistra ita quidem com-
paratum est, seq; ea sic instituit, uti rerum commixtionibus acci-
dat plerunq; tertia quaedam uis. Tertiam uoco uim illam scilicet,
quæ post rerum simul ipsarum constationem enascitur, quæ neq; prius
omnino inerat in materia, neq; in ipsa quæ materiã concinnabat, atq;
in unum redigebat forma. Eadem quoq; natura comparatum est, uti
rerum differentias usus ipse maxime pro diuersitate sua & ostendat
& probet. Vtimur ferro ad cædendum, ad fodiendum, ad frangen-
dum. Idem

dum. Idem etiam ferrum adhibemus ad suendum, dissuendumq;
ad includendum, atq; referendum. Vtimur etiam lapide adstruen-
dos parietes, ad molendum triticum, ad excoquendam calcem, ad effi-
gandas imagines, ad sternendas uias. Ligneam uero materiam tam
multos ad usus uertimus ut difficile sit enumerari. Ex hoc itaq; usu
rerum tam diuerso ac multiplici, & earum inter se commixtione
tam uaria, uita ipsa nostra, hominumq; societas constat, siue artes in-
spiciantur, ne de corporis loquamur constitutione, siue ciuiles consuetu-
dines, totiusq; rei publicæ administratio, siue etiam sermo ipse huma-
nus, locutioq; consideretur, qua nihil est neq; prius, neq; melius præ-
ter rationem nobis à natura, dono Dei, munereq; concessum. Sermo
igitur ipse noster totus è literarum commixtione constituitur ac sylla-
barum, è quibus uoces ipsæ constant, eaq; sermonem conficiunt. Vsus
autem ipse uocum qualis fuerit, qualis etiam oratio, auditorem nunc
ad iram inflammabit, nunc inducet ad risum, hic exatabit ad uindi-
ctam, illic inuitabit ad misericordiam, aliàs dolore afficiet, aliàs dele-
ctabit. Demum quid quisq; sentiat, & quo sit modo affectus, oratio
ipsa indicat, pro dicentis ipsius gestu, explicatione, habitu. Quod si in
ijs quæ cæli & stellarum sunt, rerum nostrarum exemplis uti, eaq;
componere cum inferioribus his licuerit, hoc maxime modo, hacq; et
uia cælestium se se configurationum commixtiones habent & ad in-
formandum, & ad decernendum. Inest enim stellæ cuiq; sua ac pecu-
liaris uis, cuiq; etiã aspectui atq; configurationi. Vires autem ipsæ,
ac facultates multiplicem suscipiunt tum diuersitatem, tum uarietate,
pro mixturarum natura atq; configurationu. Iis accedunt similitudi-
nes, dissimilitudinesq; atq; contrarietates qualitatum, conditionu, lo-
corum, status item atq; habitus stellæ cuiusq; accessus item atq; reces-
sus, cæliq; ipsius acclinationes atq; declinationes. Quarum rerum
quanta sit uis, unius Solis obseruatio docet, è cuius motu, progressioeq;
austrum uersus aut septentrionem, eiusq; per signum quodq; diua-
gatione eueniunt hæc quæ uidentur omnia in herbis, in stirpibus, in
animalibus, in aère, aquis, terris. Ex ipsa itaq; commixtione, ne à no-
bis recessisse uideamur, è commixtione inquam ipsa effectuum ieci-
noris, lienis, pulmonis, cerebri, ac moderantis cuncta cordis, cum ani-
malium cæteroru, tum hominis in primis constituuntur suæ cuiusq; ani-
malis partes ac munera. Eadē etiã opera, si, quod dictū est, cōparatio-
ne ac similitudine uti liceat, stellæ cuiusq; effectuum mixtura, ipsiusq;
in primis Solis, à quo perinde atq; à corde fouetur oia, statum quæq;
sui inferiora hæc sortiuntur. Et qua è ratione quæ diximus membra

sensus, motusq; suscitantia utuntur uenis, arterijs, nervis, fibris, charti lagine, sic sol cum planetis alijs utitur coeli signis, singulorumq; ministerio atq; opera. Pro quorum quidem diuersitate, natura, officio uariant etiam ea, quae ab illis statuuntur. Quae est re tanta existit cum corporum, tum ingeniorum diuersitas itemq; applicationum, multiplexq; illa fermentatio, est qua uarietas ipsa proficiatur. Vt recte a primis illis naturae rerum obseruatoribus dictum sit et creditum, hominem ipsum minorem quendam mundum esse, superiorisq; illius referre imaginem, ad quem commotiones ipsae nostrae, atq; applicationes sint etiam referendae. Et si nequaquam eas omni e parte aut cognitio ea, quae scientia dicitur, metiri, aut obseruatio deprehendere particulatim ualet, id quod in rebus his inferioribus passim quidem euenit, ut euenire idem in rerum caelestium inuestigatione minime mirandum sit, quarum et inspectio sit quam remotissima, et inuestigatio maxime omnium abstrusa. Quis enim ad exactum differere de coeli, stellarumq; effectibus ualeat? earumq; inter se temperaturis? quae sint propemodum infinitae. ut inquirendis rebus, quae physicae dicuntur, hac in parte non minus quam in caelestibus caligent inquirentium ingenia. Quod circa quae a nobis traduntur, eorum ad unguem omnium, expressaq; ac minutatim ratio nequaquam redditur. Cum praesertim sapes quosdam quos artificis conannauit manus ita aut probemus, aut improbemus, ut quisq; est palati sui loquatur sententia, certa tamen causa probationis improbationisq; ignorata, quae tamen ipsa certa quidem ac uera subest, aut in nobis, aut in illis, aut in utriusq;. Itaq; et medicis, et minorum artium professoribus merito conceditur, ut in quibusdam standum sit obseruationi atq; experimentis. Quod dari etiam caelestium rerum, syderalisq; scientiae studiosis tanto quidem aequius postulatur, quanto de his, quam de illis difficilius est sententiam ferre.

h. Homo igitur cum sit mortalis, et ualitudines in uita et uitia ei permulta accidunt, non in ea diu taxat parte animae, qua aut uiget, aut sentit, sed qua etiam intellegit, ac ratione utitur, et a qua rationale est animal appellatum. In parte igitur et uegetante, et sentiente qui contingunt morbi, quae etiam uitia, medicorum declarat industria ac disciplina. de quibus non pauca quoq; sunt a nobis iam dicta. Animus uero morbi, atq; affectus, quas passiones etiam dicere, Graeco praesertim exemplo, non est cur quis recuset, et si non sunt fortasse qui corporis rariore,

tamen eo pauciores, quod corporis aegritudinum curatores ac medici ob lucrum inueniuntur permulti. animi uero morborum aut omnino nulli (quis enim aut stultum se fatetur aut insanum?) aut omnino perquirari. De uitijs itaq; animi, ualitudinibusq;, ac morbis dicturi hoc in libro statim sumus, non illis quidem seu uitijs, seu morbis, qui mediocres habentur, et quorum uita communis abunde est plena, uerum de illis ipsis, qui hominem de statu prorsus hominis, suoq; deiciunt, graduq; rationali, quales sunt lymphationes, furores, insaniae, cum homo ipse deprauatus sensibus, mente etiam captus aut desipit delirans, aut insanens furit. Post quae de affectibus etiam quibusdam dicemus alijs, qui hominem ipsum inquinant quidem, praeterq; modum intemperantem faciunt, contaminatis moribus, siue morbi affectusq; illi sint animi, siue hominis ipsius, ex animo q; existit ac corpore. Quae de re argutus differere loci est alterius ac disciplinae. Vita uero, atq; affectus in hac ipsa differtione accipi sic uolumus, ut uita quidem intellegantur ea, per quae aut delirat quispiam, aut insanit. Affectus uero per quos ad intemperantiam delabatur, moresq; impuriore. Neq; enim raro mens ipsa ob imbecillitatem, deprauationem uel nec intellegit quae rationis sunt, et ab illa quadam quasi obtorpescentia, sensuum uel imbecillo habitu aberrat distrahiturq; de uia, unde delirare ductum est, et hi quidem homines desipientes habentur ac deliri. Alij uero rationem ita abiicere, ab illiusq; deflexere curriculo, ut non modo errent de uia, uerum ab omni prorsus hominis officio alieni, ratio niq; aduersantes, ab eaq; extorres facti insaniam agitentur ac furore. quos diuersis quidem appellauere nominibus fanaticos, proceritos, laruatos, daemniacos, lymphatos, furentes, furiosos, uno tamen omni nomine insanos. Insaniam tamen hac in parte intellegi uolumus non eam quidem, quae a medicis phrenesis est appellata, quaeq; ab illis intellegitur, sed quae aut incurabilis ipsa est, aut non nisi post multos sanatur annos, habitaq; est interim ostentui. De quibus singulis, et quibus manent a configurationibus, et quo etiam inter se differat, haec tradenda esse duximus, a coeli syderumq; cognitione, diurna q; ab obseruatione profecta.

De Insania ex morbo comitiali.

Morbo igitur comitiali q; correpti sunt, ab eoq; subinde, continenterq; uexantur, quiq; Graeco sunt *ἰσάνιμοι*, est nostris, ut uideo, sunt q; adducos eos appellarint, hi plerumq; morbi ipsius urgente assidue ui, grauitateq;, mente tandem consternantur atq; animo, a ratione q; abalienantur.

quo fit, ut non nunquam in pericula coniciantur multa, eaq; graua ac perniciofa, ut miseris deniq; exagitantur modis, clamitando, uociferando, foedando se se. Quem morbum quod diurnitas ipsa, uisq; incurabilis uitium tandem efficit, Ptolemæus putat illis plerumq; accidere, in quorum genituris Luna nullam cum Mercurio copulationem ac familiaritatem habuerit, nulla illi fuerit ratione coniuincta, aut modo aliquo, ut ipse inquit, colligata, ut qui sint uterq; , Luna scilicet ac Mercurius nõ disiuincti modo ab se se, nulla utiq; connexionem deuincti, uerum etiam oriẽtali a finitore omnino alieni, præsertim ubi illud us etiam accesserit malis, ut Saturnus diurna quidem in genitura, in nocturna uero Mars, quibus uterq; separatim conditionibus gaudeat, cardinem coeli teneat, ubi collocatus ipse superiore è loco uolentus respiciat. Ne autem nostro ab instituto recedamus, rei huius illa uidetur esse ratio, quia cum Luna corpori dominetur, corporisq; humoribus, ac præsertim cerebro, quod motum quidem Lunæ ipsius sequatur ac naturam, Mercurius uero rationi cum præsideat, ut abumde iam ostensum est, nulla prorsus esse possit humani corporis aut constitutionis, aut fermentatio, in qua locum ratio suum retineat, cum humorum ipsorum corporis, ratioisq; rectores ac duces nullo prorsus inter se foedere ac societate, nulla inuicem omnino cõnexionem, nulla deniq; orientali cum finitore copulationem iungantur, imo ab ipso potius abalienentur horoscopo. Quando hic ipse horoscopus nascentis hominis cõstitutionem maxime indicat, totiusq; concretionis statum ac qualitatem, quæ perinde quidem futura est, ut rationis in se ipsa semen nullo pacto sit admissura, aut illud quidem potius auersura, quod in agris quibusdam cõtingit. neq; enim, quod ait Virgilius, Terræ ferre oēs oia possunt. Ipsorum autem humorum, corporeaq; compactionis, ac cerebri præsertim incomposita uis eo amplius exagritabitur, distraheturq; ab omni rationis usu ac familiaritate, ubi Saturni, Martis ue perniciofa, potensq; irradiatio se se adiunxerit a cardine, Saturni quidem diurno tempore (fit enim conditione ab ipsa temporis ualidior, ut qui letetur die) Martis uero nocturno, quippe qui nocte gaudeat. Humores enim ipsos configuratio hæc magis magisq; exagritabit, reddetq; in dies maligniores, præsertim uitiatum cerebro, quo è uitio mala hæc proficiuntur omnia. a maleficarum enim intemperantia, peruersaq; effectione manat omnis humorum malignitas, cerebriq; indigna affectio. Siquidem ægritudines illæ, quæ in exemplificabiles sunt, habenturq; ostentui, a maleficis oriuntur. Quod si maleficarum ipsarum temporalis mutata fuerit conditio, ut noctu quidem Saturni stella, die

uero Martis, genituræ ipsius configurationi dominetur, locum utiq; superiorem nata, uiribusq; planè suis prædita, potissimūq; in Cæcro, aut Virgine, aut Piscibus, ex hac profecto tam deprauata cerebri, humorumq; exagitatione insania gignetur illa scilicet, quæ Græce est *manía*, quo morbo correpti qui sunt a Græcis *manianos*, furiosi a nostris dicuntur, quod eorum mentes ratione ab ipsa penitus alienentur, sintq; a furore percitæ. In hac uero ipsa de qua loquimur cœli genituræq; configuratione ubi aut Lunam coire cum Sole contigerit, quo in coitu Saturnus eam peruersa irradiatione affixerit, aut Soli aduersari, ac pleno contra illud ferri lumine, qua in plenitudine et statu Mars Lunam hostiliter uexet, oppressamq; radijs suis male habeat, maxime in Sagittario, aut Piscibus, nimirum quibus hoc nascens contigerit, uel sanatici erunt ac procerriti, quasi numinis aliquis ira exagritati, quos Græci *demouianous* uocent, deq; nimia capitis humectatione, cerebriq; humorum exuperantia etiam Hydrocephalos, unde a nostris quoq; maioribus lymphationis nomen ductum est, uitioq; hoc affecti uocati sunt lymphati. Nec uero hæc ipsa uitia pro beneficarum quoq; stellarum situ, irradiationeq; non alias etiam atq; alias qualitates suscipiunt, quippe quæ sanari morbum ipsam tandem aliquando decernant, id est humores ipsos aliquando temperatum iri. qua è temperatione sanitas tandem restituatur pristina. Si enim Iouis illis aspectus, aut Veneris se se adiunxerit, sintq; maleficæ ipsæ Libycæ in partibus, ut Ptolemæus ait, hoc est occiduis posita, beneficæ uero in apelioticis, subsolanisq; eaq; cardinem teneant, morbi quæ sanabiles decernuntur, quæ nihilominus ostentui futuri sint, atq; in exemplificabiles. Sanitas autem ipsa ubi Iupiter suffragator assisterit, hominum opera, medicorumq; curatione ac remedijs restituenda decernitur. Sin Veneris adminiculabitur stella, ueneficis, sortibus, oraculis, numinis ue cuiuspiam beneficio ac fauore. Contra nullam admittent morbi curationem, nullum remedium, ubi maleficæ cardinem tenuerint subsolanis in partibus constituta, beneficæ contra in Libycis dinerfabuntur. Ad incurabilitatem illud quoq; accedet mali, ut futura sint uitia per uulgatissima, nobilitenturq; infamæ nota. Hoc igitur in statu cœli morbus ipse comitalis futurus est non modo manifestus ac diuulgatus, uerum etiam, ut paulo ante dixi, cum animi consternatione, mentisq; ipsius compressione, ac cum clamore, et uociferatu, multorumq; ac letalium periculorum iactatione. Furoris autem comites erunt mentis a ratione ipsa omni è parte abalienatio, motus corporis, animiq; incompositi, atq; inordinati, rerum familia-

rium dissipatio, ac iactatio, uestium discissio. Ipsi uero sic affecti nunc per loca maxime frequentia, nunc à cultu destituta nudi rapiuntur, execrantes deos, incessentesq; homines maledictis, uerberando, cædendo, lapides iactando, ut necesse sit uinculis eos ac carceribus cohibere. Itaq; furor ipse non ostentus modo, uerum etiam miserabilis futurus est. At lymphatione, et quos fanaticos uocari diximus, numinum comitantur affiatus, et hi quidem ipsi sunt, hodie qui spiritati uocantur. Vulgo enim passimq; spiritus dicuntur, qui Græce sunt *δαίμονες*, eisdem Græco uerbo *δαίμονια*, nam et futura uaticinantur, et cõsilia maxime secreta detegunt ipsos aduentum, ac nunc occulta scelerata, nunc peruersas illorum cogitationes produnt, futurãq; seu bona, seu mala annũtiant, cuiusmodi Sibyllas fuisse proditum e memorie. qualem nos ipsi penè pueri cognouimus mulierculam singulari pudicitia, uiuentem in agro, ac manuum opera parantem sibi uictum, nam plerumq; mulierculas morbus hic inuadit, propter maiorem cerebri humectationem. Eodem hoc morbo correpti quandoq; etiam pectus tundunt pugnis, ora, oculosq; contorquent, ac faciem uerberant. Itaq; non temere Virgilius de Deiphobe illa sua furente ait,

- » -Cui talia fanti
 » Ante fores subito non uultus non color unus,
 » Non compta mansere comæ, sed pectus anhelum,
 » Et rabie fera corda tument, maiorq; uideri
 » Nec mortale sonans. Nec multo post,
 » At Phœbi non dum patiens immanis in antro
 » Bacchatur uates. — His enim uerbis habitum furentis declarauit. nã huiusmodi uesania correptos suo nomine maiores nostri furentes uocauerunt. Huius autem insanie non unam speciem loca, situsq; erraticarum, quæ configurationem constituunt, pro natura sua patiunt. Comitialem enim ad morbum ingenerandum status, collocationesq; Iouis et Mercurij, eorumq; domicilia conferunt plurimum, Solis ac Martis ad ferorem, Veneris ad numinũ affiatus, ac uaticinia, Saturni, Lunãq; ad lymphationem, eamq; ad uexationem, quæ de nimia ac peruersa capitis humectatione suscitatur. Si quidem fanaticorum, ac lymphatorum genus est duplex, alterum quidem quod uaticinatur, prædicitq; futura, et secreta aperit, alterum uero quod uesania tantũ agitatur, habeturq; ostentui. Itaq; pro uarietate locorum, aspectus, configurationumq; stellarum, ipsa quoq; uariatur insaniam, isq; animorum morbus, de quo nunc agimus, quiq; mentem de suo prorsus statu deijcit,

» eueritq; de gradu. Ptolemæi hac ipsa de re enuntiatum extat numme
 » ro septuagesimum. In furentibus Luna Mercurio non copulatur, neu
 » terq; ascendenti in dæmoniis. In hac figura Saturnus quidem noctu,
 » Mars uero interdum cardinem tenebit, maximeq; in Cancro, Vir
 » gine, et Piscibus. Cui enuntiato adiciere non recusabimus ea, quæ in
 » commentationibus dicta sunt a nobis, ea uero sunt hæc. In genitura
 » eius qui numine affiatus est, quem Græci dicunt *δαίμωνια*, unde
 » Sibylla *δαίμωνια* est dicta, inuenies Lunam nulla prorsus cum Mercurio
 » copulatione coniungi, nullo simul cognationis genere colligari. Simili
 » etiam modo in genitura laruatorum, proceritrumq; quos hodie
 » Græco nomine *δαίμονια* dicimus, inuenies Mercuriũ, Lunamq;
 » nullam cum horoscopo copulationem habere, nullo ei uinculo iungi,
 » nulla deniq; ratione horoscopum complecti. Quin etiam in genitura
 » ipsa siue furentis, siue dæmoniis, si nocturna fuerit, Saturnum, sin
 » diurna, Martem cardinalem inuenies, eritq; uterq; longe potentior ad
 » ferorem, lymphationemq; excitandam, si tunc in Cancro, aut Virgine,
 » aut Piscibus collocatus fuerit. Si enim, uti dictum est, rationi Mer
 » curius præest, Luna corpori, quis consilio, aut rationi esse in eo homi
 » ne locus potest, in cuius genitura Luna, Mercuriusq; nullo simul uin
 » culo colligantur? nec horoscopum, qui corpoream nati illius fabri
 » cam significat, ullo pacto complectuntur, imo, quod perniciosius est,
 » Saturnus noctu, quod tempus propriæ Saturni conditioni aduersum
 » est, Mars interdum, cuius stella nocte gaudet, cœli cardinem tenens,
 » in corpore nati eius perniciosos, et insaniam excitaturos humores in
 » generat, cum uterq; planeta alter atræ bili, alter rubræ præsit, et
 » utraq; bilis id est cholericus, melancholicusq; humor, ubi uehemen
 » tior fuerit, in insaniam uergat. Cur uero in Cancro, Virgine, aut Pi
 » scibus magis quam in alijs signis? an quia Mars, Saturnusq; pessime
 » se habent in Cancro? in quo positus Mars altitudini suæ, Saturnus
 » propriæ domui aduersetur, in Virgine, quod illic constitutus Saturnus
 » cadat ex Libra, in qua exultat, in Piscibus uero Mars positus ex Arie
 » te id est ex domicilio suo decidat. An fortasse quod cum Luna, Mercuri
 » usq; nulla inter se, nec cũ horoscopo colligatione iungantur, hoc est
 » Saturnus noctu, Mars interdum, quando nocentiores sunt, ad malum
 » utriusq; habitum adiungant, ut Cancrum Lunæ, Virgenem Mercuri
 » rij domũ insidens magis ac magis infestet? Cumq; in tam pernicio
 » sa configuratione necesse sit Iouem, Veneremq; male affici, ad malum
 » etiam Iouis, Venerisq; habitum hoc quoq; addant, ut Pisces corpore
 » suo inficiant, Iouis domum, Veneris altitudinem, Cancrum item

Iouis? An quod in Cancro ac Piscibus humores plurimos excitentur cum Lymphati maxime humidum cerebrum habeant, inde enim Lymphati dicti mihi videntur, in Virgine uero bilem illam maxime exusta, cuius alumna uidetur in sania. An potius dicendum erit, ab insita, naturaliq; quadam potestate hoc fieri, idq; ita se habere observatio ipsa docuerit? Qui locus uti fieret aliquanto illustrior, ac distinctior, placuit Ptolemæi ipsius uerba ex tertio Apotelesmatum libro afferre, quæ sunt hæc. Epileptici namq; plerumq; sunt, qui Luna, Mercurioq; nec aut inuicem colligatis, aut cum orientali finitore Saturni quidem stellam interdum, Martis uero noctu cardinalem habent, quæ superiore è loco figuram despiciat. Cum uero contrarium in his accidit, ut Saturnus noctu, Mars interdum figuræ dominator sit, ac maxime in Cancro, Virgine, aut Piscibus, insani sunt. Vexatos a demonibus qui humido capite sunt, maleficæ faciunt, cum ita se habentes Lunam Soli configuratam obtinebunt, Saturnus quidem in nouilunio, Mars in plenilunio, præsertim in Sagittario, ac Piscibus. Solæ itaq; maleficæ stellæ quo dictum est modo, figuræ suscipientes dominatum & incurabiles, & latentes, & quæ ostentui sint, quas diximus passiones, & animæ morbos in ea parte quæ intellegit, faciunt. Quibus si beneficarum stellarum Iouis ac Veneris societas accesserit, atq; ipsæ quidem maleficæ occiduum cardinem tenuerint, beneficæ uero orientales, quæ ostentui sint, passiones faciunt, curabiles tamen medicorum remedijs, hoc est subductione, & potionibus, & hoc propter Iouem, sortibus uero, ac deorum ope propter Venerem. At cum maleficæ in orientabilibus cardinales fuerint, beneficæ in occiduis, morbos faciunt incurabiles pariter, ac diuulgatissimos, maximeq; nobilitatos. Morbum autem comitalem consequuntur compressiones, clamores, pericula etiam letalia. Insaniam, mentisq; externationem motus in compositi, rerum familiarium dissipationes, corporum denudationes, execrationes, et alia huiusmodi. Lymphationem, et humidi exagitationem consequuntur furie, numinum afflatus, uerberationes, quæq; huiusmodi ostentui sunt. Priuatum autem & continentium locorum figura confert. Loca enim Solis ac Martis ad insaniam maxime conferunt, Iouis, Mercurijq; ad morbum comitalem, Veneris ad demonum uexationes, Saturni, Lunæq; ad humidi exagitationes ac lymphationes. Videamus quid de his quoq; Iulius Maternus dicat. Saturnus & Mars solidis in signis positi, si diametra se radiatione respiciant, aut unus in horoscopo sit, alter in occasu, aut unus in imo, alter in medio, epilepticos faciunt. Si uero in tropicis signis constituti hæc se radiatione respe-

xerint, aducos efficiunt, & qui nulla possint ratione sanari. Item si Mercurius in Virgine, aut in Piscibus constitutus in horoscopo sit partiliter positus, & eum Saturnus, & Mars quadrata radiatione respiciant, insanos efficiunt. Si Mars, & Saturnus ita sint collocati, ut unus ipsorum in medio caelo sit, alter in imo, ex prauis humoribus uitiosam ægritudinem faciunt. Sed si hos Mercurius quadrata radiatione resperit, Deorum illis præsidio sanitas comparatur. Si uero his in locis positi partili radiatione coniuncti, ut æquas partes possideant, insanos efficiunt, & quæ nunquam possint ab his criminibus insanie liberari. Si uero in finibus suis sint positi, aut in Saturni finibus sit Mars, & in Martis finibus Saturnus, & sint in quibus diximus locis, in inijs insanie constituti liberantur, posteaquam Martis quintus decimus annus, aut Saturni trigessimus completi fuerint. Sed & cum Iupiter, & Mars simili se radiatione respexerint, epilepticos faciunt. Si uero sic, ut diximus, positi in suis partibus fuerint collocati, aut Iupiter in finibus Martis, & Mars in finibus Iouis, in inijs eius ualitudinis constituti liberantur. Sed quando prima stellæ tempora transierint, id est aut Martis quintus decimus annus, aut Iouis duodecimus. Si Iupiter in horoscopo fuerit inuentus, & Mars in diametro eius collocatus Solæ, & Lunam qualibet radiatione respiciat, aut insanos efficiet, aut Lunaticos. Sed et si Luna aut synodica, aut plena in cardinibus posita Martem quadrata radiatione respexerit, et Saturnus ei per quadratum, aut per diametrum iungatur, eadem uitia decernuntur. Si in signo Saturni, uel in signo Martis horoscopus fuerit inuentus, aut certe locus fortunæ, Sol uero in horoscopo sit partiliter constitutus, & cum eo Mercurius æquis partium societatibus iunctus, Saturnus uero, & Mars in septimo sint ab horoscopo positi epilepticos faciunt, sed biothanatos. Si Mars aut Saturnus in undecimo ab horoscopo loco fuerit inuentus, aut si unus eorum in ipso sit loco positus, alter uero cum Luna sit collocatus, aut eam quadrata radiatione respiciat, & Saturnus aut Mars Mercurio qualibet radiatione iungatur, facit insanos, epilepticos, biothanatos. Sed hoc peius erit, si Mars in undecimo ab horoscopo loco fuerit inuentus, & Saturnus in sexto. Ad causas, etiam supra iam dictas & illa quoq; accedunt, quæ in Cancro & per diametram, & per quadrangulam irradiationem signa utraq; tum æquinoctialia, tum solstitialia, quæ caeli uidentur obtinere prætoriam, insciuntur a maleficis, in quouis eorum collocata, è piscibus uero ac Virgine signa omnia bicorporea, quæ humana dicuntur, per easdem quoq; irradiationes corrumpuntur, ut uideantur parte ex

omni quæ hominis ipsius sunt exagitata labefieri. In deprehendendo igitur genitura tempore insania, & cuiusmodi ea, quantaq; futura etiam sit, curationem ne admissura, ac suo quodam tempore sananda, an potius futura sit incurabilis, semperq; ostentosa, hæc ipsa uidentur a Mathematico animaduertenda, status uidelicet Lunæ, quæ princeps loco corporis, ac sensuum curam habet, præcipueq; humorum, ac cerebri, status item Mercurij, in manu cuius ratio reposita est omnis, qualitas item, ac natura horoscopi, cuius ius, potestasq; eminet in constitutione corporea, corporisq; ipsius concretionem. Vbi enim Luna, Mercuriusq; amice inuicem familiariterq; se habuerint, beneq; collocabuntur, ratio in eo qui nascitur, locum ubiq; suum retinebit, neq; de qua nunc loquimur timenda erit insania. Hoc idem eueniet, ubi cum finitore hoc est ipso cum horoscopo bene, familiariterq; coniungentur. Vbi uero secus, ut neq; amice inuicem, neq; ullo se familiaritatis genere amplectantur, imo & opprimantur ignobiliter & deiecte, utq; maleficæ horoscopus, orientalemq; finitorē de superiore aspiciant loco, illum uel insideant, aut e regione impugnent, se seq; hostiliter gerant, cerebri profecto ipsius uel animi potius insanum decernunt habitum. Etenim maleficæ ad malam illam morbi qualitatem, quæ deprauata e conlocatione Lunæ, Mercurijq; decernitur configuratione ex ipsa momenti tantum afferunt, ut irradiatione, atq; hostilitate sua excessum illū qui insaniam pariat, meditentur. In animi enim quæ admodū in corporis ægritudinibus excessus contingunt pariter ac defectus. Furor igitur, & hæc de qua nunc loquimur insania illorum est e morborum genere, qui non solum excedant lineam, uerum etiam sint ostentui. Ad hæc signa ipsa animaduertenda sunt, ipsorumq; signorum qualitates ac naturæ, maxime autem quæ habeant in cælo prærogatiuam, sint ne tropica, an solida, an bicorporea. Stelle item signorum dominæ considerandæ, quibus in signis tum maleficæ, tum Luna, Mercuriusq; collocabuntur. Iura enim hospitij plurimum hanc ad rem conferunt. languente enim hospitij domino quem nos libenter hospitatore dicimus, qui Græce plerumq; est οἰκοδομότης, necesse est illum quoq; ipsum hospitio qui accipitur, tristiari, afficietur enim animo ob infirmum ac malum hospitatoris sui habitum. Quo circa non ipsæ tantum aduertendæ sunt maleficæ, quo uidelicet hospitio accipiantur ac signo, & quo etiam ab hospitatore, uerum etiam qualis tunc sit hospitatoris, ac signi ipsius domini status, atq; conlocatio. Cum primus est attendendū, num stellæ ipsæ sint orientales, an occidentales, matutinæ an uespertinæ, incedat recto, an reuouerso gra-

di, primam ne, an secundam forte stationem faciant. Hæc namq; plurimum ad malum magnitudinem, tum etiam ad diuersum faciem illius habitum. Qualia uero hæc sint, exemplis, configurationibusq; ante oculos positus aperiendum est. Etsi cum de morbo comitiali, insaniaq; supra differuimus, satis multa uideri possunt esse a nobis hac in parte tradita.

De Configurationibus facientibus
morbum comitalem.

Luna igitur in horoscopo collocata si Mercurium in occasu aduersum se atq; horoscopus constitutum uiderit, morbum comitalem ei qui tunc nascetur, portendit, adhæc illum ipsum fatuum futurum atq; ingenio crasso. Hæc quidem figura solam habet Lunæ, Mercurijq; considerationem, maleficarum uero stellarum nullam. Itaq; morbum tantum comitalem ingenerat, cuius ea causa est, quod Mercurius cum sit in occasu positus, hoc est in loco, qui aduersatur horoscopo, & Lunam & horoscopus irradiatione sua laessit, Lunaq; Mercurij aduersis radijs laessita horoscopus quoq; ipsum corrumpit, uexatq; multo perniciosius. Quia e re immutatur cerebrum cui Luna præsidet, itemq; humores, qui corporis concretionem ipsam constituent immoderatus exagitantos. Quia ex immoderatione atq; exagitatione, de nimiaq; humidi superfluentia, cuius Luna excitatrix est, morbus ipse comitalis gignitur. Etenim Mercurius morbo huic generando quæ maxime idoneus est, quod ipse Mercurius septimo a loco malitiam contrahit, hostiliterq; a Luna percutitur, ita quidem humor ille cui ipse præsidet, obtunditur, a quo et ratio ipsa suggeritur, ut ingenij acumine obtuso, natus ille futurus sit fatuus, ac barbus. Eundem morbum, animiq; siue fatuitatem, siue obtorpescentiam proculdubio indecentiorē pariet Luna in horoscopo constituta, si ab occasu aduersum se Saturnum simul ac Mercurium seuenientes conspicata fuerit. Saturnus enim humido illi superfluenti magnū adijciat cumulum, morbumq; ipsum multo grauiorē reddet, Mercurium uero sic obtundet, ac refrigerabit, ut nati illius animus torpore capiatur. His e figuris aperte cernitur, quod Luna, Mercuriusq; male collocati, horoscopusq; uexates afferant tū animo, tū corpori mali ac inuij. Videamus nūc quod domalia ipsa præstent et mali, & in quo etiam mali genere. Luna in horoscopo partiliter posita, si Saturnum ab occasu minitantes uiderit, aut e quadrangulo hostiliter ferientem, Mars uero ac Mercurius e tropico

simul signo Saturnum quomodocunq; percusserint, non morbum modo comitalem afferet, uerum etiam insaniam. Ex hac configuratione Luna, Saturnus ac Mercurius comitalem solum uidentur morbum, facultatemq; illam, de qua diximus, ingeneraturi. Mars uero Mercurio copulatus, rabiemq; illi inurens suam, furorem etiam meditatur, mutatis uires tropico à signo. Cuius, ut toties dictum est, maxima est prerogativa. Si enim fuerit signum ipsum Cancer, ad prerogatiuam eius illud quoq; accedet, ut Lunae domum, ut Iouis inficiat altitudinem, ut ab oppositis ipse qualitatibus, atq; ab antiparistasi uehementius effervescat. Si Capricornus, ut ab altitudine foueatur sua, ac Saturni domum in seffu exagitet, exagiteturq; ab illa infectus hospitatoris ipsius, hospitijq; ueneno. Erit autem morbus ipse incurabilis, ni forte uenientem ad se Lunam Iupiter excipiat, Martemq; irradiatione sua locosq; è superiore temperet. Quoniam autem uitio è cerebri, redundantiq; eius humectatione caduci fiunt, et q; dicuntur Lunatici, sepe numero nulla habita Mercurij ratione, corrupta Lunae uis à Solis aspectu maleficarumq; peruerso obtutu comitalem inducit morbum, suffragio tantum domesticæ hospitalitatis, ut si Luna ipsa collocetur in Piscibus, hiq; cæli culmen obtineant, Sol autem ad ortum constituatur in Geminis, Saturnus ad occasum in Sagittario, ad inum Mars cardinem in Virgine. Vides signa omnia bicorporea atq; humana, quæ tum Iouis sunt, tum Mercurij domicilia, in seffu partim maleficarum infici, partim quadrangulatione, aut oppositione tum luminarium, tum maleficarum. Itaq; configuratione ex hac tam perniciofa, et ualida humores ipsi quibus corpus nati ipsius coagmentatur, in cuius genitura hæc contigerint, tam male quidem, in compositiq; fermentantur, uti uitiato cerebro, uitiatur et animalitas. Quæ quanquam huiusmodi sunt, ut de Mercurio nulla fiat mentio, tamen Mercurij ipsius, et domus utraq; et altitudo pariter corrumpuntur, hoc est Gemini, et Virgo, alterum horoscopus signum, alterum in imo cardinans. Ad declarandam etiam signorum, ac domiciliorum uim hoc quoq; addemus Luna ac Mercurio prætermisissis. Vbi Sol partiliter horoscopabit in altero è Martis domicilijs constitutus, si locus etiam fortunæ in altera Martis domo repertus fuerit, Mars autem ipse in quarto constituatur loco, hoc est cælo in imo, natum insanum efficiet. Hæc autem configuratio, cæliq; positura diligentius consideranda est. Cum enim duo sint Martis hospitia, Scorpium atq; Arietem, si constituatur Sol horoscopus in Ariete, Mars in eum locum obtinebit in Cancro, pars autem

autem fortunæ aut erit in Ariete, aut in Scorpio, si in Ariete, ea et excutitur à Sole, et à Marte percussitur è quadrangulo, quo fit, ut et Lunæ domus, et fortunæ locus, qui est Luna ascendens, male à Marte habeatur, quæ è re magnum et ipsa Luna uulnus accipit, si fuerit fortunæ pars in Scorpio, octauum incidet in locum ab horoscopo, qui suapte natura non cuius est, nullaq; horoscopo societate iungitur. Quod si Sol horoscopus fuerit in Scorpio, locusq; in eodem fortunæ inuenietur, eundem in modum, et exuretur à Sole, et à Marte exagitabitur ex imo cardine, atq; ab domo Saturni id est ab Aquario. Si fortunæ pars constituatur in Ariete, sextum incidet in locum ab horoscopo alienum, ac suapte natura perniciosum. Itaq; et fortunæ locus qui est Luna horoscopus affigetur, et nulla cum horoscopo genituræ societate copulabitur. Illud quoq; animaduertendum est, cum huiusmodi configurationis genitura sit diurna, Sole quidem in horoscopo, atq; in Ariete constituto, si pars fortunæ fuerit in horoscopo cum Sole, Lunam quoq; Soli necesse esse copulari. Itaq; et à Sole ea uritur, et à Marte è quadrangulo uulneratur, et Luna partis ipsius domina cum ipsa parte undiq; affigetur. Si fortunæ locus statuatur in Scorpio, Sole ipso ab Ariete exurgente, Lunam necesse est in Scorpio cum ipsa fortunæ parte, octauoq; in loco reperiri. Itaq; et ipsa ab orientali finitore cum parte fortunæ simul erit omnino aliena, et à Sole, Marte q; hostiliter affigetur. Id quod etiam contingit cum pars fortunæ horoscopus ante Sole ceciderit in sextum locum, in quo Lunam quoq; et ipsam necesse est constitui. Hoc igitur illud est quod ait Ptolemæus, Lunam atq; Mercurium horoscopo non colligari. quod quidem contingit, quoties in sexto inuenientur, aut in octauo, aut duodecimo ab horoscopo loco genituræ tempore. Ex hac itaq; figuræ explanatione fit notum et clarum quod erat prius obscurum. siquidem nullo modo apparebat Lunam in ea positione infeliciter constitui, in qua etiam uel infelicissime quidem constituatur. Vt igitur ad rem ipsam redeamus, signa quoq; hæc in parte uehementius ad malum conferunt, cum Martis domicilia in quibus Sol, ac fortunæ locus constituitur, domicilia sui suffragentur malitiæ, uiresq; ei clanculum sumministrant. Sol item cum Mercurio horoscopus partiliter tenens in Martis, aut Saturni domicilio morbum quoq; gignit comitalem, uidelicet quia, ut dictum est, Mercurius, humorq; ab illo excitus, male quidem temperabitur, ueneno enim Saturnino delibutus, aut rabie Martia exagitatus, concrementatusq; à Sole humidum illud cerebri male omnino inficit. Martia namq; Saturninaq; domicilia, in quibus cum Mercurio pariter Sol co-

statuitur, dominorum intemperantiam in humoribus ipsis referunt, uitiosamq; illorum naturam. Cum uideamus ouum aut hali, aut caepa, qua se gallina pauerit, saporem in cibo referre. Signa igitur sua pte natura, signorum que ipsorum domini quid in utraque partem sanitatis, aut egritudinis, felicitatis, aut infelicitatis conferant, iam uidemus.

Alia configuratio faciens comitalem.

Ac nihilominus figuram etiam aliam subiiciemus, qua traditur a Mathematicis insanum illum futurum, cuius in horoscopo Mercurius inuentus fuerit, siue Pisces horoscopent, siue Virgo, dum tamen Saturnus ei Marsq; quadrangulentur. In hac positione primum Mercurius q; rationi praesidet contunditur Martis, Saturniq; uerberibus, quorum alter aut e caeli culmine irradiat, alter ab imo, aut ab eodem uterq; simul cardine. Deinde quia horoscopante Virgine culminant Gemini, consistiq; in imo Sagittarius, signa humana pariter inficiuntur cuncta. Virgo enim & domus, & altitudo Mercurij ipso cum domino affliguntur a maleficis quadrangulantibus. Gemini quoq; altera eius domus, Sagittariusq; Iouis hospitium aut ab inessu utriusq; maleficae, aut alterum ipsorum signum ab inessione, alterum ab irradiatione quadrangula infestatur, Piscium item signum in occasu eadem ab irradiatione affligitur. Qua ratione utraq; simul & Mercurij, et Iouis afficiantur hospitia, totaq; simul bicorporeorum signorum quadrangularitas. Idem quoq; eueniet, si Mercurius horoscopauerit in Piscibus, signorum seu mutato. Qua ob rem gignendam ad insaniam tum signa ipsa natura sua, tum etiam loci (quaterna enim simul hac in configuratione cardinantur signa, atq; una simul corrumpuntur) marum in modum conferunt. Quod in re quoq; militari accidit, ut comparandam ad uictoriam tum miles ipse qualis sit, tum etiam situs ac locus in quo pugnatur, maximum momentum habeant. Ex hac enim ipsa Martis, Saturni, Mercurijq; collocatione & bilis atra sic excutitur a Saturno, et a Marte rufa, ut ratio ipsa his ab excussionibus omnino labefactetur. Videamus adhuc etiam quid locus, quid signorum natura polleat, quid item prerogatiua. Neque enim caducus modo futurus est, uerum etiam insanus, qui in lucem ueniens Martem, Saturnumq; pariter cardinem caeli aliquem tenentes habuerit in signo aut tropico, aut duplici, aut in sexto forte, aut duodecimo loco constitutos, dum tamen aut Luna, Solemq; partiliter coeuntes uideat,

aut Lunam ipsam pleno lumine soli partiliter aduersantem. Examinemus obsecro positionem hanc diligentius. Si Mars, Saturnusq; simul cardinentur in Cancro, aut Capricorno, quae sunt tropica, necesse est signa etiam aequinoctialia corruptum iri, ut aequinoctialia simul et tropica, uno pessudentur tempore, quatuorq; una mundi cardines a uiolenta & perniciosa tum in sessione, tum oppositione, aut forte quadrangulatione maleficarum stellarum, nec non a Solis ac Lunae exitioso habitu, quos necesse sit aut quadrangulari malefis ab altero aequinoctialium signorum, si coeant, aut ab utroq; si luminaria inter se diamerentur. Et signorum igitur uires, prerogatiuaq; & locorum cardinalium auctoritas ad malum simul coniurant. Quod si coniunctio haec Saturni ac Martis sexto fuerit, aut duodecimo in loco, primum loca ipsa sunt horoscopo in connexa, penitusq; ab eo aliena, ac suapte natura peruersa, & nocua, irritantq; maleficas stellas ibidem collocatas ad exitium inferendum nato. Dehinc si diamerentur Soli, Lunaeq; coeuntibus, necesse est alteras ex eis stellas in sexto, alteras duodecimo in loco constitui, configurationem profecto omni e parte grauem, atq; erumnosam. Sin luminaria quadranguletur inter se, nonum ab altero caeli locum, ab altero tertium occupari necessum est, ubi coniunctio maleficarum fuerit in sexto. cum autem in duodecimo, pari modo & tertium, & nonum locum, quae duo loca horoscopo maxime cognata, & corrumpuntur a maleficis e quadrangulo, & male habentur a luminariibus ibidem affictis, eodem etiam a quadrangulo, uel a coitu ipso, si copulatio amborum contigerit, uel ab oppositione, si contigerit plenilunium. Paratur igitur & cerebro, & rationi exitium a locorum situ, deprauataq; natura. Nec uero octauus ab his malis immunis est locus, in quo si contingat Solem, Lunamq; coire in genitura, aut Luna ipsam pleno lumine soli aduersari, maleficis pariter aut diamerantibus eisdem, aut quadrangulantibus imo partiliq; e loco, nimirum natus ille mente capietur, tametsi fieri poterit pro natura signi, ut aut gibber fiat, aut hydropticus, aut phibisi sit laboraturus. Si enim coeuntibus octauo in loco luminariibus, maleficae diamerentur, inficient inessu suo anaphoram id est secundum ab ascendente caeli parte locum, qui aduersatur octauo. Sin erit plenilunium, ratione hac Sol cum maleficis secundo in loco reperietur. quo circa tanto deterius utraq; inficientur loca. Quod si quadrangulabuntur maleficae luminariibus aut simul positae, aut e regione, hoc pacto necesse est aut undecimum ab ijs caeli locum, aut quintum in syderi. quo fit, ut loca haec & a superiori

hemispherio, & ab inferiori tam arcto uinculo horoscopo coniuncta, perniciosissime affigantur. Loca igitur coeli ad futurum in sanie malum, & ad alia item uitia, ut libris superioribus est ostensum, mrisficum in modum per se conferunt, quod a Mathematico summa est cura pensandum.

De Statu & conditione planetarum
cum Sole considerandis.

Quid igitur signa, quid loca ipsa conferant, iam docuimus, quid item Luna, Mercurijq; in ijs quae ad insaniam, ac furorem pertinent collocationes. Nunc ad planetarum status, conditionesq; explicandas transeamus. Est autem conditio (ut dictum est) alia diurna, alia e contrario nocturna. utraq; autem pollet plurimum tum in maleficarum, tum etiam in beneficarum stellarum effectibus. Namq; in configuratione comitalis morbi a Ptolemaeo posita Mars quidem nocturnus, Saturnus uero diurnus morbum ipsum exuscitant; contra uero diurnus quidem Mars, Saturnus autem nocturnus furorem, quaeq; ab eo suo nomine *μαρικὴν* uocatur passio. In ijs enim quae temporalem ad conditionem spectant, uel mrisfice ualent contrarij conatus, quaeq; a Peripateticis dicta est *ἀντιπαρῖσσις*, Status autem planetarum hac in consideratione sic est iudicandus, ut stellae ipse aut orientales sint, aut occidentales, aut matutinae, aut uespertinae, & (ut Ptolemaei uerbis utamur) aut *ἡώαι*, aut *ἠσπερίαι*, recto ne cursu incedant, an retrogrado, an forte cursum sistant, primamq; aut secundam stationem faciant, rursumq; aut orientales, matutinae, aut simul matutinae atq; occidentales, seu uespertinae simul & occidentales, aut uespertinae & orientales. Dicuntur autem matutinari, cum ante suos ab ortu radios efferunt, quam Sol ipse oriatur, contra uespertinari, cum occasum post Solem ostendant se se. Matutinantur igitur, cum non multis quidem gradibus orientali in parte, mane quidem ante lucis expergiscuntur exortum, quo tempore & recto incedunt cursu, & tanquam adulescentes exultant. contra uespertinantur, cum occaso Sole illum secuta radios suos exerunt imbelles qdē, & pene iam senescentes. Vtq; de Saturno, Ioue, & Marte seorsum a Venere, Mercurioq; habeatur sermo, ubi tribus Sol signis digressus ipse ab eis fuerit, haec sub mediam noctem ab oriente radiare iam incipiunt, quadrangulariter illum intuentes, oriente autem Sole culminat, quo tempore etiam pollent plurimum propter cardinem, progressionisq; rectitudinem,

nisq; rectitudinem, Soliq; ob quadrangulationem male conciliantur. Quae res hac in consideratione diligenter aduertenda est. Eaedē stellae ubi centum uiginti Sol gradus hoc est signa quatuor digressus ab eisdem fuerit, ipsi illi triangulantes sistunt iam cursus, ac Sole exoriente praecipitate iam e coeli culmine, nonum permeant locum, Sole uero occidente tertium. Hic itaq; status magno etiam in genituris studio circumspectandus est, post hanc enim stationem & repedant obuerso motu, & non multo post Soli diametrantur ab opposito loco, ut exoriente quidem Sole occasum teneant, occidente uero horoscopum. quod huiusmodi quidem est. Fuerit Solis, Saturniq; copulatio in Arietis initio, non multis post diebus quasi Saturnus a Solis radijs liber fuerit, mane ante Solis exortum conspici iam incipiet, eaq; matutinitio matutino ab exortu dicta. Itaq; ubi ad Taurum Sol transierit, eo exoriente Saturnus duodecimo in loco ab horoscopo reperietur, qui locus est in horoscopi declinatione positus, suapte qdem natura perniciosus, atq; ad malum procliuus. occidente uero Sole Saturnus reperietur in sexto, qui locus exitiosus item est, atq; ad malefaciendum idoneus. At culminante Sole Saturnus nonum tenebit locum, declinantem quidem ab culmine, respicientem tamen horoscopum triangulariter. Eodem autem Sole inimum, hoc est quartum locum permeante Saturnus occupabit tertium, qui horoscopum sexagonaliter intuetur amico & grato aspectu. Post uero ubi ad Geminos Sol transierit, eo exoriente Saturnus undecimum peragrabit locum, qui & succedit culmini, & sexangulariter intuetur ascendentem locum. Sole autem occidente Saturnus quintum permeabit locum, qui horoscopantem partem triangulariter irradiat. Eodem quoq; Sole caeli medium peragrante, Saturnus in octauo atq; in Ariete constitutus reperietur, qui locus qualis sit, abunde iam dictum est. Idem Saturnus comperietur in secundo, hoc est in ascendenti signi successione, qui & ipse piger est, atq; ab horoscopo alienus, ubi Sol in Geminis positus inimum caeli cardinem permeabit. Postquam autem praeteritis Geminis Sol ad Cancrum iam peruenit, quocumque in cardine Sol constituatur, necesse est Saturnum quoq; cardinari in antecedente caeli angulo, nam exoriente Sole culminabit, culminante autem illo ipse occidet, rursum occidente Sole inimum ipse tenebit cardinem, quo rursum a Sole occupato ipse ab horoscopo se se exeret, inuicemq; hoc in statu ubiq; quadrangulantur. At cum ad Leonem Sol transierit, quo e loco Saturnum triangulariter conspici, pedetentim Saturnus ipse progrediens gradum sistet, incipietq; stationari. Neq; enim uerebimur (uti ab horoscopo Graeco uerbo

deductum est horoscopo, & a culmine ac turbine & turbino & culmine) sic a cardine cardinor, atq; a statione stationor deducere. Quo tempore ex oriente Sole in Leone, Saturnus in Ariete positus, per nonum feretur locum, culminante feretur per sextum. Rursum Sole occidente in Leone, per tertium, In eodem item Leone Sole inimum coeli locum tenente, Saturnus tenebit duodecimum. Itaq; Sole gradatim procedente ad Virginem repedare Saturnus incipit, Soleq; horoscopante e Virgine, Saturnus in octavo constituitur, Idem culminante Sole quantum permeat, eodem illo occidente in Virgine Saturnus secundo in loco residet, at residuebit in undecimo Sole inimum locum peragrante. Cum in Libram Sol peruenerit, Saturnus ei opponetur ab oriente repedas altitudini suae aduersus, nec multum aberit temporis cum occidente iam Sole, Saturnus apparere uesperis ab exortu incipiet, quae apparitio ab ipso tempore dicta est uesperina ut a mane matutina. Quo fit ut Sole iam occaso Saturnus appareat ab exortu. At ubi in Scorpio se Sol transtulerit, quoniam Sole in Scorpio occidente Taurus ascendit ab exortu, Saturnus duodecimo tunc reperitur in loco, e quo apparere uesperis euidentius incipit. Quae e re uesperinatio est dicta, & qui antea Solem praecedebat, nunc sequitur, situsq; eius mutatur, & item loca: nam in Scorpio culminante Sole, Saturnus Arietem permeans tertium locum possidet, possidebit uero sextum horoscopante Sole, nonum autem Sole inimum caelum peragrante duodecimum occidente. At ubi Sol ad Sagittarium profectus occidet, ascendet ab undecimo Saturnus, paulatimq; repedationem iam sistet, donec in Capricornum Sol per latus ipse directo cursu occidente iam Sole culmineet in Ariete. Sole autem profecto in Aquarium, eoq; occidente ac sub terras iam delato, Saturnus uesperis nonum obtinet locum, transitq; pedetentim ad occidentalem regionem, quiq; prius fuerat matutinus atq; orientalis, cum undecimum ac duodecimum retinebat locum, maneq; conspicietur, nunc nonum atq; octauum peragrans uesperinus efficitur atq; occidentalis. Sole autem profecto in Pisces, eoq; occidente, ac sub terras iam delato, Saturnus uesperis in occidua regione, octauoq; in loco conspicietur, donec Sol in Ariete transgressus radius illum suus oculat. Quod aut de Saturno dictum est idem in Ioue ac Marte sequendum, habita motus in ratione, praesertim in Marte, cuius cursus e celerior. Hoc e igitur quod ab antiquis praecipitur, statum planetarum cum Sole animaduertendum esse. Veneris aut ac Mercurij ratio aliter habenda est, quippe cum cursus ita suos peragrante, ut cum Sole iungi nulla quidem configuratione queat, praeterquam sola copulatione, dum eodem in signo una corporatim conuen-

guntur. Quo circa, quod de Saturno dictum e, nequeunt Sole horoscopante culminare, aut culminante illo, ipsi ab ortu exurgere. quado nec Mercurius integro a Sole signo digreditur, nec duobus integris signis Venus. De quibus ita quidem praecipendum uidetur. Cum Mercurij ac Veneris stellae eodem tempore & matutinae fuerint & orientales, non aliter pollere suis in effectibus, quam si horoscoparet. cumq; matutinam stationem faciunt, perinde ac si culminarent, ubi uero cursum direxere, aequae ac si in occiduo cardine. at cum statio earum uesperina fuerit, ac si in imo caeli loco constituta esset. Venus igitur ac Mercurius matutinari tum dicuntur, cum ante Solem mane apparent in regione orientali, uesperinari uero quoties uesperis post Solis occasum apparent in occidentali. Erraticae tamen omnes esse possunt & in regione occidentali etiam matutinae, & in orientali uesperinae, ut cum Sole culminante in Ariete, matutina stella id est Solem antegressa reperitur in occidua regione, hoc est in Aquario aut Piscibus, & cum ipsa uesperina Sole culminante existens in orientali tractu Taurum peragrante aut Geminos. Quam ob rem erraticarum status omnium erga Solem summa est diligentia obseruandus, ut quantae cuiusq; uires sint, exactius intellegatur. siquidem pro statu ipso effectiones futurae sunt aut ualidae aut imbecillae aut mediocres. Huic obseruationi illud quoq; accedat, ut hospitatorum ratio habeatur, sit ne unus idemq; hospitator Lunae ac Mercurij an duo ac diuersi, qualis etiam sit utriusq; status in caelo atq; habitus, qualis etiam natura atq; conditio. Maleficae ne an beneficae stella, diurna ne an nocturna hospitium praebet. In hac autem ipsa conquisitione, quid item situs possit, docent Ptolemaei uerba, cum ait, Insanabiles futuros morbos, ubi beneficae occiduae quaedam fuerint, maleficae uero ab ortu cardinabuntur, contra ad sanitatem tandem redigendos, ubi ad ortum beneficae, ad occasum aut maleficae collocabuntur. Ab ortu enim quae beneficae sunt, uires longe ad benefaciendum ampliores suscipiunt, quae sua ipsarum natura est. E contrario insita illis beneficentia a loci septimi, horoscopoq; aduersantis malignitate aut omnino eripitur, aut magna e parte immittitur.

De Vitijs, siue aegritudinibus intemperantiae.

Diximus de grauioribus illis, maximeq; instantibus animum aegritudinibus, et, ut Graeci dicunt, passionibus, quae ratione subuersa hominem ipsum de statu suo deiciunt. Itaq; his de aegritudinibus dicendum

relinquitur, quæ hominem intemperantem reddunt. quæ moralis quidem pars est. Loquimur autem hoc in loco ea de parte temperantiae, quæ ad libidinem spectat atque ad rerum Veneris usum, quæ affectio homini cum belluis est communis, perque eam mares discernuntur à feminis. Quò circa ut in comitali morbo, itemque in furore prima ratio habenda est Lunæ, ac Mercurij, sic in hac consideratione Lunæ ac Solis, itemque Martis ac Veneris. utraq; enim stella appetitioni huic præposita est, excitandæque libidini. Quin etiam ad augendam insaniam, furoremque exagrandū ut momentum tantū habent maleficæ, quantum iam ostensum est, sic Martis ac Veneris stellæ ad intemperantiā hanc nobilitandam pro natura etiam signorum quæ ipsæ permeant genituræ tempore, humani sexus, itemque signorum ipsorum ratione habita. Quam ob rem hæc quoque ad ea quæ à Sole decernuntur ac Luna diligentissime observandæ sunt, siquid aut addant, aut forte demant. Luna igitur ac Sol cum sensibus præsideant atque animalitati, quippe quorum opera, materia una coeat ac forma, sintque res Veneris homini cum belluis communes, utriusque nimirum status temperantiam, intemperantiāque qualis futura est, indicabit. In ipsa autem intemperantia duplici peccatur via, et cum viri, mulieresque suo in genere, ac sexu exercentur res Veneris et vehementius et indecentius quam par est, et cum ad ea mulieres transferunt, quæ sunt marium, mares vero ad ea quæ mulierū. V triusque autem excessus Sol, Lunaque pro natura signi, in quo reperietur, indicium facient, Veneris item ac Mars sua pro constitutione. Signa itaque masculina indicant ea quæ virorum sunt, foemina quæ mulierum. Status quoque ac situs observandam signorum quam etiam planetarum, ut paulo ante in ijs quæ de insania dicta sunt, iam ostendimus. Quoties igitur in viri genitura Sol ac Luna duntaxat soli uterque per ea ferentur signa, quæ masculinæ sunt conditionis, is à natura quæ marium est propria minime recedet, ea quidem in usu rerū Veneris exercens quæ virilia quidem sunt, virilisque naturæ lex permittat, quorū in usu erit fortasse etiā virilior. Quod si utraq; Veneris ac Martis stella aut his est stellis altera masculinis in signis reperta fuerit, idē hic natus eo usque lasciviet, incendeturque à libidine, uti transgressus honesti ac legitimi fines, effectusque in hoc ipso incontinentior, et moechetur frequentius, et ad obscena, in famamque rapiatur, ita quidem ad illa proclivis ac promptus, ut pudoris, modestiæque penē oblitus videatur. In mulieris autem genitura ubi hæc ipsa luminaria masculinis in signis sola quidem reperientur, futurā illam portendant et incontinentem, et in rerum Veneris usu nimiam,

ut relicto fortasse usu foemineo, transitura sit ad ea quæ potius sunt mariū. Itaque prociæ erit et petulans, et oculis, gestuque præ se feret libidinē, uersabiturque in ganeis, incensa adeo, ut foemineo abutens sexu etiam crissetur. Si et illud quoque accesserit, uti Mars, Venerisque similiter uterque masculinescent, aut eorū saltē alter. Hoc tamen intererit, quod si Veneris sola masculinescet, hæc ipsa clanculum à muliere patrabūtur. Sin Mars, calcato pudore, ruptisque naturalis legis vinculis, seque, pudicitiamque suā ita divulget, ut nullā famæ suæ rationē habere prorsus intellegatur. Verum hac ipsa de re melius fortasse consultum fuisset, nihil omnino dixisse, propter rei turpitudinem. Secus autem in viri, aut mulieris genitura, luminaria ubi foemineis in signis ambo reperientur. mulier enim sexus sui naturam sequetur ac legem, quam in re forte erit blandiuscula ac lascivior. At vir prolabetur ad ea potius quæ præter naturam sunt, atque ad muliebria patiēda, mollis ipse, atque effoemnatis moribus. Quod si Veneris quoque et ipsa foemineo in signo constituta fuerit, eadē hæc mulier et adultera erit, et pudicitiam habebit in propatulo suam, et, ut inquit Sallustius, viros petet sæpius quam ut petatur à viris, ad obscenos atque illegitimos Veneris usus ubique prompta ac parata, omni denique flagitij genere hac in parte coperta. Vir autem canedus ac pathicus futurus est, qui que mulieris munus obeat in abutendo sexu, clanculum tamen ac furtim. Sin vero et Mars foemineo constituetur in signo, accedens socius et ipse luminaribus, uterque pariter et vir et mulier præter sexus ac naturæ legē impudētissime, audacissimeque se se habebūt et in agendo et in patiēdo, palam et ob ea expositi hominū convicijs ac maledicentiæ, ut qui omni è parte impuri, contaminati que habeantur. Erūt autem hæc ipsa flagitia magis minusve opprobriosa ac divulgata pro statu Veneris ac Martis tum orientali matutinoque, tum occidentali ac vespertino. Siquidē ambæ stellæ orientales ubi fuerint ac matutinæ, virilē ad usum, eiusque divulgationē permulū adiciant, foediorēque inurent notā et abutendo masculino sexu et contēnenda fama. Occidentales vero ac vespertinæ in ijs quæ mulierū sunt, quæque foeminei coitus ac secundū naturam, copressius in atque occultius idē hoc præstabūt. Omnino autem hec Martis configurationes divulgant, vespertinæ potius occultant. His autem in hūc modū se habētibus Saturnus quoque si se illis accommodaverit, atque addiderit sociū, ad impudentiā impuritatemque, atque ad augendū opprobriū operā suā conferet in utranque partē et agendi et patiēdi. Contra Iupiter moderabitur, modū illis, cautionēque adhibendā suadens, atque pudoris admonēs. At Mercurius et coeūdi impuritatem, usumque promi

scium ac frequentem, & fame contemptum, contaminationisq; labē oēm adaugebit, quippe qui & uirū & mulierē Veneris in rebus tum pudoris, honestatisq; tū rationis immemores faciet, aq; trāuersos, dū ipse in illorū mores, applicationesq; conuertitur. In omni autē hac consideratione, momenti plurimū habet tum institutio in etate tenera qualis fuerit, tum leges ac mores patrij, habitusq; regionum. Nam apud Turcas exoletae prostant publice. apud Germanos in id flagitiū morte animaduertitur. ciuiles etiam in bene constitutis Italiae urbibus leges, iurāq; municipalia igne plerumq; puniunt. Hodie apud Tartaros, gentesq; illas Scythicas, inuenias mulieres quae ex uoto prostent. Apud Romanos capitale olim fuit, militem Romanum in castris seclū habere mulierē. Neq; ignotū est, quae apud Graecos eēt cohors sacra. Quid apud Mauros minus aut turpe, aut uetitum, q̄ habere puerū in delicijs? At puellae Christianae quae deo imitātur, uirginitatē uouēt. Itaq; patrij mores ad haec ipsa uitia uel coercēda, uel fouēda plurimū etiā conferunt. His hūc in modū explicatis, nō pigebit, quasi exempli gratia, maiorū obseruationes quasdā, quo notiora quae iam dicta sunt fiant, carptim referre. Eae aut sunt huiusmodi, Futuras quidē meretrices, atq; infames mulieres eas, quarū in genituris Martē, Lunāq; uno in cardine, iisdē quoq; in partibus, cūq; his simul Venerem ac Mercuriū constitutos, Saturnus summo ē coeli cardine aduersans despexerit. Prostituent itē corpus, & (ut Maternus inquit) pudorē mundi nabuntur, quae in lucē uenientes foeminae & partiliter, & iisdē simul in partibus Martē, Venerē ac Saturnū culminantes habuerint, accedente his Mercurij testimonio atq; cōsensu. Nec pudori suo parcēt, nec fame futurae sunt satis studiosae quae Martē, Venerē ac Mercurium, cumq; his Lunam pariter in solstitialibus habuerint signis, aut quadrangula se se radiatione ferientes. quae quadrangulatio ubi contigerit, necesse est, signa quoq; aequinoctialia labe hac infici. Erūt illae quoq; et libidinosae, et inieperantes admodū, quibus nascentibus Saturnus & Venus matutino in ortu inuenientur, contra Mars in uespertino, aut quadrangulans illis, aut ē regione aduersans. si illud quoq; accesserit, ut masculinis omnes constituantur in signis. Vendet simul & pudorem & corpus mulier ea, in cuius genitura Saturnus et Mars foeminino in signo horoscopantes sibi ab ocaſu foemininoq; ē signo Venerem ac Mercurium aduersantes conspicabūtur, aut Mars ac Saturnus simul, ut dictum est, culminantes Venerem uidebunt ac Mercurium in imo coeli cardine colluctari. Eadem haec natalis configuratio si uirilīs fuerit, cinēdum illum futurum decernit, uitioq;

ex hoc infamem. Erunt τριβάδης Graeco nomine, crissabūtūq; quoties qua mulieres hora nascentur, fueritq; nocturnum tempus Venus, Marsq; una tropicis, squamosis ue in signis positi, atq; ocaſum id est septimā ab horoscopo regionem tenentes, Saturnum aut quadrangulāntem ipsis, aut opposita ē regione aduersantem conspexerint, aut si una tres simul eodem in ocaſu coiuerint. Eo autem terius futurum est uitium, si coitus iste in Ariete fuerit, aut Capricorno, quae signa & masculini sunt sexus, & alterum Martis, alterum Saturni domicilium. cum etiam in altero extollatur Mars, deprimatur in altero Saturnus. Futuri sunt masculini sexus abusers, puerorumq; capientur amoribus, in quorū genituris Mercurius ac Mars simul ac partiliter quidem, iisdemq; in signi momentis, praesertim si alienum id fuerit collocabuntur. habet enim Mercurius puerorum significationē. Eodē quoq; in quinabuntur uitio, in quorum genituris Venus in domo Mercurij reperta fuerit, Mercurius uero ipse abiecte collocatus in sexto, aut octauo, aut duodecimo loco, aut forte in ascendenti signi successione. Idem quoq; Mercurius masculino in signo, atq; in cardine constitutus, in pueros excitabit adeo natum illum, in cuius natali configuratione coniugij locus in Mercurij ipsius domū partiliter inciderit, ut uix unq; foeminini coitus cupiditate capiatur. Erunt eodē quoq; morbo corrupti, qui in lucem prodeuntes Martē, Mercuriūq; in deiectis ab horoscopo locis habuerint. ea quidem ratione ut alter alterius accipiat hospitio, aut ut Aries, Scorpius ue utrunq; simul accipiat. Mars igitur cum sit libidinosus, Mercurius uero puerorum curator, genus hoc libidinis hac ē commixtione exuscitant. Euadent adulteri et uir & mulier, in cuius genitura Mars & Venus pariter septimū ab horoscopo tenuerint locum, aut si Venus in finibus Martis, Mars uero in finibus Veneris positi quacūq; se radiatione respexerint. Quibus si Mercurius ab opposito, aut quadrangulo se ē loco obiecerit, exaequatis qdē partibus, nimirū in adulterio decernit deprehēdēdos. Quoties Venus cū Marte pariter ac Saturno, atq; in Saturni ipsius domicilio posita ocaſum tenuerit, & mulierē quae tunc nascetur, ad publicandū corpus suum impellet, & uirum ad impuros marium coitus, qui uer meretricem forte, aut infamem matrimonio sibi iungant. Haec autem locorum constitutiones signorū conditiones ac qualitates, erraticarūq; mixturae cōmotionibus, atq; exagitationibus suis mētē sic uersabūt, ut animum ac uolūtatem ad se trahant, impellantq; ad obscena, atq; flagitiosa, concubitusq; nefarios. Futuri autem molles sunt ac cinēdi qui geniturae tempore Venerem, Martem ac Saturnum simul in

deiectis habuerint ab horoscopo locis, foemininisq; i signis collocatos. Quia in collocatiōe si contigerit Venerem meliusculæ se habere, clanculum vitium ipsum patrabitur. Eadem Venus foeminino in signo, septimoq; ab horoscopo in loco cum Saturno simul posita mares decernit cinædos, si Mars, si Sol, si Iupiter ac Luna, si una hi omnes per deiecta ab horoscopo ferantur loca. Quia in configuratiōe si Iouem contigerit, reliquis ita, ut dictum est, constitutis, aut horoscopum tenere, aut culminare in edito, hæc ipsa mollities & auctoritatem illis comparabit apud principes viros, & munerum administrationem & gratiam. quando vitium hoc ferè in principum illustratur aulis, quibus amplas quoq; diuitias adiciet Luna, si reliquis cum Ioue simul erraticis, deiectis in locis agetibus ipsa aut horoscopabit sola, aut culminabit. Et illi quoq; futuri sunt cinædi in haud diuulgati, in quorū genituris Venus ac Mars foemininis in signis constituti aut è quadrangulo, aut opposito è loco se impugnabunt. Eadem labe afficientur in quorum genituris Venus cum Mercurio in Martis, aut Saturni domo reperta et Martem ipsa, & Saturnum hospitio suo accipiet, quemadmodum & ipsa mutuo accipitur. Foedabuntur eadè quoq; nota, non tamen palam et puulgate, quorū horoscopus foemininum fuerit signum, ipsa autem Venus cum Saturno pariter aut radijs oculetur Solis, aut inuicem quadrangulabuntur, Luna ipsa foeminino in signo constituta. Quod si Venus, Saturnusq; matutinum facient exortum, nota ipsa futura est publica, atq; eo vulgatiō, si uespertino ab exortu Mars aut quadrangulabitur illis, aut diametrabitur. Laborabunt eodem etiam morbo, in quorum nascentium occasu Venus, Saturnusq; simul constituti Lunam è quadrangulo percusserint, aut in Arietis facie, aut Leonis constitutā, aut forte in Tauri facie, seu Capricorni. Eadè item mollitie afficiet Venus in Tauro, Leone ue, seu in Virgine, aut Capricorno posita, si a Marte tamen ac Saturno qualicumq; fuerit radiatione conspecta. Idem quoq; Venus efficiet in septimo ab horoscopo loco posita, suis quidem in finibus, dum tamen nocturna in genitura Luna duodecimum, aut sextum peragret locum, in diurna uero Sol, atq; in Veneris ipsius finibus constitutus. Idem hoc Venus patrabit, quoties genituræ dominatum sortita, foemininoq; in signo cum Marte collocata deiectos ab horoscopo locos tenuerit, atq; a Saturno masculinum signum tenente quadrato ferietur aspectu, si & illud quoq; accesserit, ut Luna èt per deiecta feratur coeli loca. Et animum simul et corpus foedabunt libidinis impuritate Venus, Saturnus, & Luna pariter occasum sortientes, si Mars imo illis è cardine radios suos impeggerit.

Quod si Iupiter & illis ad occasum, et huic ad imum quadrangulabitur, ad cætera impuritatis opprobria illud addet, ut puerorum quoq; natus ille contaminetur amoribus, ac nihilominus, propter locū septimum, uxorem quoq; impure cognoscat, adeo ex omni parte & mollis & impurus futurus est, atq; a uiro alienus. Tradit Iulius Maternus omnem libidinis impuritatem, prostremamq; corporis effœmationem decerni a Luna, Solèq; in Capricorno, aut Tauro, aut in Ariete Leone ue ita quidem horoscopantibus, ut in eorum signorum aut facie constituantur, aut dorso. In omni etiam genitura Lunam in cauda Leonis inuentam id est in trigesima eius parte cinædos efficere, in facie uero eiusdem Leonis, itemq; Capricorni, Arietis ac Tauri libidinosæ impuritatis genus omne decernere. Arietis autem ac Capricorni faciem sexta, septimaq; simul pars constituunt, Tauri uero ac Leo tertia, quarta, & quinta. Leonis item & Capricorni dorsum tres simul partes constituunt, hoc est uigesima prima, uigesima secunda, & uigesima tertia. Eiusdem Materni uerba sunt hæc. Capricorni sexta & septima ponuntur in facie. octaua, nona, & decima, quæ sunt per ordinem in ore Capricorni constituuntur. In ijs partibus quæ sunt in ore Capricorni si quis habuerit Lunam, licet illa sit beneolarum testimonijs adornata, impuro ore uiros faciet, mulieris libidinis labe pollutos, mulieres uero, si in his partibus habuerint Lunam, omni erunt impuritatis uitio possessæ. Hæc Maternus. Quod reliquum est, Arietis dorsum constat ex his ordine suo partibus, hoc est uigesima tertia, uigesima quarta, & uigesima quinta, Tauri uero è sexta decima, ac decima septima. Labefactabit autem tum uiri, tum mulieris impurissimum et os et animum Venus cum Mercurio in decima nona Arietis parte sita. Eadem ipsa Venus in trigesima cuiuscunq; signi parte posita, si partiliter aut quadrangulabitur Lunæ, aut diametrabitur eidem, simili ratione in ultima cuiusq; signi parte posita, eandem decernit impuritatem, clandestinam tamen, quæ quidè futura est vulgatissima, abrupto omni pudoris freno, si domini signorum, in quorum postremis partibus Luna, Venusq; constituuntur, qualicumq; easdem radiatione respexerint. His in configurationibus uidere licet, a Martis stella libidinis excitationem, a Saturno turpitudinem, atq; impuritatem coitus portendi, a Mercurio fieri utriq; additamentum, cum diuulgatione & infamia. Quid q; Venus undecimum ab horoscopo locum nacta, culminisq; in successione cum Saturno collocata, si alterum è domualijs eius horoscopet, & cū eo Iupiter Mercurius, ac Luna pariter ad hos ferantur, Mars uero

inimū coeli cardinem teneat foeminino in signo positus incestos decernit, nefariosq; concubitus cum matre, nouerca'ue, aut cum materteris. Cum sororibus autem, ubi Venus in imo cardine constituta Lunam partiliter intuebitur in ipso coeli culmine per a grantem. Forsitan et sororem sibi matrimonio iunget, atq; hoc nomine, ut Poëta inquit, culpam prætexet. Itaq; diligenter admodum uidendum est, num Luna in ortus sui configuratione feratur ad Venerem, & a quibus etiam stellis aspiciatur, ex hoc enim accessu, progressioneq; coeundi usus præ posterus summa cum imperantia, infamaq; decernitur, forsitan et uolenta atq; opprobriosa mors. Etenim ubi Luna sic ad Venerem fertur, uti diurna in genitura cardinem teneat, uti Mars uel culmen occupet uel occisum, uix fiet, quin incestum ob ipsum infamis mors contingat, ferroq; illata. Hæc autem genitura si fuerit mulieris, ea utinam id euitet, ne aut cum fratre coeat, aut fratris filio, aut cum patruo, siue patruī filio, aut cum priuigno, aut ex affinibus aliquo, sin uiri, ne is aut sororem cognoscat, aut sororis filiam, ne ue patruī uxorem, aut filij, aut priuignū, aut ne forte nouercam, aut quam pater habeat i delicijs. Quid q̄ aut nouercis iūgetur, aut matribus natus ille, in cuius genitura Venere ac Ioue in Saturni aut domo aut finibus pariter constitutis, ipso etiam Saturno a Ioue mutuo accepto in eius seu hospitio, seu finibus, Luna & Mars pariter quadrangularibus illos radijs impetuerint. Cui configurationi si Mercurius quoq; accesserit, timenda est aut filia aut priuignæ corruptio. Forte etiam nõ aberit quin filius aut matrem noscat, aut nouercam, aut filia iungatur patri, ubi Luna cum Ioue, Saturno & Marte in domo fuerit Saturni inuenta. Et cum matre & cum filia naturæ uidetur iura polluturus, in cuius genitura Venus, Luna, & Iupiter aut simul cardinabuntur, aut ipsis e cardinibus inuicem se diametris, quadrangulus'ue irradiationibus affligent. dum tamen Saturnus omnes pariter raditione aliqua uerberabit. Latebit tamen facinus tam nefarium, si Venerem duntaxat ac Lunam Saturnus conspicabitur. Quæ genitura ubi mulieris fuerit, ac Lunæ locum Sol subierit, in ea configuratione mulier hæc & patrem uidetur & filium cognitura. Mulier & illa cum patre consuescet, quæ in lucem dum prodijt, Venerem in Iouis habuit finibus, in finibus uero Iouis Venere, Martem autem utranq; stellam e quadrangulo diametro'ue intuentem. Fratres & illi nefarie, polluenteq; sese cognoscent, qui nascentes Solem, Lunam, Venerem ac Iouem simul copulatos, aut Soli ac Lunæ coeuntibus, Venerem ac Iouem quadrangulantes fortientur, ita tamen ut commutatis finibus, Iouis si-

nes Venus, Venere autem fines Iupiter possideat. Omnino autem Lunæ Venus in natiuitatibus aut copulata, aut quadrangulo illam contata, nefarios decernit coitus, nec puerorum modo amores, uerum qui cognationis ac sanguinis iura polluant. Præsertim ubi copulationes ipsæ, quadrangulationesq; in bicorporibus signis solstitialibus'ue contingent. Non temere igitur a ueteribus traditum est Lunam, Venereq; liuore quodam se mutuo insectari. Abhorrebunt a foemineo coitu, quorum in natiuitatibus Venere Saturni fines occupantem nulla penitus stella intuebitur, solam quidem, aliarumq; a stellarum omnium conspectione desertam, Luna tamen ipsa in Leone, aut Virgine, aut in Capricorno Saturni fines possidebit. Sunt autem ultimæ cuiusq; signi partes maleficis attributæ. Hæc nos ab antiqs tradita scriptoribus referimus, quæ quidem suas habent omnino causas. Sed nec uideri uolumus, dum rationem singulorum coniectamur, detrabere obseruationi. Ipsi meminimus Florentino a prætore publicæ affectum supplicio fabrum lignarium, qui filiam uxoris loco plures iã annos habuisset. Intelleximus & Neapoli agentes annis superioribus, Panhorni in Sicilia delatam prætori a filio suo matrem, cum quo illa in tenebris sæpius sub alterius specie consuesset, tandemq; cognitam abominatus filius ad prætorem illam, ut dictum est, detulit. Temporibus nostris Pontificem Maximum secutum fortasse Lothi exemplū, de quo Hebraicis in historijs fit mentio, filiam suam & cognouisse, & grauidam fecisse opinio est & aulæ totius, & urbis Romæ uniuersæ. De quo tamen parcius, propter sedis pontificiæ maiestatem, in qua tot sanctissimi sacerdotes, tanta cum integritate, & pene dixerim diuinitate & olim sedere, & ut mihi persuadeo, etiam sedebunt.

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD
PAVLVM PRASSICVM DE RE
BVS COELESTIBVS LIBER
QVARTVSDECIMVS.

g Eneris rerum, atq; in primis hominū Paule Prassici, tanta quidem inter eos ipsos diuersitas, ipsiusq; diuersitatis tam multiplex item uarietas, q̄q; alijs atq; alijs proficiscuntur è causis, ad cœli tamen, stellarumq; aspectus, atq; ad ipsum terrarum situm sunt potissimum referendæ. Permagnum enim interest, qui terrarum tractus cui cœli tractui sint subiecti, cui etiã erraticæ stellæ, Positura quoq; ipsa terræ qualis sit, quo etiam solo, natura, facie, atq; habitu prædita. Vtq; de rebus nunc taceamus alijs, effigies non solum, habitusq; corporum, uerum applicationes ipsæ, constitutionesq; animorum, locutio quoq; pronuntiatioq; uerborum palam hoc faciunt. Quæ in re duo etiã cōsideranda sunt, positus ipse scilicet terræ, quo à cœli circūductu temperetur, & qualis sit eius constitutio, sit ne situs ipse planus, an montanus, humido solo, an arido, frequens an à cœtu, cultuq; hominum desitutus, in mediterraneis ne, an secundum mare. Hæc enim, aliãq; huiusmodi ad quam quisq; sit artem applicaturus, plurimum momenti habent. In montibus enim sitæ regiones, saluosiq; in locis aut palustribus, propter ubertatem pastus, accommodatiores sunt gregibus atq; armentis. Itaq; plerumq; uidemus earum regionum incolas pecuariam exercere atq; armentariam, qui apertos colles, aut plana magis incolunt loca, a gro eos colendo dare operã, conferendisq; arboribus, aut disponendis uitis, oleisue, qui ad lacus, aut mare habitant, piscatui & nauigationi, quibus loca obtigere steriliora, ij plerumq; manuarijs dediti artibus atq; operis uitam inde sustentant, aut famulatu, aut militia, aut hinc atq; illinc comportandis mercibus, quibus patria est nobilior aut opulentior, artes ij præstantiores exercent, mercaturamq; locupletiores &, ut Cicero ait, undiq; apportantem, moribus lautioribus ac perurbanis instituti. Quo circa situs ipse non ille modo qui cœlum suum sequitur, sed qui eodem est sub cœli tractu positus, uariante quidem locorum ac soli natura, mores quoq; & artes ut uariant, plerumq; effici, Illudq; persæpe præstat, uti finitimæ etiam regiones, propter dissimilitudinem positus, dissimiles quoque sequantur uitæ institutiones,

institutiones, Siculi propter camporum ac collium latitudinem pleriq; omnes præter q̄ qui ad mare agunt, aratoriarum atq; armentariarum sunt dediti, ut non temere diuulgatum sit, Cererem inde profectam terræ cultum, ac ferendæ frugis mortales primam docuisse, eosq; à pastu uocauisse ad aratum. Apuli colendis ferè tantum agris, ac faciendis messibus, Montana Peli gnorum ac Marsorum oppida pascendis præcipue pecudibus, aut exercendo lanito, atq; contexendis pannis. Alij quarum rerum terra quam incolunt est ferax, in ijs se se exercent, ut colendis oliuetis, atq; amygdalæ, moretis ue ad usum atq; contextum sericorum, aut croco etiam, aut cumino, bombicæ ue intenti. Nullas Nomades urbes habent, itaq; palantes agunt. Scytharum item pars maxima aut pecoribus aut rapto uiuunt. Galli, Germaniq; suas quiq; populi sedes habent, ac certos & definitos agros. Et in ijs quidem ipsis, præter illud quod tractus ipsius est proprium, gentiq; incolenti prope modum naturale, regionatim tamen sunt suæ cuiq; diuersæ ab alijs institutiones, uitæ item studia & artes quas peculiarius sequantur, ut eæ magis uideantur à natura ipsa, q̄ ab electione profectæ. Dedit nomen Ichthyophagorum genti piscium in uictu usus, Siruthiophagus uero è struthijs cibus, dedit Ambronibus atq; Anthropophagis, q̄ carnibus uescerentur humanis. Est mihi domi Aethiops seruus, qui persancte affirmet, morè illis esse, uti abactos infantes saginent, quibus saginatis post uescatur in cœnis lautioribus. Refert Tacitus id qd̄ ita quidem sese habet, Britanorū hominum corpora uaria esse, eorūq; qui Calidoniã habitant, q̄ Germaniam prospectent, rutilas esse comas, magnos artus, ac Germanorum gentis similitudinem referre, Silures uero torto esse capillo, colorato uultu, atq; Hispanorū similes, q̄ ea pars Hispaniæ sit obiecta, At q̄ Gallis sint proximi, eos esse Gallorum similes, q̄ procurrentibus in diuersa terris, cœli positiones habitum corporibus suum dederint. Horum igitur admonuisse, ab instituto hoc nostro minime fortasse uideatur alienum. Quæ enim in uniuersum spectant, ea ut pote generaliora cū primis obseruanda sunt. Nam & in urbibus bene constitutis, & in quibus lege uiuitur, publicum bonum priuati cuius commodis antefertur.

Mane igitur hoc terræ spatium qd̄ æquinoctiali à cardine, Solisq; ab ortu per mediterranei orbis tractum ad occasum portenditur, atq; ab ipso occasu in septentrionem, indeq; in ortum colligitur, duabus lineis ab

oriente coeli parte in occidentem protractis distinguitur, æquinoctiali uidelicet una, solstitiali altera, quæ Græco nomine est τροπικὴ. Et in æquinoctiali quidem lineabis anno dierum ac noctium æqualia contingunt spatia, uere scilicet atque autumno, in solstitiali autem semel, idque æstate euenit, diem summum ad incrementum produci, noctem uero ultimum pati detrimentum. Nam de solstitiali illa linea, quæ hiberna ac brumalis dicitur, non uidetur hac in parte præcipiendum aliquid. quando si qua sub illa est hominum habitatio, nihil ad nos attingit, nullaque habetur eius à nobis cognitio. Tametsi ultra æquinoctialem lineam aliquantum terræ habitatum constat, quibus in locis umbra sic uariat, ut nunc septentrionem uersus, post autumnum scilicet, nunc in austrum æstate diuertat. Illud autem de brumali affirmare tantum possumus linea, ubi Sol ad illam accesserit, maximas inde noctes, dies contra breuissimos nobis contingere. Igitur quæ gentes, quæque nationes tractum inhabitant, æquinoctiali ac solstitiali hac linea comprehensum, illæ quidem à signifero conteguntur, Solque singulis ueris atque æstatis diebus iter suum uarians, supra uerticem illorum capitaque progreditur. Incolètibz uero tractum eum qui à solstitiali æstiuamque linea uergit in septentrionalem cardinem, Sol ubique ac toto anno obliquus apparet, signaque illa Zodiaci orbis etiam obliqua. Nunquam enim supra caput eorum Sol per illa incedens circumfertur, nec rectis illos radijs ferit. Perite igitur atque elucubrante admodum à Luciano dictum est.

17 Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe,

18 Vnde tuam uideas obliquo sydere Romam.

Rursus autem duos hos terræ tractus maioribus nostris ita quidem uisum est distinguere, uti à puncto æquinoctialis lineæ æquis quidem ac dinumeratis partibus, inter ortum atque occasum ac sub ipsum coeli medium constituto, lineam rectam ad cardinem ipsum septentrionis ducerent, qua ducta totum hoc spatium ab ortu in occasum, æquinoctiali que linea ab austro discretum, in partis distribuerunt quatuor, siue quadrantes eas uocare quis maluerit, siue quadras. Quarum duæ ita constitutæ sunt, ut altera quidem à septentrione atque ab latere uergat in ortum, altera uero latere ab altero in occasum. cum è duabus reliquis altera in meridiem ab occasu se se diffundat, altera uero ab ortu.

De septem Climatibus.

19 Rursus latitudinem hanc omnem, de qua diximus, atque hunc ipsum terrarum orbem ab æquinoctiali linea, ortu, occasu, atque à septentrione

comprehensum alia ratione dimensi sunt, septemque in climata, ducto inde nomine, quod ab æquinoctiali fiat tractu in septentrionem ascensio, distinxere. Ac primum quidem spatium ipsum, quantum maximum ac uastissimum illud est, ipsamque omnem latitudinem una ac uiginti lineis partiti sunt, suam in una quaque distributione rationem secuti. Deinde ab ipsius æquinoctialis lineæ punctis, id est ab oriente atque occidentem coeli cardine, æquo digressi tramite, primum clima, mundi que ac clinationem ita constituere, horarum quoque aduertentes spatia, uti cum sub æquinoctiali ipsa linea duodecim semper horarum dies pariter ac noctes essent, primum ipsum clima eo usque prolatauerint, quod maximus quidem dies tredecim integris constitueretur ex horis. Quodque plaga hæc Meroen, notam ac maxime claram insulam peruaderet, quæ à Nilo, Astabora que fluminibus efficitur, Μαμερὸς à Græcis est dicta. nobis eam appellare Meroensem placet. Cæterum cum inter unum quodque clima ab initio eius ad exitum interlabatur horæ dimidiatæ tempus, uisum est priscis auctoribus ac præsertim Ptolemæo, quo spatium ipsum temporis appareat distinctius intersectare singulas plagas singulis æquidistantibus lineis. Partitus est autem omne illud tempus horæ dimidiatæ in quadrantes duos, id est in duplices, ut hodie loquuntur, quartas. Quodque ab æquinoctiali linea, quæ duodecim semper est horarum fiat digressio ad horas tredecim, quod primæ quidem plagæ tempus est, interiecit lineas tres, quarum prima, æquinoctiali que quam proxima horarum esset duodecim et quartæ, alterius horæ partis, secunda quæ esset horarum duodecim, et alterius dimidiatæ, tertia quæ ad horas duodecim ac dimidiatam alteram adiret etiam quadrantem partem, qua ratione linea quarta, quæ primam claudit acclinationem, existit horarum tredecim integrarum. Capit autem æquinoctialis linea ab ortu Solaris cardine principium, qua parte Sinarum in Indico mari sinus incipit, hoc est à Satyrorum post Ichthyophagos promontorio, auream inde pertransiens Chersonesum, oppidumque eius Calipolim ac fluum Attaban, indeque per Indicum excurrit pelagus, pertingitque Taprobanam insulam, Axanum tranans flumen, oppidumque mediterraneum Nagadumam, et Nubartam, quod est in ora maritima ac rursus in Indicum irrumpens mare Aethiopiam inde intersectat, dirimens interiorem Aethiopiam ab ea quæ est sub Aegyptum, perque Axaniam feracem elephantorum regionem profecta, itemque per Siruthiophagos scindit Coloan paludem ac Pylæos montes, secundumque Arangam montem digressa interiorem Libyam in-

teriore ab Aethiopia diuidit, uastamq; illam latitudinem, quæ albos gignere elephantos traditur, permeat, donec ad alios peruenit Ichthyophagos, qui sunt in ea parte Aethiopiæ ad illumq; oceani sinum, qui ab antiquis Hesperius dictus est, regioq; ipsa Hesperia uocata. unde à Græcis ἠεσπεία dicuntur stellæ, quæ nostra lingua sunt occidua aut uespertina. Quo sinu tempestate nostra ab Hispanis enavigato, occupatis insulis, quæ Fortunatæ olim, nunc Canariæ ab illarū dicuntur maxima, loca permulta ad aperta sunt, antea quidem ignota nostris hominibus. Ab hac igitur linea digressi in septentrionem, orbem hunc nostrum una & uiginti (ut dictum est) lineis secuerunt. Primæ itaq; plagæ & ut Græci loquamur appellatione κλίματι tantum attribuerunt terrarum ac marium, quantum lineæ quatuor complectuntur, id est quousq; dies in tredecim integras excreſcat horas. Ac prima quidem & secunda linea attribuenda fortasse esset æquinoctiali tractui, quo septem climatum unū quodq; uarietur horæ dimidiatæ spatio. Nos tamen uniuersum tractum ab æquinoctiali linea usq; ad quartam, primæ plagæ attribuemus.

F I N I S .

P. Summontius Lectori.

Hactenus Pontanus noster scripsit de rebus coelestibus. Nam quæ pauca alia post hæc de climatum ratione, ad librum hunc quartum decimum spectantia, in eius archetypo leguntur, aggestitia uidentur quædam ac præparationes potius rerum scribendarū, q̄ operis pars ordine aliquo digesta. Quod tum uacua passim interiecta spatia, tum interlineationes ipsæ, lituræq; declarant. Quæ quidem ut pauca atq; omnino incomposita, supprimenda potius iure uisa sunt. Vale.

LVNA LIBER AD AEGI

DVM EREMITAM.

CADEMIA Salernitana quædiu floruit Aegidii Eremita, rerū naturalium, eiusq; disciplinæ, quæ quousq; Græce dicitur, ita quædē tutata est partes, ut Latine quoq; orationis curā minime abiēcisse uideatur, multiq; ex ea schola medicis res satis etiā ornate literarum tradiderint monumentis, tum

prosa oratione, tum carmine. Appareatq; magis illis bona defuisse tempora, quam suis ipsos defuisse temporibus. Et profecto pars ea Campaniæ in qua Neapolis sita est, maritima itē Lucaniæ ora, Brutiæq; ac Calabriæ cum insula Sicilia ita quidē cognitioni rerum incubere, ut Philosophia illic initio nata putaretur, atq; apud eiusdem gentis homines educata & culta. Quod & Eleates, & Locrenses, Tarētinaq; scholæ, Siculusq; maxime Empedocles docet, Empedocleaq; dogmata clarum fecere. Nam si Homeri de Sirenibus ad Ulyssem delecta recte accipiuntur, cum tenere se profiterentur illæ cuncta quæ ab terra magis innuunt, quam rerum quæ in terra gurguntur suntq; cognitionem ac scientiam? quæ Physicorū quidē est propria. Quid quod eadem quoq; cognitio perdurauit, percrebruitq; ut pleræq; artes bonæ Romanorum temporibus ad auos usq; nostros summa cum celebritate & gloria, continuatis etiam eloquentiæ studiis, ut Virgilius Neapolim non temere florere his ipsis dixerit. Vltima igitur Salernitana studia & philosophandi, & Latine quædam philosophandi laudem amiserunt. Non tamen ut aut Salernitanis aut Neapolitanis meis bonæ hodie quoq; mens non assit uoluntasq; illa, quæ senserint, ea cum ornatu & copia differendi. Quam ad rem nos quoq; pro uirili exactare non desinimus atq; adhortari cives nostros, si tamen per Gallorū insultationes licuerit quod intendimus assequi, dum pacatissima olim regio & bonis artibus dedita, illorū nūc armis afflicta ac prostrata iacet, languentq; hominum ingenia, tantumq; à studiis ipsis deterrētur humanitatis ac naturæ, quantum Galli ipsi ac Germani excitantur ad prædam, expergiscunturq; ad cædes ac latrocinia. Tulit olim Pythagoras Samius laudem hanc secum, quod oram illā Italiæ docuisset, quæ mihi quidem non minus ab ingeniorum excellentia et flore ma-

gna quondam videtur Græcia appellata, quam a frequentia maximarum urbium ac populorum excultissimisque diuitiis, cum tamen studia præclarissimarum artium pluribus etiam ante Pythagoram seculis hic floruisse. Itaque fama hæc non magis uera fuit, quam Numam Romanorum regem Pythagoræ eiusdem auditorem fuisse, quippe qui Metaponti doceret regnante Seruio Tullio, qui fuit a Numa ipso Romanorum rex quintus. Nec uero hanc nos laudē Pythagoræ inuidisse uideri uolumus. Et dum naturali disciplinæ, dicendique facultati consulimus, uetustissimi Philosophi, eiusdemque optimi uiri nomini ut detrahamus, absit ab ingenio institutisque quam longissime nostris. Docuerit itaque uir Samus, et bonus et doctus uir Italiam primus, institueritque nostrates homines non ad disciplinas modo, uerum ad religionem ac dei cultum, fueritque auditor eius Pompilius rex, dum nos ab insita moderatione, prosecutionisque uel admiratione potius maximorum ingeniorum minime recedamus. Nec tamen Salernitano illo instituto desinamus aut eloquentiæ physicas res adiungere, aut rebus ipsis naturæ explicandis ornamentum et comptum. Ne te igitur pigeat cælestes inter cogitationes tuas, studiaque diuinarum rerum Christianæque religionis confirmandæ atque illustrandæ, nostratia hæc legere, quæ sunt de Luna, corporisque eius maculis, quibus legendis, quod pleraque Physicorum quorundam aduersentur opinioni, satis sciote magis admiraturum esse inquisitionem de ea re nostram, quam arbitraturum nos uel liuore aliquo, uel uulgaris studio incitationeque ad hæc ipsa tractum, quippe qui ueritatis indagandæ gratia moueamur non odio, minime uero aut inuidia impulsus, aut insectandi cupiditate, aliorum uel gloriæ detrahendi.

LVNAM Aristoteles minorem esse Sole ait, secundumque ab illo locum obtinere atque auctoritatem tum caloris tum lucis. Cumque calor et Solaris quidem calor generationis prima sit atque appositissima causa, nimirum Luna secundo illi succedet in loco, quando minor ea Sol a maximo rerum naturæ indagatore iudicatur. Itaque nec me ipsum puduerit uicariam esse eam Solis dicere et in calfaciendo genitalem ad operam et illuminandis nocturnis tenebris, lucemque terris subministranda. Ipsam tamen suapte natura opacā esse docent menstrui eius discursus, illuminationisque quotidiana uarietas, quippe quæ pro recessu aut accessu ad Solem suo, nunc corniculata appareat, nunc dimidia, modo autem tumentior, modo perquam plena, hæcque uarietates formæ

bis illi accidant singulis mensibus, bis etiam contingat, nullam uideri, paulo antequam Soli congregitur, et postquam ab illius coitione digressa nouam cursus auspicatur rationem. Itaque ueteres Græci Poëta non ab re finxerunt sub Apollinis ac Dianæ nomine, fratris eos inter se ac sororis uinculo iungi. Quod igitur suapte natura opacā sit, Solaribusque a radijs pro interiecta interapedine illustretur, Lunam plerique Latinorum dictam uolunt tanquam luce lucentem aliena, cum lumine cassa sit proprio. Cui opinioni etsi assentiendum uideatur propter scriptorum auctoritatem ac temporum, tamen quod ea fortasse ambitiosior est, nobis magis placet, nocturna ab illuminatione Lucenam initio uocitatum, post uero subtracta syllaba quod com- pluribus in dictionibus usu uenit pro Lucena Lunam in ore hominum percrebuisse, nomenque ipsum integrum siue Iunoni siue Dianæ uis tantum commutata litera permanisse. Lucere tamen eam dimidiam ubique ratio ipsa docet. Semper enim dimidium corporis eius Solaris expositum esse illustrationi ita constat, ut ex integris dimidijs, altero semper luceat, qua in Solem prospectat, altero qua uidelicet parte illi aduersatur opacet. Nam corniculatam cum intuemur inferiore quidem a parte, tunc uero a superiore pertumescit, ut corniculatio illa inferior superiori coniuncta tumori dimidiationem integram Lunaris corporis impleat. e contrario cum inferius intumescit, superius insinuat cornua. Cumque mortalibus luceat dimidia, quæ tamen quarta pars eius pro obtutu nostro est, altera quidem pars quæ integram dimidiationem constituit, luceat immortalibus, et cum nobis nulla quidem ærnetur, illis existit plena, hoc est ex dimidio toto superiori a parte illuminatur, cumque illis nulla, nobis prorsus est plena. Quo fit, ut uarietas illa figurarum e discursu eius existat ad oppositam nunc Solis regionem, nunc rursus ab opposita regione ad Solis congressum. Non desunt tamen qui asseuerent Lunam ipsam ubique lucescere dimidia plus corporis sui parte, quæ ea natura sit corporum illuminantium, cum longe maiora atque corpulentiora sint, quæ uero illuminantur minora. Quod nos ipsi minime quidem inficiamur, sed aliam potius sequendam in his esse rationem duamur. Quam tamen antequam expli-

Reliqua desiderantur.

P P P ij

Opus hoc de Luna in Pontani scriptis ita ut uides, mancum inuenimus, cuius reliquum ut alia etiam non nulla post authoris obitum, amissum est heredum incuria. Nec & his profecto quæ nunc habemus, eadem non incuria obsuisset, nisi nos id ipsum timentes, periculo statim occurrissemus, ereptisq; tanquam è naufragio archetypis salua per nos res fuisset. Quare discant præcauere sibi quicunq; literis aliquid mandant, nec se temere si sapiunt, posteritatis committant negligentia. Vale.

Epistolam hanc inuenis olim Pontanus super Herodoto scripsit, per Laurentium Vallensem in Latinum conuerso.

Iouianus Pontanus Petro Salvatori Vallæ,
& Ioanni Ferrario. S.

Esti uerecundia mea uix dignum esse arbitror, ut alieno labori meum nomen inscribam, tamen Petro Salvatori Vallæ, et Ioanni Ferrario aliquid à Iouiano postulantibus difficile dictu esset non concedere. Efflagitasti enim ut quoniam Halicarnassæ Herodoti historijs mirum in modum delectaremini, quas nuper Laurentius Vallensis in Latinum conuertisset, sed morte præuentus, incepto operi ultimam nequiverit manum imponere, id breui saltem testarer epistola, ne tantus labor à quo susceptus fuerit, id posteris esset incognitum. Feci itaq; non inuitus ut rogatu uestro, eruditissimi hominis famæ consulere, quem & uiuum amavi, et mortuum etiam lachrymis sum prosecutus. Huius autem suscepti operis ratio hæc fuit. qd cum ille Neapolim se aliquando conuulisset, salutandi Regis Alphonsi gratia, cui multos ante annos esset cognitus, et de rebus Persarum, ac Græcorum multus inter eos sermo esset exortus, rogatus est à studiosissimo principe, ut Herodotum, quem ea diligentissime complexum esse sciret, sibi Latinum redderet. Quod cum ille Regi de se benemerito, ac honesta præsertim petenti non denegasset, ne operam suam, ut erat pollicitus, omnino præstaret, immatura mors effecit. Quo mortuo Rex libros eos, ut erant, Roma sibi deferendos curauit, & in bibliotheca sua diligenter asseruari iussit. De hac autem tota conuersione, quod meum sit iudicium, non istis. Mallet enim unumquëq; sua, quam aliena ad nos asferre.

Equidem & Ciceronem existimo, si uiueret, grauato id animo esse laturum, si quis Oratorem suum Græce loqui faceret, & Demosthenem stomachaturum, si quæ ipse Atticæ scripisset, alia quispiam lingua eloqui uellet. Quod autem ad Herodotum ipsum attinet, sane id est, ut existimem tanti uiri ingenium, non parum omnes admirari debere, qui res tam uarias, ac tanta diligentia conquisitas, ea suauitate artificioq; explicauerit, ut nihil omnino sit, quod eius laudibus recte detrahi possit. nisi forte id aliquis calūniari uelit, qd non nulla apud eum ita legantur, ut ficta q̄ facta potius esse uideantur. quæ culpa nõ magis scriptoris, q̄ temporum illorum est existimanda. quam ego uel potissimam reor esse causam, cur nouem ille Musarum nominibus libros suos inscripserit, quasi ipsa operis inscriptione, apud posteros id statutum relinquere cuperet. Nam et temporibus non omnino repugnari potest, & Musis aliquanto etiam liberius, ut scitis, loqui concessum est. Sed de hoc licet alij quoq; suum afferant iudicium. nihil enim ob sisto. Satis feci, ut opinor, cupiditati uestre. qd si breuior fortasse sum, quam erat uestrum utriusq; auuiditas, id occupationibus meis attributis. Ad hæc & Laurentij nostri, & Herodoti ipsius laudes maiores multo sunt, quam ut eas breuis epistola complectatur. Reliquum est, ut uos ad legendas historias adhorter. ex quibus, si animi quærat uoluptas, non est, unde maior percipi possit, si uitæ commoditas, haud ferme inuenietur, ubi plura melioraq; exempla reperiantur. Valete. Neapoli. Calendis Ianuarijs. MCCCCLX.

Pontani epistola, qua de ueterum libris iudicat, per Actium Syncerum inuentis. Hanc ne sine dolore legas, ultimam lector scias, post innumerabiles alias, quas tum publicas, tum priuatis de rebus, immortalitate dignus uir ille olim diuinitus scripserat.

Pontanus Syncero animi firmitatem. D.

Quæ ad Pudericum scripsisti, ea me mirificum in modum delectarunt. Sunt enim plena pietatis tuæ erga uetustatem ac diligentia. Quo circa uel auentissime expecto uidere Ouidianos illos pisciculos in Euxino lusitantes, Mæotideq; in palude. Quod uero ad uenationem atti-

met, uisus est mihi uates ille lepidus, numerosus, & cultus. deq; eo, si re-
cte memini, sit ab Appollinare mentio in hendecasyllabis. Rutiliani il-
li uersiculi enodes sunt & nitidi, cultus uero ipse peregrinus, potius q̄
urbanus, ne dicam arcessitus. Sed de his omnibus cuius erit iudicium
rectius, aut probatius q̄ tuum? Ego, ut dixi, mirifice expecto Ouidia-
nos illos ἑλωπας, nobis incognitos, praesertim sub Quadragesimale
ieiunium. Tu uale, et in isto uoluntario exilio, seu potius peregri-
natione dignam nobilitate tua fortitudinem retine. Neapoli. Idibus
Februarijs. MCCCCIII.

300
P. SVMMONTIVS Francisco Puderico, uiro Patrio. S.

HABES PVDERICE, tota, ut ille ait, quod mente petisti. Nec est, cur me
ad edēda Pontanica hęc hortere amplius, qd hortere dixi: immo uero
cogas, impellas, quodq; pace tua dixeris, obtundas. Iā mihi adire te post
hac liberius licebit, iucundissimaq; cōsuetudine ista frui. Nec mihi me-
tuēda est amplius seueritas tua, nostriq; ut ita dixerim Catonis incre-
patio, per quē mihi non licebat esse negligentem, qd me toties ignauū
ac desidē uocabas. quasi per me stetit, quo minus q̄ primū opera hęc
omnia in lucem prodierint. Quam quidē ad rem, nesciā ut uerum
fatear plus ne mea in Pontanum pietas, an auctoritas me impulerit
tua. En ad optatā diu iam peruenimus frugem, tuāq; tandē satisfactū
est uoluntati. Ceterū affirmare hoc ipse iure possū, egregiā te Iouia-
no nostro hac in re operā nauasse, dū non modo & me & alios ad
hęc ipsa tam assidue excitas, uerū etiā dum pecuniā, quæ soluenda
librarijs erat, tam diligenter hinc atq; illinc perquiris. ut sicuti Ponta-
nus post obitū debet, tibi omnino in primis debeat. Quoniā uero hoc
onere leuatus sum. assiduis etiā Actij Synceri me subirahā calcari-
bus. ut Pontani uitā q̄ ille tam diu efflagitat q̄ primū emittam. Ha-
bes igitur Iouiani Pontani libros oēs, partim mea, partim aliorū opera
editos. quorū nomina recensere, & tanq̄ thesauros quosdā, ad specē,
atq; ad animi oblectationem sepius uoluerē, non ab re omnino fue-
rit. Scripti qdē soluta oratione hi sunt, de Aspiratione libri duo, de
Obedientia qnq; duo de Fortitudine, de Principe unus, qnq; de Libe-
ralitate, dialogi item qnq; Charō, Antonius, Actius, Aegdius, cuiq;
ab Asino nomē est inditū, de Prudētia libri qnq; de Magnanimitate
duo, unus de Immanitate, sex de Sermonē, de Fortuna tres, historiae
Neapolitanæ libri sex, libri duo Commētationū super centū sententijs
Ptolemæi, ijsq; ipsis in Latinū sermonē ab eodē Pontano conuersis, et
de Rebus coelestibus libri quatuordecim. Carmine autē scripti hi sunt,
Parthenopæi libri duo, de Amore coniugali tres, duo de Tumulis,
Eridani item duo, unus de Diuinis laudibus, atq; hi qdem Elegiaci,
Hendecasyllaborum libri duo cum Iambias, Saphicorum unus. He-
roico uersū qnq; Vrania libri, Meteororū unus, de Hortis Hesperidum
duo, cumq; his Eclogæ sex. An non perutilem se se hominum generē
præstitit Iouianus noster? Quicunq; uero tantam hanc librorum tum
copiam, tum uarietatem admirabitur, id etiā uelim consyderet, quan-
to his plura ille scripturus fuisset, nisi publica negotia, quibus suos
apud Reges occupatissimus semper nixit, a Musis eum procul auos-
cassent. Vale.

DILIGENTIOR hoc viro paranda
Haud quisquam fuit in sodalitate,
Nec tenatior ullus in parata.
Quos inceperat hic amare Reges
Tam mira coluit fidelitate,
Vt suum patrimonium excolendo in
Regno crederet esse collocatum.
Musas sic coluit potente amore,
Vt nec Regia, nec domesticarum
Rerum per grauis ulla cura uatem
Musarum a placido sinu auocaret.
Musarum pariter suisq; amicis
Aequum impertijt ac sibi ipse amorem.
Male a Regibus est in ipso amore
Responsum, male me hercule ac maligne.
A Musis nihil hic poposcit unquam.
Ipse sponte sua viro obtulere
Quicquid ijs salis, ac fuit leporis.
Nec quamuis celebr, bonusq; pictor
Colores habet obsequentiores
Quam viro huic numeri fuere, siue
Carmen pangere uellet ac poësim,
Lautos addere seu pedes solutæ
Orator bonus elocutioni
Vellet, diceret ut uenuste & apte.
Musarum a socijs ita est benigne
Responsum, ueluti a Deabus ipsis.
En Summontius immemor suarum
Vt rerum pius atq; commodorum
Præstat omnia, nilq; postulanti,
Fatis eripere ut studet sodalem,
Vt scripta omnia colligiq; & acri
Cura, per uigil imprimenda curat.
Hoc est Threicia Lyra enocare
Rursus ad superos suum sodalem,
Hoc est Orphea reddere æmulando.

PONTANI manes, & sacri Musa Poëtae.
Cui nunc Elysium concinit omne nemus.
En tua iam uolitat doctas post fata per aures
Fama, nec a longa posteritate timet.
Te manus omnis habet, senior, iuuenisq; puerq;
Obseruans cupido detinet usq; sinu.
Hoc tibi post obitum præstat Summontius, uni
Dum cura est, cineri te superesse tuo.
Vt quæ seua duces uicit mors, seua tyrannosq;
In te unum doleat iuris habere nihil.
Ipsa licet gelido consumpserit ossa sepulcro.
Non terere ingenij tot monumenta potest.
Quæ non longa dies, rapidus non læserit ignis,
Nullaq; ab irato fulmina missa Ioue.
Nec satis hoc maius nomen tibi crescit in horas,
Astraq; sublimi uertice summa ferit.

FINIS.

INDEX CAPITVM LIBRORVM OMNIVM

IO. IOVIANI PONTANI, QVI IN

HAC PRIMA PARTE CON-

TINENTVR.

PROOEMIUM In librum de obedientia ad Robertum Salernitanum principem in uniuersum opus.	pagina.	I
Initium operis.		2
Obedientiam solius hominis esse propriam.		2
Vt Iustitiæ sic obedientiæ duplex genus esse.		3
Vnde ortum habeat obedientia.		3
Quibus in rebus Obedientia uersetur.		3
De principijs Obedientiæ.		4
De præceptis, quæ ad primum obedientiæ genus pertinent.		5
De quibusdam generalibus præceptis rationis.		5
De Prudentiæ officijs.		5
De prudentiæ, constantiæq; muneribus.		6
De temperantiæ muneribus.		7
Coercendas esse cupiditates.		8
De Continentia.		9
Seruandas leges esse.		10
De legibus diuinis.		11
De legibus humanis.		11
Quarundam legum constitutio.		11
LIBER SECVNDVS.		
Laudes obedientiæ.		13
Patri quàm matri liberos magis debere.		13
Quæ sint cum Obedientia coniungenda, quæ etiam uitanda.		13
Obedientiam non debere à metu, aut utilitate proficisci.		15
Obedientiæ studium augendum semper esse.		15
Senectuti & ægritudini obedientius satisfaciendum.		15
An obediendum ubiq; sit parentibus.		16
Antiquorum philosophorum opiniones.		17
An Irato patri respondere liberi debeant.		17
An obediendum sit patri uetanti ne matri mos geratur.		18
Dum alteri parere uolumus, alteri nocendum non esse.		19
LIBER TERTIVS.		
Coniugium à ratione initum fuisse.		20

Coniugium certæ prolis gratia fuisse institutum.	20
Obedientiam maxime uxoris seruandam esse.	21
Uxorem uiro suo parere debere amoris augendi gratia.	21
Signa ueri amoris.	22
De Zelotypia cauenda.	22
Quæ deceant uxorem.	23
De seruitute.	23
Quæ à seruo præstanda sunt.	24
De uario seruorum usu.	25
De famulis seu ministris.	26
De redemptoribus.	26

LIBER QUARTVS.

An homo cum liber natus sit, domino parere debeat.	27
Vnius ne an multorum sit naturaliter gubernatio.	29
De obedientiæ officijs erga regem.	32
De subiectorum obedientia.	32
De præsidum administratorumq; obedientia.	32
An semper formulis parendum sit.	33
Quibus modis peccetur.	34
Quæ sint ab ærarij ministris uitanda.	34
Quæ præcipue cauenda sunt à consiliarijs.	35
De utili & honesto.	35
De temporum obseruatione.	36
An sit mentiendum reipublice gratia.	36
De oratorum obseruatione.	37
Quæ seruanda sint à præfectis prouinciarum.	37
An parendum sit decreto, quod in iustum uideatur.	38
Imperata quædam non statim esse facienda.	38
Respondetur quibusdam obiectis.	38

LIBER QUINTVS.

De magistratibus & priuatis ciuibus.	39
Ex obedientia erga magistratus quanta bona enascentur.	40
Obediendum esse magistratibus.	40
Obediendum esse præceptoribus, & senibus.	42
De habenda in senes reuerentia.	42
De reuerentia in præceptores.	43
De obedientia militari.	45

INDEX.

PROOEMIUM in libros de Fortitudine ad Alphonsum Calabriae Ducem.	49
Labores non esse improbandos.	50
Affectiones non frustra homini à natura esse datas.	50
Quas affectiones fortitudo moderetur.	51
Fortitudinem in mediocritate esse positam.	51
Quæ sunt illa quæ honeste, rationabiliterq; timeantur.	52
De fiducia.	53
Quæ sint illa in quibus fortitudo uersetur.	53
Quæ sunt illa quæ terribilia dicantur.	55
Cur bellicæ pericula sint grauiora.	56
Quousq; timendum sit forti, & quæ sint toleranda, & quem ad finem.	56
Quousq; debeat uir fortis confidere.	58
Utrum in metu, an in fiducia moderanda uir fortis magis perspicatur.	58
Qui nihil timeant eos aut in sanos, aut torpidos esse.	59
Quales, & qui sunt qui timidi, aut audaces dicantur.	59
Fortem iure medium tenere inter timidum & audacem.	59
De timidis.	60
De audacia, & audacibus.	62
Audaciam minus quam timiditatem recedere à medio.	64
De fortitudine heroica, deq; uiris fortibus.	64
De uirtutibus quæ fortitudini famulantur.	66
Qui ob edictum, aut poenæ metum pugnant, fortes non esse.	66
Gladiatores fortes non esse.	66
Quod sit uiri fortis propositum.	66
Fortem uirum maxime in repentinis enitescere.	67
Fortem nihil simulatum, aut inflatum habere sed æquabilem, ac temperatum esse debere.	67
Qui ob amorem pugnant, fortes non esse.	67
De pugnantibus ob iram uel dolorem.	68
Fortes non esse qui præteritis uictorijs confisi pugnent.	68
De fortitudine civili, & ijs qui ob honorem pugnent.	69
De militibus.	70
Feroes non esse fortes.	70
Exempla ueræ fortitudinis.	71
De quibusdam uiris fortibus.	71
De officio uictoris.	72

INDEX.

PROOEMIUM in posteriorem librum de fortitudine.	73
Quæ uitanda sint.	74
Officia fortitudinis domesticæ.	74
De toleranda euerfione patriæ.	75
De tolerando exilio.	75
De toleranda repulfa.	75
De toleranda paupertate.	76
De toleranda feruitute.	77
De cæcitate, & malis alijs corporis.	79
De orbitate toleranda.	81
De tolerandis iniurijs, & contumelijs.	84

LIBER DE PRINCIPE AD ALPHONSVM
CALABRIÆ DVCEM.

PROOEMIUM in librum de liberalitate ad Actium	87
Syncerum.	97
In eroganda pecunia liberalitatem uersari.	98
Liberalitatem uirtutem esse.	98
Liberalem in mediocritate uersari.	98
Pecuniam esse de genere bonorum utilium.	98
Pecuniam usus gratia comparari.	99
De auaritia, & auarijs.	99
Complura esse auarorum genera.	100
Auarus ne, an prodigus magis recedat à medio.	101
De liberalitate, uiroq; liberali.	102
De liberalis uiri officio, deq; delectu habendo.	102
De habendo delectu cui dandum sit.	105
In habendo delectu quid dandum sit.	105
De habendo delectu quantum sit dandum.	106
In exercenda liberalitate tempus quoq; obseruandum esse.	106
Præ se ferendum in dando liberalitatem.	106
Liberalem alienis necessitatibus commoueri debere.	107
Liberalem à dando non dimoueri propter in gratitudinem.	107
Liberalitatis finem gratuitum esse debere.	108
Diuisio liberalitatis.	108
De liberalitate in Deos, in ægros, in destitutos.	108
Liberalis officium esse præuenire.	109
Quæ ratio importune petentium habenda sit.	109
Liberalis uiri officium esse donare quamsepiissime.	110

INDEX.

Dona ipsa gratis uerbis exornanda esse.	110
Epistola Phalaridis ad medicum.	110
Quæ seruanda, quæ etiam uitanda sint in dando.	111
Interdum secreto quoq; dandum esse.	111
Liberales debere aliorum inopiam sciscitari in illis subueniat.	111
Liberalitatem maxime exercendam erga illos esse, qui ea digni uideantur.	111
Liberalitate aliquando etiam erga indignos exercendam esse.	112
Etiam erga hostes liberaliter agendum esse.	112
Erga benemeritos liberalitate officiosius exercendam esse.	112
In ijs etiam liberaliter agendum, quæ nihil ad liberalem pertineant.	113
Erga Deos præcipue liberaliter agendum esse.	113
Exempla quædam gratitudinis.	114
Ægre ferendum esse à liberali, ubi munera sua sperni senserit.	114
Videndum esse ne priuata liberalitas publice obsit.	114
Dandum etiam liberalius esse ubi munera aliquando dilata fuerint.	114
Turpe esse in quibusdam liberalem à plebe superari.	115
Liberales factum regum Alexandrinorum.	115
In testando uidendum esse liberali quid se dignum sit.	115
Liberalitatem neq; fictam, neq; callidam esse debere sed gratuitam.	115
Quæ potissimum cauenda sint uiro liberali.	115
De ratione accipiendi.	116
Beneficiorum exprobrationem liberali uiro indignam esse.	116
De largitione & corruptela.	117
PROOEMIUM in librum de beneficentia ad Rutilium Zenonem Episcopum sancti Marci.	118
De beneficentia, in quibus differat, in quibus etiam conueniat cum liberalitate.	118
De beneficentia, & eius extremis.	118
Duo esse in officiosorum genera.	119
De maleficijs.	120
Beneficium honestum ac iustum esse debere.	120
Exempla quædam beneficentiæ.	120
Non expectandum esse dum petatur beneficium.	120
Turpe esse, ubi opera exigatur, consilio iurare uelle.	120
Quæ beneficium deceant.	121

INDEX.

Exercendam esse cum delectu tamen et ga omne hominum genus beneficentiam.	121
Etiā inuitis beneficiendum esse.	121
Quibusdam occulte beneficiendum esse.	122
Beneficium obliuisci debere iniuriarum.	122
Accusatur Pericles & Nicolaus Pont. Maximus.	122
In opera conferenda ignotos notis quandoq; præferendos esse.	122
Laudantur qui publice benefaciunt.	122
Laudantur legum, disciplinarū, bonarumq; artium institutores.	122
PROOEMIUM In librum de magnificentia ad Alti- lium Episcopum Policastrensem.	123
In quibus magnificētia cum liberalitate conueniat, in quibus etiam ab ea differat.	124
Definitio magnificentiæ, & qui sit eius finis.	124
Quæ sint magnificentiæ extrema.	124
Magnificentiā mediocritatem esse in magnis sumptibus faciēdis.	125
Quibus in sumptibus magnificētia uersetur.	126
Magnis sumptibus opera ipsa respondere debere.	126
In faciendis etiam sumptibus honestatem sequendam esse.	126
In faciendis sumptibus sequendam esse utilitatem etiam pu- blicam, & ornatum retinendum.	127
Quibus rebus comparetur dignitas.	127
Rationem dignitatis in primis habendam esse.	127
Quæ sint magnifici uiri opera.	128
Enumeratio quorundam magnificorum.	130
Quæ consideranda sint uiro magnifico.	131
De ludis publicis.	131
De donatiuis, de congrarijs, ac etiam de funeribus.	131
De nuptijs.	133
De triumphis.	133
De accipiendis hospitibus.	134
De muneribus.	134
De pascendis domi belluis.	135
PROOEMIUM In librum de splendore ad Chariteum.	136
Duo esse sordidorum genera.	136
Qualem esse deceat uiri splendidi supellectilem.	137
De ornamentis.	138
De apparatu.	138
De cultu atq; ornatu corporis.	139

De habendis

INDEX.

De habendis gemmis, ac margaritis.	139
De hortis, ac uillis.	140
PROOEMIUM In librum de conuiuētia ad Ioannem Pardum.	141
Diuersa esse conuiuiorum genera.	142
Non esse repugnandum consuetudini in conuiujs.	143
De conuiujs splendoris gratia susceptis.	143
De secunda mensa.	144
De conuiujs honoris gratia susceptis.	145
Qui & quales adhibendi sint conuiuæ.	145
PROOEMIUM In librum de prudentia ad Tristannum Caracolum, & Franciscum Pudericum.	147
Quod utilia quæ sint, naturaliter appetantur.	149
Singulis artibus atq; actionibus finem constitutum esse suum.	149
Omnes fines ad unum tandem referri.	149
Vnumquenq; finem bonum aliquod esse.	150
Fines alios esse extrinsecus positos, alios inesse actionibus.	150
Fines alios esse opera, alios officia.	150
Materiam, formam, ac priuationem conuenire ad uirtutes con- stituendas.	150
Inopiam esse unum ex principijs.	151
Hominem natum esse ad agendum, agendoq; informari.	151
Singulis uirtutibus suam attributam esse materiam.	151
Moueri appetitionem ob inopiam.	151
De fortuna.	152
Vsum rationis homini tantum esse concessum.	152
Finem expeti quia bonum.	152
De ratione.	152
Ex actionibus à ratione profectis uirtutes morales constitui.	153
Quid sit bene uiuere.	153
De beate uiuendo.	154
De uoluptate.	155
An qui bene, ac beate uiuunt, dicendi sint beati.	157
Qui, & qualis sit homo bene constitutus.	157
Quid, & quale sit satis.	159
De bonis corporis.	159
Felicitatem pertinere ad hominem tantum.	159
Actiones ipsas oportere honestas esse.	160
Bene constitutum hominem, nec puerum, nec adolescen-	

ooo

INDEX

teu esse posse.	160
Oportere agentem intellegere, scire, & uelle.	161
Qui sit uir felix.	261
Felicem fieri non posse miserum.	161
Quæ sit uita, ac uirtus perfecta.	162
De uita perfecta.	164
De perfecta felicitate.	166
PRO O E M I V M In librum secundum de prudentia.	168
Virtutes morales neq; inesse à natura, neq; esse contra natura.	171
De affectibus humanis.	172
Affectus naturales esse moderandos, uirtutesq; assuescendo comparari.	172
Affectus naturales non esse uirtutes, sed actiones ipsas.	173
Virtutes non consistere in affectibus, sed in illis recte, moderateq; utendis, ac temperandis uersari.	173
Quales sint actiones, tales fieri habitus.	173
Virtutes in habitu consistere non in potentijs, aut affectibus.	174
Quæ res declarant habitum esse comparatum.	175
De electione.	175
Non electione solum, uerum etiam cognitione, atq; scientia opus esse ad recte agendum.	176
Virtutem, uirtutisq; actiones gratuitas esse debere.	176
Per uirtutem comparari felicitatem.	177
Virtutem esse mediocritatem, in medioq; constitutam.	177
Circa uoluptatem, & dolorem moderandum uirtutem uersari.	179
PRO O E M I V M In librum tertium de prudentia.	181
De prudentiæ principijs.	181
Virtutes uersari in actionibus.	183
De contemplatione.	184
Prudentiam neq; scientiam esse, neq; artem, sed in actionibus uersari.	184
Quæ sit differentia inter scientiam & prudentiam.	184
Quæ sit differentia inter artem & prudentiam.	185
Quæ sit differentia inter mentem, ac prudentiam.	185
Quæ sit differentia inter sapientiam, & prudentiam.	186
Consultationem atq; electionem esse de futuris, uisdemq; partibus.	190

INDEX

Suscipiendas esse actiones pro uiribus suscipientis.	190
De prudentis uiri officio, & qualis ipse esse debeat.	190
Affectus animi impedire recta consilia & bona.	191
Quale debeat esse consilium.	191
De delectu habendo in consulendo.	191
Vsum atq; experientiam plurimum conferre ad bene consulendum.	192
Quid sit bene consulere.	192
De differentia scientiæ, opinionis, ac consilij.	192
Quæ differentia est inter sententiam, & consilium.	193
Quod munus mentis sit, quod etiam rationis.	193
Neq; solertiam, neq; sagacitatem, neq; astutiam esse prudentiam.	194
Prudentiam cum bonitate coniunctam esse.	196
PRO O E M I V M In librum quartum de prudentia.	197
Tres esse prudentiæ species.	197
De consyderatione.	198
De prouidentia.	198
De Apparatione, & Meditatione.	199
De perspicacitate.	199
De circumspectione.	200
De cunctatione, & celeritate.	200
De Cautis.	200
De uersatilitate.	201
De uersutia.	201
De simulatione, & dissimulatione.	202
De diligentia.	202
De æstimatione.	203
De discretionem, ac delectionem.	203
De experientibus, & peritis.	204
De ingenio.	205
De industria.	205
De uigilantia.	206
De maturitate.	206
Quæ sint prudentis uiri partes, atq; officia.	207
PRO O E M I V M In librum quintum de prudentia.	207
Virtutes morales esse inter se complicatas.	209
Exempla LIX ad prudentiã pertinentia à pagina 209 usq; ad paginam	225

INDEX.

PRO O E M I V M In librum primum de Magnanimitate ad illustrem uirum Andream Matthewm Aquenium Marchionem.	227
Honorem inter bona ciuilia primum locum obtinere.	227
Magnanimitatem esse mediocritatem quandã, Pusillanimitatem defectum, inflationem uero excessum.	229
Qui & quales sint tum pusillanimi, tum inflati, & tumidi.	229
Qui & qualis sit magnanimus.	233
De officio magnanimi.	233
Qualis esse debeat magnanimus in beneficijs collocandis.	234
Magnanimum male libenter accipere, aut supplicare.	235
Magnanimum uirum libertatis esse cultorem.	235
PRO O E M I V M In librum secundum de Magnanimitate.	235
PRO O E M I V M In librum primum de Fortuna ad Consaluum Ferdinandum Magnum.	264
Fortunam non esse Deum.	265
Fortunam non esse naturam.	265
Fortunam non esse intellectum.	265
Fortunam non esse rationem.	265
An fortuna ipsa sit aliqua causa.	266
Fortunam aduersari prudentiã.	267
De bonis fortune.	267
De fortune potestate ex accidenti.	267
An fortuna sit per se causa.	268
Quo in genere causarum fortuna sit collocanda.	269
Fortunam esse causam efficientem.	269
Fortunam dici finalem quoq; posse causam.	269
Quid Anaxagoras & Stoici de fortuna senserint.	269
Quibus in rebus, ac negotijs fortuna uersetur.	270
Fortunam in ijs solum uersari quæ ad hominem spectent.	270
Quæ ad fortunam sint, quæ ad casum referenda.	270
Solum hominem dici posse fortunatum.	270
De necessitate, ac fato.	271
Quid ueteres de fato senserint, ac necessitate.	271
De Platonis opinione.	271
De causis per se, & ab euentu.	273
An fortuna sit deficiente hominum genere.	275

INDEX.

Fortunam esse communem, & mediam.	275
Quantum bona fortuna conferat ad felicitatem.	275
Fortunam, & rationem inuicem aduersari.	276
Bona externa ad fortunam referenda, non ad uirtutem.	276
Fortunam nonnunquam rationalibus e rebus materiam sibi comparare.	276
Fortunam & bonam, & malam ab effectibus uocatam.	277
Fortunam seruare morem uentorum.	277
Fortunam cetero modo, ac mensura.	277
Qui dicuntur esse fortunati.	277
Utrum quidam euentus ad uirtutem sint an ad Fortunam referendi.	277
Fortunatorum hominum duo esse genera.	278
Quid sit Fortuna.	278
Quare Fortuna sit natura quedam.	279
Quare Fortuna sit impetus quidam.	279
De Fortunatis.	280
Similitudo de Sibyllis, uaticinantibusq; ac de poetis.	280
Diuersa esse genera fortunatorum hominum.	281
Fortunam interdum conuenire cum ratione, nihilominus inuicem aduersari.	282
PRO O E M I V M In librum secundum de fortuna.	283
Fortunatos dici à fortuna, non ab honestis actionibus.	283
De uarijs generibus fortunatorum.	283
Qui proprie dicendi sint fortunati.	284
Quæ sint hominis bona, atq; in eius iurisdictione posita.	284
Fortune iurisdictionem nullam esse in bonis animi, si rationi pareatur.	284
Felicitatem ciuilem absq; bonis externis perfectam non esse.	284
Bona externa parum conferre ad felicitatem contemplatricem.	285
Fortunam & prudentiam interdum conuenire.	285
Bonam fortunam duplicem esse.	285
An ad perficiendam felicitatem diuina sit opus beneficentia.	285
An fortuna sit ad Deum referenda.	286
Fortunam ad nature impetum referendam esse.	287
Fortunatos, infortunatosq; à natura esse institutos.	287
Fortune uires esse amplissimas.	287
Animaduertendum Deum esse primam causam.	288
Artem, atq; scientiam cum fortuna non conuenire.	288

Fortunatos a natura institutos esse.	289
De iactus talerum similitudine.	289
Oportere fortunatum naturæ ipsius impetum sequi.	289
Cur natura in hominibus fortunandis minime fuerit ordinata.	290
Fortunæ causas esse interminatas.	290
Fortunæ definitio.	290
Circa quos naturæ impetus fortuna uersetur.	290
De impetu uoluntario.	291
Rationem dupliciter esse considerandam.	291
Quæ signa sint naturaliter fortunatorum.	292
Cur mutabilis sit fortuna.	292
Fortunam aliquando uersari etiam circa impetus rationalis.	293
D. Thomæ Aquinatis dicta de Fortuna.	293
De fortuna diuina, & euentitia.	294
De genere duplici fortunatorum.	295
Quæ differentia inter diuinam, euentitiãq; fortunam.	295
De fortunatis qui sint rudi & crasso ingenio.	296
Defensio fortunæ, ac naturæ aduersus earum accusatores.	296
PRO O E M I V M In librum tertium de Fortuna.	299
Primas quasdam commotiones ambiëte ab aëre excitari.	301
Varietates in aëre contingentes à stellis proficisci.	301
Inferiora omnia præter hominum uoluntates stellis esse subiecta.	301
Alia fato prouenire, alia contingenter.	301
Alia necessaria esse, alia possibilis & euentitia.	302
Fortunam fato famulari.	302
Bona fortunæ à cælo & stellis promitti.	304
Quanta uis sit stellarum in bonis corporis.	306
PRO O E M I V M In librum de Immanitate ad Hieronymum Carbonem Patritium Neapolitanum.	311
De uitio, ac de uirtute, itemq; de Immanitate.	311
An qui parentes occiderit, statim sit immanis.	313
Immanitatis speciem quandam uersari circa religionem.	313
De immanitate quæ existit ex occupata patriæ libertate.	315
In quo differant inter se crudelitas, et immanitas.	315
De mulierum immanitate circa foetus proprios.	316
De immanitate quæ uersatur circa expositionem liberorū.	316
Proditores quoq; habendos esse inter immanes.	317
Quæ sint propriæ immanium hominū uoluptates, seu dolores.	317

INDEX	
Immanitatem ab iniustitia proficisci, nec non aliquando à minimo rerum futurarum metu.	318
De immanitate in quam inciditur post uictoriam.	319
De immanitate in quam inciditur in diripiendis urbibus.	319
Iram, ulciscendiq; appetitum esse cohibendum, ne incadamus in immanitatem.	319
De immanitate in quam incidunt prætores, & qui uindictandis criminibus præsident.	320
Auaritiam maximum esse fomitem immanitatis.	321
Homines duplici modo immanes fieri & ab impetu uenero, & ab impetu sanguinolento.	321
De immanitate quæ uersatur circa uenercam uoluptatem.	321
De immanitate quæ uersatur circa pastum, & coenas.	323
De immanitate quæ ueneris grassatur.	324
De immanitate desolandarum urbium, ac regionum.	324
De Fomentis, & diuersis causis immanitatis.	325
Conqueritur siue de temporibus quibusdam, siue de natura.	325
De quibusdam immanibus ducibus.	326
Immanitatem ubiq; execrabilem esse.	326
Humanitati studendum esse.	326
Laudes literarum, ac studiorum humanitatis.	326

INDEX CAPITVM LIBRORVM OMNIVM
IO. IOVIANI PONTANI, QUI IN
SECUNDA PARTE CON-
TINENTVR.

PROOEMIUM In <i>librum primum de Aspiratione.</i>	2
A' ante B'	12
A' ante C'	13
A' ante D'	13
A' ante E'	13
A' ante F' G' I'	13
A' ante L'	13
A' ante M'	15
A' ante N'	15
A' ante O' P'	15
A' ante R'	15
A' ante S'	16
A' ante T' V'	16
A' ante Z'	16
E' ante A'	16
E' ante B'	16
E' ante C'	16
E' ante D'	16
E' ante F' G'	17
E' ante I'	17
E' ante L'	17
E' ante M'	18
E' ante N'	18
E' ante O' & P'	18
E' ante R'	18
E' ante S'	19
E' ante T' V' X'	20
E' ante Y'	20
I' ante A' aut B' aut C' aut D'	20
I' ante E' aut F' aut G' aut L'	20
I' ante M' & N'	21
I' ante O'	21
I' ante P'	21
I' ante R'	21
I' ante S'	22
I' ante T' & V' & X' & Z'	22

INDEX.

Y'	22
O' ante B' & C' & D' & F' & G'	24
O' ante E' & I' & L'	24
O' ante M'	24
O' ante N'	24
O' ante P' & R'	25
O' ante S'	26
O' ante T' & V' & X'	27
De' V'	27
PROOEMIUM In <i>librum secundum de Aspiratione.</i>	28
De <i>aspirandis uocalibus in medijs, & ultimis syllabis.</i>	28
De' <i>litera C'</i>	34
Ch' ante A'	35
Ch' ante E'	35
Ch' ante I'	36
Ch' ante O'	36
Ch' ante V'	36
Ch' ante A' <i>in medijs, & ultimis syllabis.</i>	36
Ch' ante E'	37
Ch' ante I'	38
Ch' ante O'	38
Ch' ante V'	39
Ch' ante L' & R' & N' & Th'.	40
De' Ph'.	40
Ante Y'	41
De' Th'.	41
Th' ante A'	41
Th' ante E'	41
Th' ante I'	42
Th' ante O'	42
Th' ante V'	43
Th' ante A'	43
Th' ante E'	43
Th' ante I'	44
Th' ante Y'	44
Th' ante O'	44
Th' ante V'	45
Th' ante L' uel M' uel N' uel R' uel S'.	45
De' R'	47
Eiusdem Pontani CHARON.	49

INDEX.

MINOS. AEA CVS interlocutores.	49
Charon. Minos. Aeaclus.	50
Minos. Aeaclus.	52
Mercurius. Pyrichalcus.	52
Charon. Mercurius.	53
Charon. Mercurius ambulantes.	55
Minos. Aeaclus.	55
Minos. Aeaclus. Mercurius. Charon.	56
Charon. Diogenes. Crates.	60
Minos. Mercurius. Aeaclus.	61
Mercurius. Pedanus. Et Theanus. & Menicellus gramatica.	62
Charon. Umbrae diuersae.	63
Grex umbrarum nocentium.	67
Grex umbrarum innocentium.	67
Eiusdem Pontani Antonius. Hospes Siculus. Compater Neapolitanus.	68
Compater Neapolitanus. Peregrinus. Hospes Siculus collocutores.	69
Herricus Pudericus. Adolefcens. Senex. Hospes.	70
Andreas Contarius, Compater, Herricus. Elifius.	72
Suppatius. Herricus.	85
Hospes. Compater. Lucus filius.	89
Herricus. Suppatius. Lyricen Hospes.	89
Hiftrio Perfonatus.	91
Poeta Perfonatus.	92
Hiftrio Perfonatus.	95
Poeta Perfonatus.	95
EPISTOLA Petri Summontij ad Francifcum Pudericum	
Patricium Neapolitanum.	102
Epigramma Actij Synceri.	103
Eiusdem Pontani Actius, Caparius, & Segnitius colloquuntur.	104
Actius Syncerus.	105
EPISTOLA P. Summontij ad Aegidium Eremitam.	154
Eiusdem Pontani AEGIDIUS Dialogus.	155
Collocutores Suardinus, Poetus, Pontanus.	155
Sermo Aegidij ad populum.	156
Pontanus.	158
Pontanus. Pucius. Thamyras.	159
Hieronymus Carbo. Pucius. Thamyras.	162
Marinus Tomacellus. Francifcus Aelius. Triftanus Caraciolus.	163
Pontanus. Petrus Summontius.	165
Pontanus. Chariteus.	165
Pardus. Chariteus.	167
Francifcus Pudericus. Pardus.	168

INDEX.

Pontanus. Suardinus. Poetus.	171
EPISTOLA Petri Summontij ad Suardinum Suardum,	
& Francifcum Poetum.	174
Eiusdem Pontani Dialogus de i gratitudine q̄ ASINVS ifcribitur.	175
Viator. Caupo.	175
Caupo. Chorus facerdotum.	176
Caupo. Viator.	176
Altilius. Pardus. Chariteus.	177
EPISTOLA.	178
Actius. Pardus. Altilius.	178
Pontanus, Fafelio uillicus, Pardus.	180
Pontanus. Puer. Pardus.	181
Fafelio uillicus, Pontanus.	182
Pontanus. Cafelio. Pardus.	183
Pardus. Syncerus. Altilius. Chariteus. Pontanus.	183
EPISTOLA Petri Summontij ad Suardinum Suardum.	184
PROOEMIUM In librum primum de Sermone ad Elo-	
quentiffimum e Praedicatorum ordine fratrem Iacobum Mantuanum.	185
Rationem, atq; orationem effe homini a natura tributam.	185
Virtutem, & uitium uerfari etiam circa orationem.	185
Maximam effe uim, atq; authoritatem orationis.	186
Maximam effe in hominibus orationis uarietate, ac diuerfitatem.	186
Etiam in oratione feruandam effe mediocritatem.	186
A natura in effe homini cupiditatem quietis, ac recreationis.	186
Urbanitatem, ac ueritatem merito laudari.	187
Vnde Urbani dicti funt, ac faceti.	187
De Lepidis, Fefiuis, & Salfis.	187
De Cornibus.	188
De Blandis.	189
De Urbani, & Facetis.	189
De Veracitate.	190
De Adulatoribus.	191
De Captatoribus.	191
De Lafciis.	192
De Infulfis, & Profufis.	192
De Contentiofis.	192
De Verbofis.	194
De Loquacibus.	194
De Nugatoribus.	194
De Taciturnis.	194
De Delectu, qui, & qualis fit.	194

INDEX.

Ad consequendam mediocritatem opus esse delectum.	195
De mensura seruanda in gratificando, & commonendo.	195
Virtutem eam non esse amicitiam, sed aliam quampiam sine nomine.	197
Quae ad habitum hunc innominatum pertineant.	197
De comitate.	198
De popularitate.	199
De humanitate.	199
LIBER II de Sermone.	
De ostentatione, et simulatione.	200
De ueracibus.	201
De mendacibus.	203
De iactatoribus, & ostentatoribus.	203
Plura esse mendacium genera.	203
Quid Aristoteles de hac re sentiat.	204
De Ironiis.	205
De quatuor generibus ostentatorum.	205
De susurronibus.	206
De fructis, & illecebrosis lenocinatoribus.	206
De proditoribus.	206
De fallacibus.	206
De hypocritis.	207
De mercatoribus.	207
De dissimulatores.	208
Dissimulatores plura esse genera.	208
Dissimulationem aliquando esse ostentationem.	209
LIBER III De Sermone.	
Vnde ductae sint iacetiae, ac iacetudo.	211
Facetudinem uirtutem esse.	211
De principijs, & causis uirtutis huius.	212
Conciliabula inter ciues fieri, aut utilis, aut iucundi gratia.	212
Triplex esse iocandi genus.	212
In iocando adhibendum esse delectum.	213
De altero extremo id est rusticitate.	213
A grestitatem potius quam rusticitatem esse facetudini.	214
De a gresti, & a grestitudine.	214
De fatuis, insulsis, & inconditis.	214
De Ineptis.	214
De Trivialitate.	215
De altero extremo, hoc est scurrilitate.	215
Longius distare à medio A grestem quam Scurram.	216

De facietis.

INDEX.

De facietis.	216
De dictorum, iocorumq; diuersitate.	216
De locis unde ducuntur dicta, ac facietiae.	217
De Valerij Martialis poetae dictis.	220
Duo esse secundum Ciceronem facietiarum genera.	221
Circa dicta, facietiasq; inueniendas artem plurimum ualere.	222
Aliter Oratoribus, ac Comicis, aliter ingenuis ciuibus facietiarum locos quaerendos esse.	222
Diuisio in Iocos, dicta, ridicula, fabellas.	223
LIBER IIII De Sermone.	
Artem naturae coniunctam plurimum ualere ad facetudinem.	224
De inueniendis dictorum ac ridiculorum locis.	225
Neq; aduersum miseros, neq; potentes uiros utendū esse ridiculis.	229
Quae seruanda sint faceto.	229
Dictorum falsorum duplex esse genus.	229
Altera diuisio falsorum dictorum.	230
Vultum esse dictis ipsis accommodandum, et gestum, et uocem.	230
Mimica & theatralia parum facietis conuenire.	231
Et silentio interdum risum gigni.	231
Quae seruanda sint in risu prouocando.	231
LIBER V De Sermone.	
Definitio uirtutis huius.	234
Lasciua dicta non decere facetum nec contumeliosa.	240
Cuiusmodi esse debeant fabellarum expositiones.	240
LIBER VI De Sermone.	
Qualis esse debeat uir facetus.	241
Qualia facietorum dicta, responsaq; esse debeant.	242
De Ironiis.	246
Definitio.	247
HISTORIA BELLI, quod Ferdinandus Rex Neapolitanus Senior contra Ioanem Andegauensem ducem gessit.	
Epistola Petri Summontij ad Franciscum Piccolhomineum Bisinianensem Episcopum.	251
LIBER PRIMVS Belli Neap.	
Liber Secundus.	274
Liber Tertius.	287
Liber Quartus.	291
Liber Quintus.	304
Liber Sextus.	310

INDEX CAPITVM LIBRORVM OMNIVM IO:
IOVIANI PONTANI, QVI IN HAC TER:
TIA PARTE CONTINENTVR.

PRO O E M I V M In Librum Primum Sententiarum Pto-
lemæi ad Federicum Vrbini Ducem.

Sententia Prima	2
Sententia Secunda	4
Sententia Tertia	5
Sententia Quarta	6
Sententia Quinta	7
Sententia Sexta	8
Sententia Septima	10
Sententia Octava	11
Sententia Nona	12
Sententia X	13
Sententia XI	14
Sententia XII	15
Sententia XIII	16
Sententia XIII	17
Sententia XV	17
Sententia XVI	18
Sententia XVII	19
Sententia XVIII	20
Sententia XIX	20
Sententia XX	20
Sententia XXI	21
Sententia XXII	21
Sententia XXIII	22
Sententia XXIII	24
Sententia XXV	25
Sententia XXVI	25
Sententia XXVII	26
Sententia XXVIII	27
Sententia XXVIII	28
Sententia XXX	32
Sententia XXXI	33
Sententia XXXII	33
Sententia XXXIII	34
Sententia XXXIII	35

INDEX

Sententia XXXV	36
Sententia XXXVI	37
Sententia XXXVII	37
Sententia XXXVIII	39
Sententia XXXIX	40
Sententia XL	40
Sententia XLI	41
Sententia XLII	42
Sententia XLIII	42
Sententia XLIII	43
Sententia XLV	44
Sententia XLVI	44
Sententia XLVII	45
Sententia XLVIII	46
Sententia XLIX	46
Sententia L	47
PRO O E M I V M In Librum Secundum Sententia- rum Ptolemæi ad Petrum Compatriem Neapolitanum.	49
Sententia LI	50
Sententia LI	53
Sententia LIII	54
Sententia LIII	55
Sententia LV	55
Sententia LVI	57
Sententia LXII	57
Sententia LVIII	57
Sententia LIX	58
Sententia LX	59
Sententia LXI	60
Sententia LXII	60
Sententia LXIII	61
Sententia LXIII	62
Sententia LXV	63
Sententia LXVI	63
Sententia LXVII	64
Sententia LXVIII	65
Sententia LXVIII	65
Sententia LXX	66
Sententia LXXI	67

INDEX.

Sententia LXXII	68
Sententia LXXIII	69
Sententia LXXIII	70
Sententia LXXV	70
Sententia LXXVI	70
Sententia LXXVII	71
Sententia LXXVIII	72
Sententia LXXIX	74
Sententia LXXX	74
Sententia LXXXI	75
Sententia LXXXII	76
Sententia LXXXIII	77
Sententia LXXXIII	77
Sententia LXXXV	78
Sententia LXXXVI	79
Sententia LXXXVII	79
Sententia LXXXVIII	80
Sententia LXXXVIII	81
Sententia XC	82
Sententia XCI	83
Sententia XCII	84
Sententia XCIII	84
Sententia XCIII	86
Sententia XCV	86
Sententia XCVI	87
Sententia XCVII	87
Sententia XGVIII	88
Sententia XCIX	89
Sententia XCIX	90
PROOEMIUM In librum primum de rebus coelestibus	
ad Andream Matthæum Aquinum Adriensium Ducem.	95
Cur ab ariete sit principium Zodiaci.	97
De duodecim Signis in Triginta gradus singulatim distributis.	98
De qualitatibus duodecim signorum.	98
De signis masculinis seu foemininis.	100
De signis Aequinoctialibus, Cardinalibus, & Solstitialibus.	100
De signis mobilibus, fixis, & communibus.	101
De planetarum domibus.	101
De domibus Veneris	102

De domibus

INDEX.

De Domibus Iouis.	104
De Domibus Martis, & Saturni.	104
De Mercurij domibus.	105
Quod Domorum constitutio sibi maxime consentiat.	106
De Altitudinibus planetarum.	106
De Aspectibus, & Configurationibus.	108
De Aspectibus Beneficis & Maleficis.	109
De Signis Aversis & Disiunctis.	110
De Inaequalitate dierum & noctium secundum climata.	110
De Signis Obliquis aut Rectis.	111
De Signis Praecipientibus & Obedientibus.	111
De Antiscijs & gradibus sibi respondentibus, & signis evidentibus.	112
De Signis Alienis & Inconiunctis.	114
De Decurijs seu Decanis.	114
De Finibus Signorum.	115
Ratio de numero & ordine finium.	116
De Finibus Tauri.	117
De Finibus Geminorum.	117
De Finibus Cancri.	118
De Finibus Leonis.	118
De Finibus Virginis.	118
De Finibus Librae.	119
De Finibus Scorpii.	119
De Finibus Sagittarij.	119
De Finibus Capricorni.	119
De Finibus Aquarij.	119
De Finibus Piscium.	119
De Dominis Triangulorum seu Triplicitatum.	120
De Signis & Ventis.	121
De Simulacris quae cum signis ipsis oriuntur.	122
De Aspectibus Dextris, ac Sinistris.	123
De triplici genere aspectuum, & configurationum.	124
De Duodenarijs Signorum.	125
De Duodenarijs planetarum.	125
PROOEMIUM In librum secundum de rebus coelestibus ad Actium Synerum Sanna Zarium.	126
De quatuor coeli quadraturis.	128
De distributione aetatis ac vitae hominum.	129

R R R

INDEX.

De Quatuor cardinibus, eorumq; distributionibus.	131
De Duodecim signiferi locis.	132
De Locis peculiaribus planetarum.	137
De Conditione stellarum diurna seu nocturna.	138
Mutari qualitates planetarum pro coeli regione.	139
De Erraticarum qualitatibus.	140
PRO OEMIUM In librum tertium de rebus caelestibus ad Ioannem Pardum.	142
De Parte fortunæ.	150
De Stellis quando masculas vires suscipiunt, quando foemineas.	150
De Collocatione planetarum in angulis.	151
PRO OEMIUM In librum quartum de rebus caelestibus ad Franciscum Pudericum.	152
De Sole.	154
De Luna.	155
De Quatuor elementis, & quinque planetis.	157
De Saturno.	158
De Atra bile.	159
De Ioue.	161
De Marte.	163
De Venere.	164
De Mercurio.	166
PRO OEMIUM In librum quintum de rebus caelestibus ad Marcum Musurum.	168
De Ariete.	171
De Tauro.	174
De Geminis.	178
De Cancro.	181
De Leone.	182
De Virgine.	184
De Libra.	186
De Scorpio.	188
De Sagittario.	190
De Capricorno.	192
De Aquario.	194
De Piscibus.	196
PRO OEMIUM In librum sextum de rebus caelestibus ad Suardinum Suardum.	198

INDEX

De Saturno & Ioue simul geniturae imperantibus.	199
De Saturno & Marte simul.	201
De Saturno & Venere.	202
De Saturno & Mercurio.	203
De Ioue & Marte.	204
De Ioue & Venere.	204
De Ioue & Mercurio.	205
De Bili.	206
De Marte & Venere.	207
De Marte cum Mercurio.	207
De Venere cum Mercurio.	208
PRO OEMIUM In librum septimum de rebus caelestibus ad Petrum Bembum.	209
De Marte datore artis ac magisterij.	212
De Venere quando erit domina magisterij.	213
De Mercurio magisterij & artium datore.	213
Quando uel duo uel tres fuerint datores magisterij.	215
De Magisterijs ipsis, & eorum qualitatibus.	215
De Mercurij commixtione cum alijs planetis.	217
De Collatione signorum in dandis magisterijs.	218
PRO OEMIUM In librum octauum de rebus caelestibus ad Petrum Summontium.	219
De Domino geniturae.	221
De Saturno geniturae domino.	222
De Ioue geniturae domino.	223
De Marte geniturae domino.	224
De Venere cum fuerit geniturae domina.	225
De Mercurio geniturae domino.	226
De Sole & Luna circa dominatum geniturae.	227
De Quadam generali praeeptione.	227
PRO OEMIUM In librum nonum de rebus caelestibus ad A. Colotium Bassum.	228
De Constitutione humani corporis	229
Diversitatem corporum proficisci e commixtione stellarum.	230
De Capillis.	232
De Oculis.	234
De opinione Aristotelis.	234
Praeepta cognoscendae corporeae constitutionis.	235
De Saturno circa corporaturam.	236

INDEX.

De Ioue circa corporaturam.	236
De Marte circa corporaturam.	237
De Venere circa corporaturam.	238
De Mercurio circa corporaturam.	238
De Luminaribus circa corporaturam.	238
De Maturatione stellarum circa corporaturam.	239
De Quadrantibus circa corporaturam.	240
De Stellis fixis & signis circa corporaturam.	240
PRO O E M I V M In librum decimum de rebus coelestibus ad Aldum Manutium.	241
De Locis inferentibus vitia aut aegritudines.	242
De Vitij, seu aegritudinibus, & primo de oculis.	244
De Sterilitate & ab ortu, deq; vitij circa pudenda.	247
De Causis sterilitatis.	249
De Configurationibus facientibus sterilitatem, & herma- phroditos.	249
Opiniones Physicorum de hermaphroditis, et geminis.	250
De Linguae vitij.	251
De Alijs quibusdam vitij.	252
De Vitiligine, scabie, & alijs vitij compluribus, siue aegri- tudinibus.	252
De Claudicatione pedum, & alijs quibusdam morbis.	254
De Nervorum vitij ac morbis.	255
De Morbo comitiali.	256
De Insania.	258
PRO O E M I V M In librum undecimum de rebus coele- stibus ad Cosmum Pacium presulem Florentinum.	259
De Vitiligine siue Morphea.	260
De Impetigine.	261
De Scabie.	261
De elephantia.	262
De Calculis.	262
De Quibusdam siue vitij, siue aegritudinibus in generali.	263
De Vitij, siue morbis in locis pudendis.	264
De Hydropisi.	265
De Cardiacis.	265
De Torminibus.	265
De Mutilatis.	266
De Tabe, siue Phthisi.	267

INDEX.

De Podagra.	267
De Hernia.	268
De Difficultate partus.	269
De Praecipitationibus, & Casibus.	269
De Frigidis & glutinatis.	270
De Foetidis.	272
De Caluitio.	272
De Canitie, & surditate.	273
PRO O E M I V M In librum duodecimum de rebus coe- lestibus ad Paulum Cortesum.	275
PRO O E M I V M In librum tertiumdecimum de rebus coelestibus ad Antonium Genaram Comitem potentinum.	280
De Insania ex morbo comitiali.	282
De Configurationibus facientibus morbum comitalem.	286
Alia Configuratio faciens comitalem.	287
De Statu & conditione planetarum cum Sole consyde- randis.	288
De Vitij, siue aegritudinibus intemperantiae.	292
PRO O E M I V M In librum quartumdecimum de rebus coelestibus ad Paulum Prassicium.	294
De Septem Climatibus.	295
PRO O E M I V M In librum de luna ad Aegidium Eremitam.	297

FRANCISCVS ASVLANVS
LECTORI. S.

Optimum factu uisum est lector, ut omni e parte lectio huius clarissimi authoris integra tibi constaret, hoc in loco nonnulla maioris momenti errata castigare, quæ librarij nostri commiserunt dum nimis celeriter minus obire suum uellent.

IN PRIMA PARTE.

- 44 Galienus non Galenus.
215 uictoria omnino penes Ro. futura est.
257 Vbi spatium relictum est post ea uerba. DEFECTVM IPSVM QVI EST GRÆCE reponendū est ex libro IIII Ethicōn Aristotelis ἀφαισιμία Leonardus Aretinus uernaculus & plebeiam uocem secutus remissionem interpretatur. Argyropylus uacuitatem appetitionis honoris. Pontanus abiectiōē. Sed qui nullum honoris studium, aut contemptum honoris interpretaretur fortasse commodius etymon dictionis exprimeret, & usitatus loqueretur.

IN SECVNDA PARTE.

- 7 Penihemimeris.
15 Choerobosco.
53 saluum.
192 uersantur.
193 inuidenssimæ.
197 nullo modo.
199 pudicæ.
199 communitatem quandam.
202 parcior.
202 quamuis.
203 quod esset (ut ipsi uolebant) parum firma fide.
204 apertissima.
212 proposita sunt.
214 morum, corporis.
219 narretur.
231 quæ res contemptus.
131 illum uero memini ad omnia quidem siluisse.
233 eisi risum exciunt.

- 234 ad animorum pertinere.
234 uirtus hæc &.
236 iocabuntur dixisse ferunt, Nunquid.
237 & appellatione, & uarietate.
241 audientes. Quibus seruandis.
243 quæ & iucunda.
243 uenientem hospita dum.
243 Quid hoc Philopæmen?
243 Ad ea Philopæmen.
243 quemadmodum Philopæmen.

IN TERTIA PARTE.

Ne mirere lector si aliter Ptolemæi initium hoc in libro uideris, quàm in alijs ueteris translationis & uideris & legeris. Nam Pontanus sententiam uerborum Ptolemæi in sua præfatione ad Federicum Urbini Principem παραφρασιως exprimit, & ne illa desyderares hic græca apposuimus. Sed tamen ea aliter hic scripta inuenies, quàm Pontanus legisse uideatur.

Προεκθέμενοι ὡς ὄρε τὰς ἀδργείας τῶν ἀστέρων ἅς ἐν τῷ σὺνδέτῳ διανήργω κόσμῳ καὶ τὸ παρὸν ἴδεθμεθα πόνημα. ὁπὸρ κερπὸς ὄσι τῶν βιβλίων ἐκείνων γνωσθῶν ὄσῃ πείρασ. Δεῖ οὖν τὸν μέλλοντα ἔσσο μετρίαι πρότερον τὰς τῆς ἐπισήμης μθῶσδω διελθεῖν. εἶτα πρὸς αἰά γνωσιν τούτου χωρεῖν ἀπὸ σοῦ καὶ ἀπὸ τῆς ἐπισήμης.

EXPLICATIO Locorum quæ in omnibus Pontani libris sub-
obscura occurrunt, quam Petrus Summontius uir & ingenio &
doctrina præstantissimus in sua editione proposuit.

In libris solutæ orationis.

Tum Sorbinia, tum Montanica. Vini nomina in agro Neapolitano,
reliquaq; Campania notissimi.

Nuces expectato. Die, quæ sacra est diuo Laurentio, nuces edi, nota
huius temporis consuetudo.

Media etiam hyeme perflorescentes. Liliū Florentino in aureo ex-
cudi solitum intellegit, sicut per nauiculæ imaginem Pontificios quoq;
aureos designat.

Vernaculo cado. Vernacium uinum tempestate nostra nobilissimum.

Qui græce, qui Corsice, qui Ligustice sciat, etiam qui Cretice. Op-
tima locorum ipsorum uina significat, quamuis uinum, quod Græ-
cum dicunt, aliæ nunc ferant regiones, unde non temere subiunxit
Cretice.

Casorianum, Centuresium, Fastinianum loca haud procul ab urbe
Neapoli, uini generositate nobilia.

Muscum, Zebehum. Nota temporis nostri odoramenta.

Robertinis è liliatis. In argenteis Roberti Neapolitanorum Regis li-
lium de more generis illius excusum apparet.

Alphonsinorum. Ab Alphonso Aragonio Neapolitanorum Rege edi-
ti aurei sunt, qui & hodie ab eo Alphonsini dicuntur.

Deliolum. Fons est, ut diximus, propè Neapolim.

In Vrania.

Sebethus. flumini sæpe à Pontano celebratus propè Neapolis moenia
labitur. huius quoq; Maro, Statius & Columella meminere.

Formelle. Fons est Neapoli.

Hebonem. à Neapolitanis Solem sub Hebonis nomine cultum nota
est historia, ut est apud Macrobiū, quod & tabella marmorea
uetusissima Neapoli inuenta testatur, quæ est penes Actium Syn-
cerum, hocq; continet.

ΗΒΩΝΙ ΕΡΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ Γ. ΙΟΥ-
ΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΣΤΡΑΤΕΥ
Σ ΑΜΕΝΟΣ ΕΡΙΤΡΟΦΕΥΣΑΣ ΔΗΜΑΡ-
ΧΗΣΑΣ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ

Amalphis Nymphis. Amalphis urbs maritima in Picentinis, citrio

rum copia, fontibus atq; aëris salubritate nobilis, clara & An-
dreæ Apostoli sepulcro. Urbem hanc magnetida in Hortis Hesper-
idum Pontanus uocauit, quod eius caues magnetis usum nauig-
antibus primi, ut fama est, monstrauere. unde est Antonij Panhor-
mitæ carmen in urbis eius laudem.

Prima dedit nautis usum magnetis Amalphis.

Asteriona. Asterionem celebrat Poëta canem suum.

Ariadna Pontani coniunx. Elisa Ariadnæ mater.

Deserto Gauridis antro rupis Hamadriades. Gaurus, Misenus, Pau-
silypus, Veseuus, clari satis per se montes, item Nesis nota inter
Pausilipum & Puteolos insula, ut loca Neapoli uicina à Pontano
non uno in loco celebrantur, sicut & alia multa, ut Sebethus,
Lyris, Phormia, Caieta, Sirenum scopuli, cæteraq; alia.

Antinianisq; rosetis. ut alibi etiam dictum est, in monte qui Nea-
poli ab occidente imminet, locus est Antinianum nomine, nec
procul inde est Patulcium, ubi sepulcrum ostenditur Virgilij, quæ
duo loca sub Antinianæ & Patulcidis Nympharum nomine Pon-
tanus sæpenumero celebrat. Sub Patulcidis quoq; nomine ad Vir-
giliū ipsum alludit.

Sua lumina in amnem defigit Stella arridens. mulieris nomen Fer-
rariensis, quam Pontanus in delicijs habuit.

Vraniam quicumq; posthac excudes, continuato carmine, ut par est,
eam excudas oro. Qui interrupta serie inserti sunt tituli in ijs qui
nunc circumferuntur codicibus, commodius poterunt, quod Pontanus
manu ipse sua fecerat, exteriori in margine collocari. Sic enim
melius operis honori & tanquam maiestati consulatur. Nam in-
terruptio illa, qua disunctum hodie ipsum cernitur opus, præter-
quam quod nullam omnino sapit antiquitatem, faciem quoq; ipsam
libri dehonestat.

In Hortis Hesperidum.

Deliolosq; hortos. Deliolum Fons est propè Neapolim in uia Acerra-
na, quem Alphonsus Calabr. Dux sumptuosus ædificijs exorna-
uit ac pogum Regale appellari iussit quod adhuc manet nomen,
priori abolito.

Niasias arbor. Nias Hesperidum flumini.

Phaurusyruris. Phaurusij populi sunt ad mare Hesperium.

Stachiritides syluæ. Stachiris flumini in Hesperium labitur mare.

Clonide fronde. Clonia palus in regione Hesperidum.

Chariteiaq; arua. Item Chariteia limon. Ad Venerem retulit, hoc est ad nouam de Venere quã ipse fecit fabulam. Tace tamen, ut Charitei amicum celebret, ad eius nomen alludit. utq; hic dixit Chariteia, sic alibi Aphrodisia citius, et item alibi Zephyritide sylua. Simili etiã modo aliunde sumptis nominibus, uarietatis atq; ornatus gratia opus suum locupletauit. qualia sunt Berenicia arua, Cyrenides Nymphæ & reliqua.

Masitholæ limones. Masitholus fluius Hesperium mare illabitur.

Paliurides. Paliuris palus Hesperidum.

Atlantide fronde. Atlas Hesperidum pater.

Cleartias arbor. Cleartis palus Marmaricæ.

Aequaniq; serunt colles. Hi sunt propè Surrentum, qui locus uulgo Massa Aequana dicitur, ubi optima nascuntur uina.

Meteiaq; arua. Mete uicus est Surrentinus.

Neptunia Mergilline. uilla est Actij Synceri, in uia Puteolana, ad mare posita in Pausilypi radicibus, propè Cryptam Neapolitanã.

Hermi uites. Neapoli ab occidente imminet qui mons sancti Hermi dicitur, uillarum frequentia nobilis, hinc Hermitis nympha a Pótano deducitur ut est in Lepidina.

Quod uero aut uiridem trahit ab radice colorem

Frondeb; ac fructu, aut acuit sensumq; palatumq;

Ad etymologiam respexit λιμὼν enim paratum est, λιμὼν fames.

In Ecloga quæ Lepidina inscribitur.

Crambane. Vicus est in agro Neapolitano, in quo & hi alij quoq; uici sunt, Theodocie siue Tuducium, Resina, Porticia, Fragola, Casulla, Planuris, Marana, Pomelia, seu Pomelianum, Marillia seu Marillianella, Ansafia uulgo Anciasinum, Casora, Puluita, Panis coclis. Hos præcipue uicos ex alijs, qui in agro Neapolitano sunt, Pontano placuit celebrare. Is etenim ab adolescentia ornandæ Neapolis gratia hoc ipsum facere decreuerat, ut scilicet Sebethi & parthenopes nuptias cerneret, id quod tunc in Elegia illa de transformatione Sebethi pollicitus est his uersibus

Tempus erit, caros cum dicemus Hymenæos,

Ut sit iuncta tuo Parthenopæa toro.

Hoc tamen longe post uelut promissi memor, senex iam absoluit. quod

& in nonnullis alijs fecit operibus.

Prochyte, Caprite, Sarnitis a Prochytæ, Capreis, Sarnoq; nomina deduxit.

Tristior illa quidem patris de clade Vesui. Allegoria hæc historiæ tangit ueritatem. Resina enim, ut nunc etiam in eius solo cernitur, è Vesui incendio utpote illi uicina conflagrauit.

Hercli, Locus est propè Neapolim, occidentem uersus, paulum supra antiquam Palæpolim, ab Hercule, ut Pontanus putabat, dicitur. Hechiam uulgo appellat.

Ad antra Mineruæ. Promontorium Mineruæ significat, quod est contra Capreas & Aenariam insulas.

Herculis ad fontem. Vltra Neapolim sunt fontes, qui ab Hercule Herculanum sunt dicti, ibiq; Heracla.

Butine. Sordidus Neapoli uicus, ubi uarij generis obsonia uenduntur.

Ulmia. Neapoli etiam hic uicus est propè arcem quæ noua dicitur.

Intortis torallis. Tentare uoluit Pontanus noster, quæ summa in eo erat Latine lingue auctoritas, ut nouum omnino uocabulum in Latinitatem reciperet, atq; ut ita dixerim, Romana illud ciuitate donaret. Est autem apud nos torallus panis quidam peralbus, leni ac lucida crusta, in uarias circularum formas intortus, qualis pro diuorum templis diebus uenditur solennibus, dicitur quidem torallus a toris, ut ipse uolebat, siue torulis, qui sunt in columnis. Eadem quoq; Pontanus licentia Liguris auicula a liguriendo nomen usurpauit.

Pistasis. Fons est Neapoli in decliui urbis regione.

Olympias. Pars est Hermi montis in eius appendicibus Neapolim uersus, quod hodie Olympium dicunt.

Conicle. Locus propè Neapolim in collibus a septentrione urbem spectantibus, uulgo Conochiam uocant.

Labulla. Riuis est imo flumiculus per cuniculos Neapolim miro opere inductus, siue a Labro, ut Pontanus uolebat, siue, ut alij putant a bulliendo dicitur.

Verum age & hoc coniunx (fas est) requiesce sub arcu. Domum suã Poëta designat, quã Neapoli habuit in celebri urbis regione, quæ ad Arcum dicitur, ea in domo turris est quadrata urbem undiq; totam despectans, quam etiam turrim alibi ut hic celebrat.

Meliseon. sub Melisei persona Pontanus intellegitur, ut in ecloga illa cuius titulus est Meliseus.

Phosphoridos nata. L. Martiæ filia obitum mutato nomine dicit, quæ

in Tumulorum libro & in Vrania deplorauit.
Leucogidis albæ. Leucogei montes inter Neapolim & Puteolos ab al-
bedine dicti. hodie Lumera dicitur ab alumine in quod terra illa
fornacibus excocta dissoluitur. Est autem hoc auitum Actij Synce-
ri nostri prædium.
Ad Cryptam. Tam clari nominis est Crypta Neapolitana, quæ Pus-
teolos ducit, ut de ea quicquam dicere non oporteat.
Liquidissimus amnis it subter. Magnificentiam uult ostendere operis
illius, quo riuus seu potius dicam flumius à Labulla, ut dictum
est, Neapolim per subterraneos inducitur meatus excavato saxo,
in quo uetus urbs tota inest fundata.
Proximaq; Vranie scortum & sua poma parauit. Bene in domo
sua Vraniam statuit, eamq; sibi domi familiarem facit, ut allego-
rice ad diuinos illos de stellis alludat libros, quibus Vranie no-
men indidit.
Campe. Planities & uelut concha quædam propè Gaurum, qui lo-
cus Campana dicitur.
Vrsulon insequitur frontem insignitus echino. Castanearum sylua est
non procul ab Antiniano, quam uulgo Vrsulonis crucem appel-
lant.
Sorbino è bimo atq; ex anniculo Viridisco. Sorbinum & Viridif-
cum uini genera sunt in Campania.
Claudicat hinc heros Capimontius. Locus in collibus Neapolim à se-
ptentrione spectantibus, a gris uillisq; celebr, & quia montosus,
ideo claudus dicitur.
Murrone fama est cum coniuge Tifatea. Loca sunt propè Capuam.
Caserta. Notum non procul ab urbe Neapoli oppidum in colle po-
situm.
Marcinida. Vicus est propè Capuam, uulgo Marcianisios uocat.
Cicala. Editior locus supra Nolam.
Carmeli ad fontem. Fons est in foro Neapolitano iuxta ædem diuæ
Marie Carmelitane.
Platamonis. Platamonias celebrat, excavatas ad litus propè Neapo-
lim ac factas manu hominum specus, quas uetustas, salsaq; ma-
ris aspergo magna è parte consumpsit temporumq; ipsorum ini-
quitas, loca nimirum ad uoluptatem, æstiuasq; deambulationes
atq; conuiuia excogitata.
Ipsa seni blandita senem cupit. Per senem hunc cui tantum Antinia-
na blanditur se ipsum intellegit, qui rus suum in Antiniano ha-
bens Antinianam Nympham identidè celebrat. Blanditur autem
ipse sibi

ipse sibi tacite Poëta, continuatq; allegoriam hanc toto discursu, quo
de Antiniana agitur.
Nascetur qui longinquis procul aduena terris. P. Virgilium Maro-
nem intellegit, qui Neapolim diutius coluit.
Nasceturq; alius longo post tempore pastor. se ipsum Pontanus de-
pingit.
Item in Vrania Lib. I. ubi agitur de Deorum concilio.
Leua Amor, & solio resident tria numina in uno. XVI. Hinc
Amor, non Leua Amor.
In II. Lib. de Cirrjs, ubi uates de Limonibus, & earum
cultu loquens, Actij Synceri uillam celebrat.
Nauifragum, extremos queritur Syncerus ad Anglos. XVII.
ad axes, non ad Anglos.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z
aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp
qq rr ss. Omnes Quaterniones præ-
ter * Duernionem.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH
II KK LL MM NN OO PP Q Q RR.
Omnes Quaterniones præter RR Ternionem.

aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm
nnn ooo ppp qqq rrr sss ttt uuu xxx yyy zzz
AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III
KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ
RRR. Omnes Quaterniones.

aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn
ooo ppp qqq rrr sss ttt uuu xxx yyy zzz AAA
BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK
LLL MMM NNN OOO PPP QQQ
RRR. Omnes Quaterniones.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI,
ET ANDREAE SOCERI,
MENSE SEPTEMB.

M. D. XIX.

